



AZIONALE
12
18 B
21
BIBLIOTE
VITT. EMANUELE


GEORGI HORNI
Orbis Politicus
G.Wingendorp

GEORGI HORNI
ORBIS POLITICUS
IMPERIORUM, REGNORUM, PRINCIPATUUM, RERUM PUBLICARUM.

Cum Memorabilium Historicis & Geographia veteri ac recenti.

Editio secunda auctior & Emendatior.





LVGDVN. BATAVORVM,
Apud CORNELIUM DRIEHUYSEN,
Anno CIↃ IↃ C LXVIII.

Sereniſſimis & Celſiſſimis
PRINCIPIBUS ac DOMINIS
D. CAROLO ÆMYLIO,
D. G. MARCHIONI BRANDEBURGICO,
ELECTORATUS HÆREDI.
D. FRIDERICO,
D. G. MARCHIONI BRANDEBURGICO
FRATRIBUS GERMANIS.

Sereniſſimi & Potentiſſimi
PRINCIPIS ac DOMINI
D. FRIDER. WILHELMI,
D. G. MARCHIONIS BRANDEBURGICI. S. R. I. ELECTORIS & ARCHICAMERARII, DUCIS MAGDEBURGI, PRUSSIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ, MONTIUM, STETINI, POMERANORUM, CASSUBIORUM, VANDALORUM, CROSNÆ, CARNOVIÆ, &c. BURGGRAVI NORIBERGENSIS, PRINCIPIS MINDÆ & HALBERSTADI, COMITIS MARCÆ & RAVENSBURGI, DOM. RAVENSTEIN.

MAXIMÆ SPEI FILIIS,
Dominis ſuis Clementiſſimis
ORBEM POLITICUM
Conſecrat.
GEORGIUS HORNIUS, Hiſtoriarum in Acad. Lugduno-Batavâ Profeſſor.


RBEM POLITICUM, id eſt Univerſalem omnium Imperio-

 rum,

rum, Regnorum, Dominationum, Rerumpublicarum, Rerum-gestarum, Regionum Gentiumque, qualis à prima hucusque origine, per tot seculorum vicissitudinem fuit, seriem; opus ùt mole exiguum, ita pondere usuque ingens, Vobis, SERENISSIMI & CELSISSIMI Principes ex Augustâ BRANDENBURGICA domo, ad maximas prognatis Spes, inscribere & sacrum facere visum fuit. Non nunc illud dicam, majores nostros, jam ante aliquot secula, veteres florentissimæ Domus Brandeburgicæ clientes subjectosque fuisse, inde usque ab A. Ch. Millesimo Ducentesimo & *Ottonis* Meranii tempore,

quo

quo cæſo, totus ille terrarum tractus, quem *Voytlandiam* & *Marchionatum* Supramontanum dicimus, Burggraviis Noribergenſibus, conditoribus veſtris, acceſſit: unde brevi longè latèque per Franconiam, Marchiam, Pomeraniam, Pruzziam, Sileſiam, Cliviam, Juliam, Bergam, Saxoniam tanta ſumſerunt incrementa, ut à Duna & Memela ultra Rhenum, Moſam, Mœnumque, continuo ampliſſimarum terrarum tractu, potentiſſimè juſtiſſimèque dominentur.

Neque vero armis aut invaſionibus, ſed jure, connubiis, hæreditate, largitione etiam, ob ingentia erga Imperium merita, Cæſarum, ſolidam tan-

tæ dominationis fundationem collocarunt, non ignari thronos Justitiâ stabiliri ac Pietate.

Quapropter quoties mente mecum, hic jam ad Oceanum longè sepositus, incunabula Brandeburgica, in quibus primam ætatem jucundissima suavitate transegi, revolvo, tacita quædam veneratio locorum, priscâ etiamnum religione sacrorum, animum subit; ac videre mihi videor illos coelo contiguos montes Piniferos, viridantibus passim convallibus floriferis tapeti instar pulcherrimè distinctos: tum limpidos ex asperrimis rupibus salientes fontes: crebra oppida ipsâ antiquitate & incolarum priscâ illâ Germanicâ sinceri

tate

tate religiosa: arces Ducum Nobiliumque Magnificas: tum passim eminentia dirutarum per altissimos montes rudera saxorumque ingentium moles.

Nam cum post fatale in Bohemia Palatinis bellum, patria cedere tum victor juberet illis, quibus major conscientiæ quàm caducorum, cœlestium quàm brevi periturorum ratio constitisset: proximum nobis receptum Celsissimi Principis ac Domini, D. CHRISTIANI Marchionis Brandenburgici oppidum Creusena dedit; quod si situm spectes admirabilem, cum Hierosolyma comparare possis. Ibi ingentes supersunt ruinæ arcis Hohenzolleren, unde stirps vestra nascitur

tur & alia antiquitatis monumenta, qualia ne Italia quidem ostentet: specus in vicinis montibus, naturâ an arte excisi, tam admirabiles, ut sæpe mihi Adullam Davidis, & Crak Moabitidis, cogitanti repræsentent. Et quemadmodum prima hujus vitæ initia tenacissimè varios insequentium annorum casus reputantibus inhærent: ita Creusenæ, ubi prima literarum fundamenta posui sub optimis & fidelissimis Magistris, ubi sacrum Beati Parentis depositum est, memoria apud me nunquam intermoritura superstes manet. Mox cum Noribergâ belli Germanici flamma etiam montes illos à naturâ quasi tuto loco sepositos,

ſitos, Ann. Chriſt. cIↄ Iↄc xxxii. peteret, quas non direptiones, cædes, ſtupra, incendia vidimus paſſique ſumus? Deſtruenda ergo fuit Creuſena velut altera Troja jam hoſtili igne Bavarico flagrans, cùm præter vitam corpuſque, cætera hoſtiles flammæ tenerent.

Neque Byrcithi, Marchionis ſede, tutior manſio: ſola Blaſſenburgum, inexpugnabili munitione ſuâ, profugos texit. Fœda interim toto Marchionatu facies, cum præter bellum famemque atrociſſima peſtilentia An. 1635. omne mortalium genus popularetur, oblitis jam pleriſque hominum, conditionis ſuæ dubiiſque fer-

rum, famem an letum eligerent; cùm singulis momentis homicida Crobatus, pallida egestas & pessima mors imminerent: nullo jam humano auxilio, cum ipsi Principes pulsi, profugi, cæsi, neque sibi neque suis prospicere possent.

Inter has, quæ ineffabiles sunt, publicas privatasque calamitates, cùm parumper respirare datum fuisset, jucundum erat lustrare Neustadii ad Culmum magnifica & plusquam Regia monumenta. Oppidum illud amœnissimo situ in colle molliter edito & acclivi ab utroque latere circumsitum Palatinatum in devexis convallibus spectat: sed quod majestatem loci auget, duo sunt montes,

tes, quorum ſimiles vix, niſi forte in Arabiâ apud Sinam & Horeb reperias, urbis longitudini imminentes: *Culm* gentico ſermone vocant; unde etiam Caput regionis Culmbach nomen obtinuit, à Columnis, ùt ego quidem hæc ſcribens, cum antehac nunquam eâ de re vel legiſſem quicquam vel cogitaſſem, Romana familia Brandeburgicæ Domus conditrice, ſicut Anhaldini ab Urſinis originem trahunt, certiſſimum eſſe arbitror. Ut redeam ad *Neuſtadium* mihi multis nominibus memorabile & quod ibi ſepulta ſit Pientiſſima Mater, quemadmodum Creuſenæ Pater; duo illi Culmi, in Majorem & Minorem diſtinguuntur. Ac

Ma-

Major quidem neſcio an in toto Orbe ſui ſimilem habeat montem, ſive altitudinem ſpe-ctes, qui in centro Germaniæ poſitus, longè latèque cæteris ſupereminet montibus, figurâ tam rotundâ & in conum ſu-pra arborum cacumina proce-riſſimarum aſſurgens, ut mira-culum Mundi præbere poſſit. Jam verò olim ſublimi conſpi-cuus arce ex ſaxo cœruleo, cu-jus etiamnum ſuperſunt disje-cta rudera, per quæ, quan-quam patenti olim viâ & curu-li, nunc ægrè & cum periculo datur aſcenſus, præſidium toti regioni fuit; & ab altero latere Culmus Minor, in quo tum contra hoſtilem vim diurnas nocturnaſque excubias ageba-

mus,

mus, ac varia, ùt otium erat in summo periculo, vetustatis monumenta, etiamnum pueri, eruebamus.

Non ignoro, SERENISSIMI & CELSISSIMI Principes, quod Majorum gloria casusque quam proximè, post SERENISSIMUM & POTENTISSIM. Principem ac Dominum ELECTOREM Parentem Vestrum, vos tangant; jucundumque sit intelligere, quæ per ætatem & sublimiores curas temporumque vicissitudines nondum innotuerunt. Quapropter hæc obiter, cùm aliquid præfandum esset, ab oblivione quasi vindicare & commemorare visum fuit. Longum esset cuncta

repetere, quæ in ditione illa Brandenburgico-Montana admodum puer cognoverim, cùm illam inter ancipites bellorum casus, insuperabili, si humana spectes, periculo incolerem & per medios hostes ac latrones peragrarem: quibus quidem in plusquam Ulyssei erroribus, Curia Variscorum, clauso flumine ad Bernburgum duobus exercitibus Salâ, solus redux, fatali quadam temeritate in oppidum Leythen per asperrimas rupes ejectus fui, unius noctis hospes, ubi quæ natura in montibus miranda seposuisset vidi, & hodieque, jam in illa omnium studiorum maxima & pulcherrima Leyda Batavorum cum jucunda recor-

cordatione ob nominum similitudinem commemoro.

Cæterùm cur vobis,

SERENISSIMI & CELSISSIMI
PRINCIPES
CAROLE ÆMYLI,
ELECT. BRANDENB.
HÆRES,
ET
FRIDERICE
MARCHIO BRAND.

Hunc ORBEM POLITICUM inscribendum censuerim præter illa, quæ ex antiquitate & præteritis temporibus memoravi, causa etiam hæc fuit, quod SERENISS. POTENT. Dom. ELECTOR jam ante novendecim annos per

per Joh. Bergium Theologum ad Professionem Theologicam Francofurtum ad Viadrum me evocare dignatus fuerit, promto me & ad obsequium parato, nisi aliter DEO visum tum fuisset, à quo res humanæ diriguntur.

Deinde quia Electoralis & Principalis vestra indoles ad amplissimam Patriæ communis Germaniæ spem, cum voto omnium bonorum in dies assurgit.

DEUS, qui Domum BRANDEBURGICAM, tam brevi tempore, ad summum in humanis, pietatis & potentiæ fastigium admirabiliter provexit; Sereniss. ELECTOR. Parentem vestrũ, diutissimè

ſimè ſoſpitet; Voſque omni benedictione Cœli ac Terræ abundanter cumulet! Scriptum Lugd. Batav. XIV. Novemb. CIↃ IↃC LXVI.

PRÆ-

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

ORBEM POLITICUM *in quatuor divisum partes, opusculum si molem spectes exiguum; Cæterùm in quo varietas rerum delectare pariter atque prodesse juventuti queat, tibi,* LECTOR *Benevole, postquam ut id facerem, sæpiùs ab amicis rogatus fueram, nunc legendum publicè exhibeo. Ac de caussis quidem quæ me impulerunt nunc dicere nihil attinet, cùm vel una illa sufficere queat, muneris id nostri qui in Academiis docemus, partem haud exiguam esse, ut non voce tantùm sed & calamo, non privatim modò verùm insuper publicè juventutem instituamus, quisque pro suo in Rem literariam affectu ac viribus; ut quæ apud paucos traduntur, exteris quoque innotescant, instituaturque velut commercium aliquod Academicum.*

India mittit ebur.

Sic singuli sua in medium & publica commoda liberaliter conferant. Accessit & illud quòd cùm exemplaria variè transcriberentur, non id modò corruptioni occasionem præberet, verùm etiam fraudi obnoxium es-

set,

set, cum quisque pro arbitrio, adderet, demeret & corrigendo quæ ex mente authoris non intelligebat rectè, deteriora faceret: unde si quid utilitatis sperandum erat, id cum tempore multiplicatis erroribus omninò periturum videbatur. Ergo operæpretium visum hanc qualemcunque molestiam suscipere & publici juris facere quæ in usum juniorum olim tradita & ab ipsis in literas relata fuerunt. Ac nihil vel perparum mutare visum; quòd non opus perfectum, sed quale initio prodierat, publicare, tum negotia majoris momenti, tum temporis angustia, paterentur. Præcipuus labor & scopus fuit Ordinem facilem reperire ac ita disponere omnia ut quilibet privato studio facilè quamcunque susciperet partem, eam extendere & dilatare posset. Nihil omissum quod ad rem faceret: fontes, capita, divisiones, omnia suo loco tradita & ritè disposita; ut qualemcunque quis legat scriptorem, recitari quæ gesta aut etiamnum fiunt audiat ab aliis vel ipse peregrinando experiatur, si memoriâ dignum judicet, annotare in usum ulteriorem possit. Ac tales libelli peregrinantibus per illa loca, ubi libertas conscientiæ viget, nec innocentia delatoribus Inquisitorum velut piacularis victima subjacet, imprimis usui esse possunt, cum exiguâ mole omnem fere materiam orbis terrarum Politici com-

complectantur. Quippe totum opus in quatuor partes dividitur, velut totidem vitæ Civilis elementa. Prima complectitur Imperia, Regna & Respublicas Orbis qualis nunc est. Antiquiora ab orbe condito in ARCA NOÆ *simili ordine tradidimus, ut si quem prisca illa delectant, exinde haurire queat, quanquam illa potiùs ad scientiam, hæc ad vitæ Civilis usum necessarium & profuturum spectent. Itaque Primâ illâ parte continentur illi Orbis status, qui superiorem in terrâ nullum agnoscunt, sive Imperatores, Reges, Respublicæ, aut alio nomine appellentur. Hi sunt illi quos Aristoteles efficacissimâ voce* ἀνυπευθύνους *vocat, quasi dicas* libera Imperia *habentes.*

Secunda pars complectitur dominationes *sive Inferiores* Potestates, *quæ ut hodie mos fert, sunt* Ecclesiasticæ & seculares. *Hæ* inferiores *vocantur, quia* superiori *in terris subsunt & subesse debent, secundum sanctissimam regulam Pauli ad Roman.* XIII. Omnis anima potestatibus supereminentibus subesto. *Et quanquam Papa Romanus jam ante 666. annos diu meditatam jam à Phocæ & Bonifacii* III. *temporibus Monarchiam Ecclesiasticam pariter & Secularem tandem per meram vim & oppreßionem Imperatorum, Regum & Rerumpublicarum, obtinuerit, prout illam hodieque palàm defen-*

defendunt Iesuitæ & Curia Romana: tamen semper reperti, sive, qui cùm privati essent & vim illam nonnisi calamo & ore possent repellere, Martyrio suo contradixerunt, sive ipsi Imperatores, Reges & Respublicæ, qui etiam armis victricibus illam Monarchiam Papæ sive spiritualem sive temporalem, sive meram sive mixtam, fregerunt, quanquam fatali necessitate, semper iterum emerserit, donec superiori seculo, Imperatores, Reges, Principes, Respublicæ, Protestati contra usurpatam in Deum hominesque potestatem, abnuerunt, eique Dilectionem Filialem solemniter tanquam Antichristo renunciarunt dentibus etiam, si qua imposterum latrare conaretur, ostensis.

Tertiam Partem Memorabilibus *Historicis sacravimus: ut ibi brevi compendio quicquid ubique terrarum memorabile accidisset ab orbe condito ad nostra tempora, obiter conspiceretur, neglecto accuratiori ordine; ita ut nihil tamen desiderari posit alicujus momenti & publici usus.*

Ac quoniam omnia hæc suis gesta fuerunt hodieque geruntur locis, quam doctrinam Geographiam *vocant; hinc illa Quartam ultimamque, velut basis Imperiorum, Rerumpublicarum, Dominatuum, Episcopatuum, Principatuum, Civitatum, Nobilium, constituere debuit. Vt sicut prima*

Pars

Pars hoc visibile cœlum Mundi constituit & Imperia velut Soles, regna velut Lunas, ac Respublicas ut stellas primæ magnitudinis: ita secunda sit quasi Expansum, nox ac tenebræ, magnitudinem lucis circumscribens ac temperans. Tertia velut Oceanus & aquarum cœlestium terrestriumque commune receptaculum, quicquid à duabus his potestatibus mutua vicissitudine actum, factum, fida interpres & statua Mercurialis, ordine commemorat.

Quæ quidem omnia cum contigerint cœlo teste, terra conscia, & cœli enarrent gloriam Dei ac in omnem terram exiverit sonus eorum: *hinc tandem Universus Orbis hoc quaternario Politico absolvitur.*

Vale lector, & quia in hoc Martio seculo, ubi inter Michaelem Archangelum & Draconem bellum fervet ac Gog & Magog fatale prælium committunt, te pluribus nunc alloqui non possum: lætioribus temporibus curiositatem tuam asserva.

GEOR-



GEORGI HORNI

ORBIS POLITICUS

Omnium Imperiorum, Regnorum, Rerumpublicarum, quæ hodiè per totum Mundum florent.

I. *Supremus Scopus omnium Politiarum est propria Conservatio.*

HÆc *Conservatio*, quæ est anima Rerump. & vita, complectitur duas partes (1) *conservationem* quocunque modo etiam cum jacturâ vel opum atque divitiarum, vel regionum atque Subditorum. Et huc pertinet illa regula apud Jobum: *Quid non dabit homo pro vita sua?* (2) *Amplificationem Reip.* Nam non tantum debet conservari Resp. in eodem statu, sed

quantum fieri potest per licita media ejus *incrementum* & *propagatio* quæritur. Atque hoc est, quod vulgo dicitur *Ratio* status, & barbara voce *Interim*.

II. *Status Perfectissimus Politiæ est Indubitatum signum imminentis ruinæ.*

Secundum illud Poëtæ, *Summisque negatum stare diu*, & Aphorismum Hippocratis de *habitu* corporum *athletico*.

III. *Mundus exiguâ Sapientiâ gubernatur.*

Secundum illud vulgare: *Dei providentia & hominum stultitia gubernant mundum.* Subtilitas & magna sapientia non requiritur in Politico, dummodo instar C. *Sallustii* apud Tacitum: *Sit par negotiis, neque supra:* qui possit præstare id, quod est sui officii.

IV. *Omnes Politiæ variis Mutationibus necessariò sunt obnoxiæ.*

Huc pertinent elegantissimi versus *Ovid.* XV. Metamorph.

Sic omnia verti
Cernimus, atque alias assumere robora gentes,

Concidere has: sic magna fuit censuque virisque,
Perque decem potuit tantum dare sanguinis annos,
Nunc humilis veteres tantummodo Troja ruinas,
Et pro divitiis tumulos ostendit avorum.
Clara fuit Sparta, magnæ viguêre Mycenæ,
Nec non & Cecropis, nec non Amphionis arces.
Vile solum Sparta est: altæ cecidere Mycenæ.
Oedipodioniæ quid sunt nisi nomina Thebæ?
Quin Pandioniæ restant nisi nomen Athenæ?

CAP. I.

DE POLITIIS.

I. Politiæ *sunt Triplices*, Imperia, Regna, Respublicæ.

Distinctio inter *Imperia* & *Regna* est potius *nominalis* sive titularis, quam *realis* vel auctoritativa. *Imperia* propriè vocantur quæ *plura Regna* sub se comprehendunt: ideoque Imperator debet esse *Rex Regum* & Reges sibi aliquos subjectos habere. *Regnum* propriè est, quod subjectos sibi habet *plures Duces* & *Principes*: sicut *Princeps* propriè dicitur, qui sub se habet plures *Comites*. *Comes*

plures Barones. *Baro* plures nobiles. *Nobilis* plures rusticos.

II. IMPERIA *sunt Germanico-Romanum, Turcicum, Russicum, Persicum, Habassenum, Fez-Maroccanum, Mogolicum, Tartarico-Sinicum:* REGNA *præcipua sunt, Hispania, Gallia, Britannia, Scandia, Polonia, India.* RESPUBLICÆ *majores sunt tres, Veneta, Helvetica, Belgica.* Minores *totidem:* Ragusa, Lucca, Geneva.

Dantur quidem plura Imperia, Regna & Respublicæ; sed illæ sunt vel minoris momenti, & dependent ab his, quæ commemorata sunt, vel ab Europæorum conversatione & ratione Status penitus seclusa sunt: ita ut illorum in Politica, nulla ratio haberi possit.

DE IMPERIIS.

I. DE IMPERIO ROMANO-GERMANICO.

I. *Deficiente Stirpe Caroli M. Germani Imperium à* Gallis *ad se transtulerunt.*

Factum

FActum hoc A. Christi 912. Creatus fuit à Germanis Imperator CONRADUS I. Dux *Franconiæ*, hâc expressa conditione, ne *Germani* unquam paterentur sibi vel ab *Italis* vel à *Gallis*, aut *aliis* nationibus eripi Imperatoriam Majestatem, idque ab eo tempore constanter fuit observatum, nec quisquam, qui non esset *nativitate* & *linguâ* Germanus, ad Imperium fuit legitimè promotus. Excipiuntur tempora corrupta, quibus Imperium potius *venale* fuit, quam legitimâ ratione collatum: præcipuè sub illo diuturno interregno octodecim vel viginti annorum post mortem Friderici II. Tum enim Principes accepto auro elegerunt *Alphonsum* X. Regem Castiliæ, qui melior erat *Astronomus* quam Princeps. Deinde *Richardum* Ducem Cornubiæ, fratrem Henrici III. Regis Angliæ: denique post mortem Ludovici IV. Bavari, *Eduardum* III. Regem Angliæ, qui tamen Imperio vel spreto vel vix degustato iterum expulsi fuerunt.

II. *Imperator* GERMANUS *omnes Principes Christianos præcedit.*

Quæstionem sive controversiam dignitatis Imperatori Germaniæ moverunt inprimis *Itali* & *Galli*, sed irrito successu, quandoquidem nullo ampliùs contradicente Impe-

rator Germaniæ primum locum inter Principes Christianos obtinet.

III. *Imperium Germaniæ Electivum fuit à multis seculis.*

Electio primo fuit communis omnibus Principibus Germaniæ, nullâ adhuc factâ distinctione inter *Electores*, & alios *Principes*: sed postea propter nimiam multitudinem Principum, & factiones familiarum; constituti fuerunt VII. Electores, quibus cæteri Principes sua jura eligendi Cæsarem cesserunt. Quo tempore autem hoc primum factum sit, nullus hactenus vel Historicorum, vel Politicorum, reperire potuit. Communis opinio est *Electores* constitutos sub *Ottone* III. sed nullis fundamentis subnixa: neque operæ pretium est, illam quæstionem prolixè discutere, quoniam hodie *nullum* habet *usum*, confirmata jam & communi consensu approbata Autoritate Electorum. Id certum est, post mortem *Friderici* II. ultimi ex Sueciæ Ducum familia Imperatoris, solos VII. Electores, Imperatorem creasse.

IV. *Aurea Bulla & Constitutiones Imperii, quæ vocantur Reichsabscheide, sunt Lex fundamentalis Impe-*

Imperii Germanici, & præterea CAPITULATIONES *Imperatorum cum Electoribus.*

Anno 1356. KAROLUS IV. Imperator in Comitiis Noribergensibus promulgavit legem fundamentalem Imperii, quæ vocatur ab aureo Sigillo, Aurea BULLA. Hæc ab illo tempore perpetua fuit LEX IMPERII & sancta ac inviolabilis Constitutio, quâ continentur Privilegia, libertates, ordo & mutuus respectus inter Imperatorem ac Principes. Sed quemadmodum nihil in rebus humanis adeò perfectum reperitur, quod non longo tempore vitium contrahat, & correctione aliquâ indigeat, sic nostrâ memoriâ Aurea Bulla in dubium fuit vocata propter controversias inter Electorem Palatinum & Ducem Bavariæ, neque ante finiri potuit illa lis, quam in ultima pace Monasteriensi Octavus Electoratus institueretur.

V. *Domus Austriaca hodie Imperium obtinet.*

Post diuturnum illud interregnum ab obitu Friderici II. Imperatoris; tandem electus fuit Imperator RUDOLPHUS Comes Habsburgicus. Auctor hujus Electionis fuit Elector *Palatinus*. Nam cum *Rudolphus* esset

Princeps bellicoſus, & tres haberet filias nubiles, Electores *Palatinus*, *Saxo* & *Brandenburgicus*, ſinguli ſingulas ſibi ſponſas deſtinarunt, atque ita Imperatoriam dignitatem Rudolpho, quanquam exigua ejus eſſet potentia, detulerunt. Hic RUDOLPHUS fundavit præpotentem domum AUSTRIACAM, quæ totum quaſi orbem terrarum potentia ſuâ complexa, eum vel conjugiis, vel armis ſibi deſtinavit, & Imperii Rom. limites longius promovit, quam ullus unquam Imperator ab orbe condito. RUDOLPHUS Imperator primo omnium occupavit illas Provincias, quæ jure *Feudali* ad Imperium ſpectabant. Vacuæ tum erant legitimo Principe *Auſtria*, *Stiria*, *Carinthia*, & quicquid in illis partibus ad Auſtriacos hodie ſpectat. OTTOGARUS Rex Bohemiæ provincias uxorio jure invaſerat. RUDOLPHUS jubet illi decedere & imperio reſtituere, quod injuſtè occupaſſet. Negat *Ottocarus* & potentiâ ſuâ fretus, vilipendit Imperatorem, & paulò poſt bellum ipſi infert. Sed victus in Auſtria & à duobus nobilibus ex Stiria proditus, vitam cum omnibus illis provinciis amiſit, quas Rudolphus jure belli & poteſtate Imperatoriâ in filium ſuum *Albertum* contulit, atque ita Comites Habsburgici facti fuerunt primò *Duces*: deinde *Archiduces* AUSTRIÆ atque hinc potentiam ſuam longè latèque ad noſtra uſque tempora propagarunt. VI.

VI. *Reges* FRANCIÆ *Imperium à Germanis aliquoties repetunt*.

Præcipuè post mortem *Maximiliani* I. Anno 1518. & 19. Tum FRANCISCUS I. Rex Galliæ summis viribus sese opposuit Domui Austriacæ, ac imperium pecuniâ ad Francos transferre conatus fuit. Sed post varias disceptationes prævaluit fortuna Austriaca, ac KAROLUS V. Archidux *Austriæ*, Dux *Burgundiæ*, Princeps *Belgii* ac Rex *Hispaniæ*, Imperator creatus fuit. Ab eo tempore Austriaca domus tantas radices egit in Germania, ut Imperium nomine quidem *Electivum*, reipsa unius familiæ quasi *hereditas* esset, maximè ab eo tempore, quo introducta fuit consuetudo creandi REGIS ROMANI, etiamnum superstite Imperatore, quod factum Anno 1531. frustra sese opponente Electore *Saxoniæ* Johanne, qui quamplurimis argumentis ostendebat, illud spectare ad *liberam electionem* Imperatoris enervandam.

VII. *Forma Imperii Germanici est* MONARCHIA *Aristocratica*.

Acriter de hac re disputant Politici. *Itali* rident titulum Imperatoris ROMANI, cui nulla per *Italiam*, multo minùs *Romæ* potestas. *Galli* dicunt, Imperatorem *nullam* ha-

bere *potestatem*, cujus autoritas tot legibus & Principibus sit circumscripta: ita quidem, ut proverbio dicatur: *Tantum potest* Princeps *in suo territorio, quantum* Imperator *in Imperio*. Sed hæc partim ex odio, partim ex æmulatione dicuntur. Est omnino maxima Imperatoris Germanici potestas & majestas, & jure meritoque MAXIMILIANUS dixit, se esse REGEM REGUM; quemadmodum Rex *Galliæ* vulgo appellatur, *Rex Asinorum*, Rex Angliæ, *Diabolorum*, & Rex Hispaniæ, *Hominum*. Conclusio hujus quæstionis in eo consistit, *Imperium* apud Germanos esse *Monarchicum*, sed specie *Aristocratiæ*, per Electores, Principes atque status Imperii temperatum; sicut ex Recessibus Imperii & Capitulationibus inter Imperatores ac Electores & Imperium patet.

VIII. *Solemnia Imperii Rom. consistunt in* Electione *ac* Coronatione.

Electio ordinarie fit *Francofurti*, non tamen necessariò. *Coronatio* olim fuit triplex. 1. *Aquisgrani* pro Galliâ. 2. *Francofurti* vel etiam alibi, pro Germaniâ. 3. In *Italiâ* sive *Mediolani* sive *Bononiæ* sive *Romæ*, pro Regno Italiæ & Imperio Romano. Sed post mortem Caroli V. Imperatores unicâ corona-

natio-

natione fuerunt contenti, neque *Aquisgranum* neque *Romam* propter coronationem amplius petierunt. *Insignia* Imperatoria, nempe *Corona*, Caroli M. *Ensis*, *sceptrum* atque alia asservantur & custodiuntur à civitate Norimbergensi.

IX. *Maximilianus* I. *Cameram Imperialem instituit, & Imperium in Circulos* X *divisit.*

Hactenus *Judicia* publica sequebantur *Aulam* Imperatoris, sed cum Imperatores ob crebra bella rarò certo in loco subsisterent, MAXIMILIANUS I. instituit peculiare & supremum aliquod Tribunal Justitiæ, cui in rebus Civilibus ipse Imperator & omnes Principes essent subjecti. Hoc tribunal appellatum fuit *Camera* Imperialis, & sedem suam habuit interdum *Eslingæ* & *Rothvilæ* in Sueviâ, interdum *Noribergæ*, donec tandem KAROLUS V. urbem SPIRAM jussit esse perpetuam sedem Cameræ Imperialis, circa A. C. 1535. à quo etiam tempore Camera Spirensis, per totam Europam fuit celebrata, ac repræsentat gravissimum consilium Justitiæ, ita quidem, ut maximæ controversiæ illius judicio submittantur.

X. *Prætensiones Imperii Germanici: sunt in* Italiam *& Regnum Galliæ* Arelatense.

Jus Germaniæ in *Italiam* est manifestum: quippe *Italia* Imperatoribus Germaniæ fuit subjecta à tempore KAROLI Magni usque ad tempora HENRICI IV. sub quo Imperatore *Pontifices Romani* Italiam ab Imperio Germaniæ abstrahere fuerunt conati, idque tandem specie religionis & per negligentiam aliquot Imperatorum obtinuerunt. Atque ita facta fuit mirabilis mutatio in Imperio, ut cum hactenus Papa Rom. subditus fuisset Imperatori, nunc vice versa *Papa* sibi subjecerit Imperatorem Rom. secundum illos versiculos:

Rex venit ante fores, jurans prius urbis honores,
Post homo fit Papæ, recipit quo dante coronam.

KAROLUS V. Superiori seculo hanc Papæ Romani tyrannidem in Imperatores fuit ultus, cum captâ urbe Româ Germani inauditas crudelitates exercuerunt in Papam, Cardinales & totam denique civitatem. Sed quo minus Papam in ordinem redigeret, & prisca jura Imperatoria assereret, prohibitus fuit, partim *Discordiâ* Germaniæ, partim *æmulatione* Gallorum & Anglorum, qui nolebant

lebant perferre, ut Germania acceſſione Italiæ augeretur.

XI. *Hoſtes Imperii Germanici* Antiqui *fuerunt Hungari, Sclavi, Normanni &* Itali. *Hodierni ſunt* Turcæ.

§. 1. Contra antiquos hoſtes variæ inſtitutæ fuerunt *Marchiæ* & Comitatus: contra Hungaros *Auſtriæ* & *Moraviæ:* contra Sclavos *Sleſvicenſis*, *Luſatiæ*, *Brandenburgi*, *Miſniæ*: contra Normannos, Comitatus *Hollandiæ*, *Geldriæ*, *Flandriæ*.

§. 2. *Hungari* atrociſſimè afflixerunt Germaniam, donec ab Imperatore HENRICO Aucupe apud *Mersburgum*, & deinde apud *Auguſtam* Vindelicorum & *Ratisbonam* ita fuerunt contuſi, ut impoſterum à Germaniâ vexanda abſtinuerint. HENRICUS I. Auceps inſtituit *militiam* Germanicam. Nam ex pagis fecit oppida munita, ac Germaniam in tres ſtatus, *Nobiles*, *Cives* & *Ruſticos* diviſit. *Nobiles* erant exempti ab omnibus oneribus; ſed tenebantur ſuo ſumtu militare. Quinque *Cives* tenebantur alere *ſextum*, & *octo* ruſtici *nonum* in militia, qui ab eo tempore vocabantur *der Auſſchus*. Superior Germania optimos *pedites*, Inferior optimos *Equites* ſuppeditat. Optimi

Equi-

Equites censentur *Iuliacenses* cum vicinis: optimi pedites *Suevi* & *Helvetii*. Miles Germanus tumultuatur ante prælium, sicut Hispanus post victoriam. Galli inprimis metuunt Germanos milites, ideoque victi sese libentiùs dedunt Hispanis quam Germanis. Sicut videre licet in vita Admiralis Colignii.

§. 3. Nec minor *Sclavorum*, qui oram maris Balthici usque in Prussiam incolebant, fuit ferocia, qui multoties à Christiana fide defecerunt, donec tandem in potestatem Principum *Megapolitanorum*, *Pomeraniæ*, *Brandenburgi*, *Lusatiæ*, *Misniæ* & ordinis *Teutonici* per *Prussiam* ac *Livoniam* concederent, à gravi servitute pressi, ne in hanc quidem diem exuerunt antiquos mores, linguam ac ferociam, quin quotidiè Germanis imprecantur extrema quæque, ac moribundis insusurrant hæc verba: *Abi in alterum mundum*, & *ibi Germanis dominâre*, *sicut tibi dominati fuerunt in hoc mundo*. Ac propter tantam hujus gentis pertinaciam, cum servitus per totam Germaniam publico decreto abolita fuisset, soli Sclavi hodieque sub servitutis gravi jugo passim continentur, quia libertas ipsis periculosa; Unde lingua Germanica *Sclavos* appellamus Mancipia.

§. 4. *Normanni* & Hungaros & Sclavos superarunt in devastandâ Germaniâ, ita quidem,

dem, ut contra illos publicæ preces in omnibus templis indictæ fuerint, ad ſonum campanæ meridianæ, cum hac formulâ: *à furore* Normannorum *libera nos Domine*.

§. 5. His hoſtibus repreſſis Germaniam afflixerunt *Itali*, Duce PAPA Rom. qui Imperatores Germaniæ pro Vaſallis habebat, & ipſos tum creandi tum deponendi poteſtatem ſibi arrogabat. Controverſia illa inter Papam & Imperatorem diuturna atque atrox fuit. Nam HENRICUS III. Imperator tulerat legem, ut nemo eſſet Papa Rom. niſi approbatus à Cæſare, ac omnes Papæ cogebantur juramentum fidelitatis dicere Cæſaribus, neque ullam poteſtatem habebant in temporalibus; donec circa A. C. 1000. Papæ Romani imperium totius orbis terrarum ſibi arrogarent, & per conſequentiam non tantum Imperatorem Rom. verum etiam omnes alios Reges ac Principes ſibi ſubjectos contenderent. Fundamenta Paparum erant duo præcipuè (1) *Donatio* Conſtantini M. (2) *Tranſlatio* Imperii à *Græcis* ad *Francos*, à Francis ad *Germanos*. Utrumque cum confictum & falſum ex hiſtoriâ deprehendatur, hodie in jure *Eccleſiaſtico* & *Oecumenico* Epiſcopatu, ſive *Primatu* per totum Orbem terrarum, reſpectu animæ & æternæ ſalutis vel damnationis, poteſtatem ſuam fundari contendunt.

§. 6.

§. 6. *Imperatores* igitur tantæ se tyrannidi Paparum opposuerunt (1) quidem HENRICUS IV. (2) HENRICUS V. sed hic à Papa superatus jure suo cessit. (3) CONRADUS III. Sub quo exortæ *factiones* Guelphorum & Gibellinorum. *Guelphi* tuebantur jura Papæ, *Gibellini* jura Cæsaris. (4) FRIDERICUS Barbarossa; sed hunc *Alexander* III. Papa Venetiis pedibus conculcavit, dicens ex Psalmo: *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & colla leonum conculcabis*: cumque *Fridericus* regereret, *non tibi sed Petro*, Papa denuo dixit, *& mihi & Petro*. (5) FRIDERICUS II. (6) ALBERTUS I. filius Rudolphi Habsburgici. Cum hic *Albertus* à Bonifacio VIII. Papâ confirmationem in Imperium peteret, Papa accinctus ense & coronâ imperiali ornatus prodiit in publicum & exclamavit: *Ego sum* Cæsar & Pontifex. sed PHILIPPUS *Pulcher* Rex Franciæ egregiè repressit hanc Bonifacii VIII. stultitiam hâc epistolâ: *Sciat tua maxima* fatuitas, *nos in* temporalibus *nulli subesse*. (7) & ultimus Imperatorum, quem Pontifices exercuerunt, fuit LUDOVICUS Bavarus. Sed hic adeò masculè repressit, & *gladio* & *calamo* Paparum ambitionem & affectationem Imperii, ut post illa tempora non ausi fuerint ulteriùs lacessere Imperatoriam Majestatem.

§. 7.

§. 7. Hodiè Imperium Rom. *hostem* publicum & formidabilem alium non habet quam TURCAM, maximè postquam occupavit anno 1660. & 61. *Transsylvaniam*, ac *Varadinum*, claustra & claves Germaniæ trans Danubium. Notabile est, quod non invadat *Turca* Germaniam *discordem* (nunquam n. sese immiscuerunt bellis Germanicis) sed Germaniam *concordem*. Hoc quidem videtur esse contra omnes regulas Politicas, sed nititur profundâ & solidâ ratione, quam aliquando legato cuidam exposuit *Caimachan*, hoc est intimus *Consiliarius* Imperatoris Turcici his verbis: *Germania* est densa & vasta *sylva*, per quam non possumus perrumpere, donec ipsi Germani inter se *discordes*, sylvam illam passim *exscindant*, & nobis viam *aperiant*. Turca propterea formidabilis est Germaniæ; quia exercitum habet ex omnibus nationibus compositum, qui & calores & frigora & famem, ac sitim, ac omnia denique climata perferre possunt: præcipuè quia Turcæ in exercitu *sobrii* & *temperantes* ac *disciplinæ* militaris sunt observantissimi: contra vero miles *Germanus* luxui & intemperantiæ assuetus, postquam venit in Hungariam, mox aëris & cibi potusque intemperantiâ *pestilentiam* contrahit, ac *morbo* potius quam ab *hoste* exstinguitur. Unde *Hungaria* Germanorum *cæmiterium* appellatur.

XII.

XII. Licet ***Principibus Germaniæ inter se & cum cæteris pro justâ*** **defensione** ***religionis & libertatis*** **fœdera** ***inire.***

De hoc acerrimè disputatum fuit superiori & nostro sæculo propter *fœdus* Smalcaldicum & *Unionem*, ac nunc etiam propter fœdus Principum quorundam pro defensione pacis. Politici inter se sunt discordes, & acerrimè calamo inter se justitiam vel injustitiam hujus fœderis disputant. Præcipua difficultas in eo consistit; quod talia fœdera contra *Cæsarem* videntur iniri, & pugnare cum juramento *fidelitatis*; Contra hanc difficultatem hoc repertum fuit remedium, ut in talibus fœderibus *Cæsar* & *Imperium* semper eximerentur. Alii superiori sæculo longè subtiliorem repererunt distinctionem, inter *Cæsarem*, qua *Cæsarem* & qua *non Cæsarem*. Unde superiori sæculo hic rythmus proverbialis fuit exortus linguâ Germanicâ *Vnd thuen hiemit gantzlich wider den Kaiser nit: der dann kein Kaiser ist*. Praxis approbavit sententiam affirmativam. Nam & *fœdus* Smalcaldicum, quanquam exitu infælix, tamen pro legitimo à *Protestantibus* fuit habitum. Ita *Mauritius* Elector Saxoniæ clandestinum fœdus cum Rege *Galliæ*

pro

pro libertate *Germaniæ* contra *Cæſarem perculſit*. Et ut ad noſtra tempora accedamus, nullam difficultatem fecit *Iohannes* Georgius Elector Saxoniæ, & omnes ferè Principes *Proteſtantes* per Germaniam, quin exiſtimarent ſibi licitum & liberum eſſe fœdus *defenſivum* cum *Suecis* & *Gallis* contra Cæſarem inire.

XIII. *Imperium Germanicum caret Potentiâ Navali.*

Omnis potentia navalis Germaniæ eſt penes Civitates Hanſeaticas, inprimis *Hamburgum & Lubecam*. Sed illarum civitatum præcipuus ſcopus eſt libera *mercatura*; ideo navibus ſuis non pro Imperio Germanico, ſed pro ſua ſalute ac commodo utuntur. Unde nunquam Imperatores Germaniæ aliquid eximium mari effecerunt. Primus FERDINANDUS II. conatus fuit ſtabilire & occupare Imperium maris *Germanici* ac *Baltici*, creato in eum finem Archithalaſſo imperii Duce *Fridlandiæ* ſive *Wallenſteinio*, ſed non perſuaderi potuit *Hamburgenſibus* & *Lubecenſibus* ut naves ſuas bellicas in eum finem commodarent. Obſtitit etiam Cæſaris conatibus pertinaci obſidione urbs *Straleſundia*, & Ordines Fœderati *Belgii*, ac Rex *Angliæ*, haudquaquam tolerare voluerunt; ut *Impe-*

Imperator vel unicum *portum* maris *Germanici* ac *Balthici* occuparet. Ab eo tempore neglecta jacuit omnis cura Imperii maritimi; quemadmodum nupero bello Danico fuit perspectum, ubi copiæ Imperatoris ne quidem exigua freta potuerunt trajicere, nisi aliorum navibus adjutæ.

XIV. Claustra *Imperii Germanici sunt versus* Turciam *Vienna Austriæ*: *versus* Poloniam *Uratislavia*: *versus* Daniam *Hamburgum & Lubeca*: *versus* Belgium *Colonia Agrippina*: *versus* Galliam *Argentoratum*. Mediterranea *præsidia sunt*; *in* Suevia *Augusta Vindelicorum*: *in* Bavariâ *Ratisbona & Noriberga*: *in* Franconia *Francofurtum*: *in* Thuringiâ *Erfurtum*: *in* Vestphaliâ *Monasterium*: *in* Saxoniâ *superiori* Lipsia: *in* Saxoniâ *inferiori* Brunsvicum, & Brema.

§. Hæc precipua sunt *munimenta* imperii Germanici, quibus amissis haud dubiè actum est de toto Imperio. Ideo in horum confer-

conservatione ab externis hostibus procul dubio salus Germaniæ consistit. Unde etiam in gravissimis bellis, non nisi aliqua ex his in potestatem hostium pervenerunt.

XV. *Plenaria* Reformatio *Imperii* sperari *facilius quàm* obtineri *potest.*

De *reformando* & ad antiquum splendorem *reducendo* Imperio Germ. inde usque ab anno 1521 acerrimè fuit disputatum & deliberatum per innumera colloquia, Conventus, Comitia. Sed cum verbis nihil proficeretur, tandem *reformatio* commissa fuit *gladio* & ancipiti bellorum aleæ: sed neque hoc modo omnes difficultates potuerunt tolli. Ideo quemadmodum corpora longa senectute detrita, & viribus jam senio exhausta, vix ulla arte medica possunt revocari ad pristinum robur & sanitatem; nisi fortasse fabulosa medicina illa universali nunquam in hac vita conspecta vel conspicienda; ita quoque sentiendum est de *Imperiis*, quæ cum iisdem mutationibus sunt obnoxia, quibus homines; frustra conamur contra naturæ ordinem ea ad antiquum splendorem revocare.



XVI.

XVI. Duraturum *est Imperium* Germanicum *ad* finem *usque mundi.*

Quanquam multorum exstent *Prophetiæ*, vel potius ex perturbato cerebro nata *vaticinia* de ruinâ & interitu Imperii Rom-German. ea tamẽ omnia hactenus non nisi *falsa* & *conficta* deprehenduntur. Indubitatus nobis est Propheta DANIEL, qui clarissimè tradit, *Quartum* Imperium, quod esse Romano-Germanicum nemo Historiarum peritus dubitare potest, duraturum usque ad finem mundi. Sed quia de *futuris* non judicat *Politica*, ideo omnia hæc divinæ *providentiæ* sunt relinquenda.

XVII. *Sub* CAROLO V. *Imperat.* Germania in *duas Factiones Romano* Catholicos *&* Protestantes *fuit scissa.*

Causa præcipua fuit clandestinum *odium*, quo plerique Germani *Curiam Romanam* propter intolerabiles extorsiones & ludibria prosequebantur. Eo enim res redactæ erant ut si Papa jussisset Germanis comedere fœnum, id plebs rudis vel etiam sapientes fecissent. Occasio fuerunt *Indulgentiæ*, quas quidam Monachus nomine Johannes *Tetzelius* per Germauiam venditabat tanta cum impietate,

pietate, ut diceret, *etiamsi quis* Virgini Mariæ *stuprum intulisset*, se *peccatum* data *pecunia* remittere posse. Huic nebuloni sese opposuit alius quidam Monachus *Martinus* Lutherus, qui initio abusum tantum taxabat: sed paulò post, quia *Papa* nolebat corrigi, & *Lutherus* nolebat revocare, facta fuit *generalis* defectio à Papa Rom. *clam* & in sinu gaudentibus Principibus, quod tandem aliquando favorabilem reperissent causam, qua *jugum* Papæ possent excutere. Facta fuit hæc defectio A. C. 1522. quo anno *Lutherus* Wittebergæ extra portam magnum ignem jussit incendi, & *decreta* ac *Bullas* Papales in ignem conjecit atque combussit, dicens: *Quia tu perturbasti* Sanctum Domini, *etiam te consumat* ignis æternus. A. C. 1529. exortum fuit nomen PROTESTANTIUM in Comitiis *Wormatiensibus*, cum nimirum Princeps Elector *Saxoniæ*, Landgravius *Hassiæ*, Civitas *Noribergensis*, & alii protestarentur contra decretum Cæsaris, ac ad Concilium *Universale* provocarent. A. C. 1530. exhibita fuit *Confessio* Protestantium, quæ vocatur *Augustana*.

§. 2. Sed ipsi *Protestantes* paulò post in duas partes fuerunt scissi, *Lutheranos* nimirum & *Reformatos*; Quod dissidium maximorum in Imperio malorum fuit causa. *Lutheranorum* caput erat & est hodie Elector

Saxo-

Saxoniæ, Reformatorum Elector *Palatinus* & *Brandenburgicus*. Sed hæ duæ factiones post diuturnas altercationes tandem *coaluerunt* pace Monasteriensi in *unum* nomen *Confessionis* Augustanæ: ita quidem, ut hodie *discrimen* nullum *Politicum* amplius inter eos supersit, & spes quoque præbeatur frænum aliquod impositum iri *calamo* & *ori* Pastorum ac Professorum, ne sese mutuò *condemnent*, sed *tolerent*, ac amicè controversias inter se *disputent*.

XVIII. *Ex hoc dissidio nata sunt duo Bella maxima* Smalcaldicum & *Bohemo*-Suecicum.

Bellum *Smalcaldicum* ita dictum à fœdere, quod Protestantes *Smalcaldiæ in* Hassia iniverant; cœpit ac finitum est anno 1547. Omnes n. *Protestantes* in potestatem *Caroli* V. pervenerunt, inprimis ipse Elector Saxoniæ *Iohannes* Fridericus captus in prælio apud Mulbergam,& *Philippus* Hassiæ Landgravius, qui spontanea deditione captivum se Cæsari stitit; sed contra datam fidem in carcere detentus fuit. Ita actum videbatur de causa Protestantium, nisi *Mauritius* novus Saxoniæ Elector repente & ex improviso *Cæsarem* oppressisset, ac ipsi omnes de Germania victorias momento oculi extorsisset.

Ita

Ita successit pax *Passaviensis*. A. C. 1552. qua Protestantes plenam sibi *libertatem* ac *exemptionem* à jugo Papali pacti sunt. Ita tranquillitas in *Germania* usque ad ann. 1618. quo ex eadem causa cœpit bellum *Bohemicum*, quod paulò post transmutatum fuit in *Saxonicum*, & denique à *Suecis pro* Germania liberanda gestum, per innumeras strages datas invicem atque acceptas usque ad annum 1648. quo Pax *Monasteriensis* statum Germaniæ in eam formam redegit, qua hodieque Dei gratia fruimur. *Protestantes*, Lutherani, pariter & Reformati, in *plenam* libertatem fuerunt asserti. Ausus tamen fuit *Papa* hanc pacem tanquam *Ecclesiæ* noxiam annullare: sed cruda ejus fulmina non magis curat Germania, quam strepitum foliorum.

II. DE IMPERIO TURCICO.

I. *Familia* Osmannica *Imperium Turcicum condidit*.

An. Ch. 1300. Conditor vasti hujus Imperii fuit OSMAN sive OTTOMAN, strenuus miles, natione Turca, qui collecta ad se prædonum manu, aliquot *Asiæ* minoris provincias occupavit, ac sedem Regiam posuit in urbe *Prusa* sive *Bursia*. Et hujus Ottomanni familia in hunc usque diem amplissimo

huic imperio, quod *Turcicum* vocamus, præest. Unde etiam *domus* vel *Porta* Ottomannica vocatur. Ejus successores primò in Urbem Thraciæ *Hadrianapolin*, deinde ipsam *Constantinopolin* Imperatoriam sedem transtulerunt; quod factum A.C. 1453. cum Mahometes II. eam urbem expugnasset, à quo tempore Imperium Turcicum supremum suum fastigium attigit.

§. 2. Quanta hujus Imperii sit *Magnitudo*, exinde patet, quod tres orbis partes, *Europam*, *Asiam* & *Africam* continua serie complectitur, & à *Danubio* ad *Tigrim*, à *Lybia* ad *Russiam* usque extenditur. In tam vasto Imperio non nisi quatuor amplissimæ urbes reperiuntur, & in quibus nervus totius Imperii Turcici consistit, *Constantinopolis* Thraciæ sive Romaniæ, *Aleppo* Syriæ, *Alcahira* Ægypti & *Bagdad* Babyloniæ: additur & quinta *Damascus* Syriæ.

§. 3. Habet sibi Turca etiam obnoxios (1) Reges *Tartarorum* Precopensium, in Europa, & Fez ac Maroco in Africa. (2) Principes *Arabum*, *Georgianorum*, *Moldaviæ*, *Wallachiæ* & *Transsylvaniæ*.

§. 4. Præcipua quæ ad mores & habitum Turcarum spectant hæc sunt. *Sinistra* manus ipsis dextra habetur dignior: *caput* tegunt albâ tiarâ sive *tulipando*, & qui ex Mahometis familia originem se trahere jactant, utuntur *viridi*,

ridi. Atque hoc signo distinguuntur à *Persis*, qui *rubro* capitis tegmine utuntur. Si quis Turca caligas *virides* gestet, capite plectitur: indignum judicant eo colore pudenda obtegere, quo Muhammed caput contexerit. Ergo in contemtum *Persarum* plerumque utuntur caligis *rubris*, sicut Persæ in odium *Turcarum* caligis ex *albo* colore. Honorem exhibituri suo Imperatori non solent caput nudare, ut Europæi, sed manu pectori admota se incurvare. Soli *Tartari* Precopenses Principem suum nudato capite venerantur. Ædificia privata per totam Turciam sunt tenuia, & plerumque ex ligno constructa: Publica veluti templa, balnea & publica diversoria, quæ vocantur Caravansarai, magnificentissima sunt.

II. *Imperium Turcarum est Despoticum, sive planè absolutum.*

§. 1. *Imperator* Turcarum est *absolutus* Dominus, & omnes ejus subditi sunt pura mancipia, quorum vita opes atque fortunæ omnes sunt Imperatoris, qui eas pro lubitu invadere, & in quemcunque vult, transferre potest.

§. 2. Hoc Imperium ita gubernatur. *Caput* ejus est ipse Imperator; proximum ab Imperatore locum obtinent illi, qui vocantur *Vezi-ri*, quorum plerumque sunt plures, inter quos loco ac dignitate primus supremam post Imperatorem potestatem obtinet, & ab hoc pri-

mo *Vezirio* totum Imperium gubernatur, ac is omnia Imperii onera, tanquam Atlas cœlum, solus sustinet, præcipuè quæ ad pacem ac bellum spectant. *Secundus* Vezirius appellatur lingua Turcica *Kaimachan* hoc est *Vicarius* supremi Vizirii. Nemo potest fieri *Vizirius*, nisi priùs fuerit *Bassa*. Cætera Imperii negotia per *Divanum* sive Senatum administrantur. Reliqui Magistratus sunt *Bassæ* id est Præfecti Regnorum & provinciarum, qui alio nomine etiam appellantur *Begler-Beg*, sive Principes Principum. *Sangiaki* præfecti territoriorum, *Chiausi* nuncii publici, *Kadiler* Judices, Subbassę Lictores: Et deniq; supremus Hortorum præfectus, qui vocatur *Bostangibassa*.

§. 3. Imperator quam plurimas habet Uxores & pellices, sed ex quacunque prognatus fuerit filius *primogenitus*, illa habetur pro Uxore ac *Sultana* vocatur. Hodierna Sultana hujus Imperatoris Turcici est natione Polona; quapropter Imperator Turcarum, cujus Mater habet maximam potestatem, admodum favet Polonis. Et hæc putatur fuisse causa ruinæ Ragotzki Principis Transylvaniæ, quod nimirum se contra placitum Imperatoris Turcarum, immiscuit bello Polonico

III. *Imperium Turcicum conservatur Sævitiâ, promptâ justitiâ, perpetuis* bel-

lis,

lis, *abstinentia à* vino, *fratrum* cæde, & vastitate *ac* solitudine *terrarum*.

§. 1. Nulli parcitur Vizirio, Bassæ, aut Magistratui; omnes subjacent securi. Supplicia sumuntur per *Chiausios*, qui triste decretum Imperatoris nigro panno involutum afferunt, ac statim supplicia exequuntur. In aulâ plerumque utuntur personis mutis ad supplicia magnatum exequenda, ne nimirum mandata Imperatoris aliis narrare possint.

§. 2. *Turcæ* semper aliquod *bellum* alunt, non tam Imperii propagandi ergò, quam ut suos ab otio & seditionibus abstrahant, ac disciplinam militarem conservent.

§. 3. *Abstinentia* à vino introducta est lege Muhamedis, & nititur ratione physicâ, quia cum Turcæ præsertim Asiatici, & Africani obtineant calidissimas regiones, in quibus generosissima vina proveniunt, quæ facilè enervant viros militares: Hinc perpetua abstinentia sancita fuit, ac per totum Imperium Turcarum vineta sunt excisa ac desolata, nisi quantum Christiani adhuc superstites colunt. Sed hæc lex parum religiosè nunc observatur à Turcis, qui ubicunque possunt, clam se ingurgitant vino, & deprehensi in facinore graves pœnas luunt.

§. 4. Præcipua *securitas* Imperii Turcici consistit in *cæde* fratrum. Novus enim Impe-

rator initium imperii facit à ſtrangulatione omnium ſuorum fratrum, non odio aliquo, ſed quod aliter non poſſit conſuli unitati & concordiæ Imperii Turcici, quod à pluribus facilè diſtraheretur.

IV. *Militia Turcica conſiſtit in* Janitzaris & Spahis.

Quanquam Turcæ ingentes exercitus in hoſtes producant, pleraque tamen illa turba ad prælium eſt inutilis, ac robur exercitus tantum conſiſtit in hoc duplici militum genere. *Ianizari* ſunt robur totius peditatus: *Spahi* ſunt robur totius Equitatus. Utrique eliguntur ex *Azamoglanis* ſive Tributariis liberis Chriſtianorum. Quippe liberi *Chriſtianorum* in infantia à parentibus abripiuntur. Hi in Turcarum lingua, religione ac moribus à teneris inſtituti ſunt *Seminarium* militiæ Turcicæ, & ubi ad ætatem virilem pervenerint, vel *Ianitzarorum* vel *Spahorum* ordini accenſentur.

§. 2. *Turcæ* quam facillimè ingentes exercitus cogere poſſunt, ex illis, qui vocantur *Timariotæ* & Feuda ac prædia militaria ab Imperatore poſſident, quorum ingens in tanto imperio eſt numerus ac pluſquam 435900. Timariotarum recenſentur, quorum vel minimus quinque aut ſex milites alere tenetur, ſine ullo ſumptu Imperatoris.

§. 3.

§. 3. *Auxiliares* copiæ, quæ vocantur *Asappi ex* Christianis conscribuntur, ac in bello præmittuntur, ut hostes primo impetu sua cæde delassent; nam jactura illorum nihil æstimatur, ut deinde succedentibus Janitzaris & Spahis faciliorem victoriam relinquant.

V. Classes *Turcarum sunt tres*, Constantinopolitana, Africana, & Ægyptia,

§. 1. *Turcarum* navalis potentia non est adeo magna, & ipsorum naves ac remiges rudis materiæ ac bellandi imperiti sunt. Hinc Turcia facillimè debellari potest mari, quemadmodum Respublica Venera terrestri bello impar Turcis, jam ultra vigesimum annum ipsorum vires sustinuit.

§. 2. Unicum tamen est, quod milites Turcarum contra omnes hostes solet animare, firmissima persuasio de *fatali* mortis termino, quem cujuscunque hominis in lucem prodeuntis fronti inscriptum credunt, & qui nulla ratione evitari possit. Hac Stoica fiducia animati neque pestilentiam metuunt, neque ullum periculum subterfugiunt, certi se non perituros ante fatalem illam & inevitabilem horam. Accedit & alterum ad audaciam augmentum, quod quicunque in prælio occumbunt, eos omnes beatos fore, ac recta in paradisum migrare credant.

VI. *Illicitum est inter Turcas de Religione disputare.*

Præses sive Supremus *Pontifex* vocatur *Mufdi*, quasi dicas Interpres religionis. Hujus sententiæ tanquam divino oraculo omnes se submittere tenentur, etiam ipse Imperator. Atque hic est supremus Controversiarum de religione Judex. Disputationes omnes de religione sunt prohibitæ, ex Edicto enim Muhammetis non ore vel calamo, sed *gladio* religionem suam propagare tenentur.

VII. *Liberum Cujuslibet Religionis Exercitium permittitur.*

Nemo inter Turcas cogitur religionem Mahometicam suscipere, sed omnibus religionibus, sola Idololatria Gentili excepta, sua relinquitur libertas. Atque hoc præcipuè medio Turcæ Imperium suum per Christianum orbem propagarunt, ita ut quam plurimi populi malint vivere sub Turca, permittente libertatem conscientiis, quam sub ipsis Christianis, præsertim ubi viget Hispanica inquisitio. Neque alia ratione potentior evasit Turca, quam quod Rex Hispaniæ omnes Judæos & Mauros ex suis Regnis A. C. 1609. proscripsit: tum enim plus quam 120000 in Afric. & ditiones Turcicas migrarunt, simulque artes Europæas, præsertim militares & mechanicas, Turcas docuerunt.

VIII.

VIII. *Desciscentibus à fide Christianis omnes dignitates patent.*

§. 1. Quanquam Turcæ neminem cogant ad ſuam religionem, variis tamen artibus, ſed præcipuè ſpe præmiorum, dignitatum, ac divitiarum, innumeros Chriſtianos ſponte ad ſe pelliciunt. Nam cum totum Imperium Turcicum conſtet ex quatuor Nationibus & Sectis, nimirum *Turcis* nativis & Aboriginibus, *Chriſtianis* apoſtatis, qui vocantur Renegati, *Chriſtianis* in fide permanentibus, & denique *Iudæis*: Soli *Renegati* ſive Chriſtiani *Apoſtatæ* ad ſupremas dignitates militiæ atque Imperii admittuntur, & nullus poteſt fieri *Vezirius* vel *Baſſa*, aut *Ianizarus* vel *Spahi*, qui non ſit Chriſtianis parentibus prognatus, & fidem abjurarit. Itaque gubernatio Ottomannici Imperii tota eſt penes Chriſtianos Apoſtatas.

§. 2. Quod autem ſpectat *Turcas* Aborigines ſive Nativos, nulla illorum ferè habetur ratio, quia ſolus Imperator *Ottomannicus* debet eſſe origine Turca: reliquæ omnes familiæ Turcicæ excluduntur ab adminiſtratione Reipublicæ, nec admittuntur ad majores dignitates, niſi quæ ſpectant Juſtitiam Criminalem & civilem, adeoque non poſſunt majores dignitates conſequi, quam ut fiant Judices, quos vocant *Kadi*.

§. 3. Accedit & aliud arcanum, quo Turcæ

Christianos ad se pelliciunt, quod omnes *Turcæ* & qui *Mahometicam* religionem amplectuntur, immunes sunt à tributo & oneribus, ac ipsis solis *arma* gestare licet. Quapropter innumeri Christiani partim ut ad dignitates perveniant, partim ut à gravissimis oneribus liberentur, fidem abnegant, & fiunt *Muselmanni*, ac Religionem Mahometicam suscipiunt.

IX. *Christiani per Imperium Turcicum sunt imbelles.*

Unde non est, quod illorum rebellionem metuat Turca. (1) quia plerique Christiani sub Imperio Turcico viventes religionem *Græcam* sectantur, & *Latinos*, sive Christianos occidentales cane pejus & angue oderunt. (2) quia sunt inermes, & in totum ab antiqua generositate defecerunt. (3) quia deprehendunt longe tolerabilius vivi sub Turca quam sub Christianis Principibus. Hinc plurimi per *Hungariam*, *Serviam*, *Bosniam*, *Dalmatiam*, pertæsi Christianæ dominationis ac Tyrannidis, domibus incensis cum suis liberis & opibus ad Turcas confugiunt, à quibus modestius tractantur.

X. *Turcæ Rebellionem patiuntur plerumq; à Præfectis Asiæ Orientalibus.*

Idque propter viciniam *Persarum*. Nam sicut

ſicut Præfecti *Perſarum* metu ſui Principis frequenter deficiunt ad Turcas: ita *Turcæ* ob eandem cauſam ad Perſas: hic nuper Baſſa Alepenſis cum tota ferè Aſia à Turca defecerat, ſed mira calliditate circumventus cum omnibus ſuis aſſeclis periit.

XI. *Turcæ locum ſemel captum non reſtituunt, niſi armis ipſis iterum eripiatur.*

Planè diverſa ratio Turcarum ac Chriſtianorum eſt. *Chriſtiani* poſtquam diu bella inter ſe geſſerunt, & alter alteri multa loca eripiunt, tandem pace facta, pleraque reſtituunt, atque ita æterna bella inter ſe alunt. Sed *Turcæ* perpetuo decreto nullum locum bello captum (niſi rariſſimè) reſtituunt, idque ſibi à Muhammede prohibitum expreſſa lege jactant. Quapropter qui vult pacem inire cum Turcis, is relinquat illis, quæcunque bello occuparunt neceſſe eſt.

XII. *Hoſtes Turcarum ſunt Germani, Veneti, Poloni, Moſcovitæ & Perſæ.*

Germanos Turca non valde metuit, neque tamen libenter eos bello aggreditur, *Moſcovitæ* propter fœdus cum Perſis & propter Græcam religionem maximè metuuntur à Turcis: ſed Turca, ut compeſcat Moſcovitam, *Tartaros*

Præcopenſes magno ſtipendio alit, atque eos ſubinde in Muſcoviam immittit; Perſæ ſunt jurati Turcarum hoſtes. *Cauſa* odii inter Turcas & Perſas eſt primo ex *religione*; quanquam enim utrique ſunt Mahometiſtæ, tamen diverſas ſectas ſequuntur. Perſæ enim ſunt Aliſtæ: Turcæ ſunt Omariſtæ. Hinc habitu quoque extremo diſcernuntur. Turcæ tegmine capitis *albo* vel *viridi*, utuntur: Perſæ rubro: Turcæ caligis rubris, Perſæ albis. Hodie Reſpublica Veneta ſola jam ultra 20. annos bellum contra Turcas pro *Candiâ* gerit. Germanicum brevi pace compoſitum fuit, Turcis parta retinentibus.

XIII. *Duo bella maxme horrenti Turcæ*, Perſicum & Hungaricum.

Perſicum ob longinquitatem & aſperitatem locorum. *Hungaricum* propter crebras arces, loca munita, & bellandi genus Turcis inaſſuetum. *Germaniæ* enim plerumque ſclopetis bella gerunt, Turcæ acinace.

XIV. *Ruina Imperij Turcici à Janizaris fruſtra ſperatur.*

Nihil magis metuendum eſt Imperatoribus Turcarum quam enormis illa poteſtas, multitudo & inſolentia Janizarorum, qui more Prętorianorum apud Romanos viventes, totum Imperium in ſua manu ſitum eſſe putant.

Hinc

Hinc frequentissimè apud Imperatores suos tumultuantur, atque illis pecuniam, vel vitam etiam præcipuorum ministrorum, pro lubitu extorquent. Sed hactenus manus abstinuerant ab ipsis Imperatoribus, donec tandem A. Chr. 1622. ausi fuerunt Imperatorem suum Osmanem II. publicè tanquam nefarium latronem strangulare,& novum Imperatorem in ejus locum eligere.Hoc exemplum repetierunt A. C. 1648.cum Imperatorem Ibrahimum II.simili exemplo strangularunt, ac in ejus locum elegerunt illum, qui hodiè imperat Muhamedem IV.

§. 2. Quanquam intolerabilis licentia sit *Ianizarorum*, frustra tamen per illos speratur eversio Imperii Turcici, quia *Ianizari* non destructionem Imperii, sed tantum Imperatorum quærunt.

XV. *Turcam* Germaniam Superaturum *incredibile*.

Jactantur quidem *Prophetiæ*, jam inde usque à 100.annis Turcam cum suis copiis usque ad Rhenum perventurum, atque equos suos Coloniæ Agrippinæ aquaturum. Sed omnia illa hactenus falsa deprehenduntur, neque credibile humanitùs videtur, Turcas per regionem adeò munitam & asperam penetrare posse.

XVI. *Turcarum Imperium duraturum videtur ad finem mundi.*

Neque obſtat illud, quod ſit Imperium *Tyrannicum* ac violentum. Nam ab *internis* hoſtibus nihil ipſi eſt metuendum, neque etiam ab *Externis* propter magnitudinem. Ita igitur ejus Imperium quoque duraturum ad finem mundi uſque credibile videtur.

III. DE IMPERIO RUSSICO SEU MUSCOVITICO.

I. Zech, Lech & Russ, *Tres* Fratres, *Condiderunt* Bohemiam, Poloniam, Ruſſiam.

§. 1. HI tres *fratres* fuerunt origine ex *Dalmatiâ* ſive *Sclavoniâ*, ac circa A. C. 500. ex *Sclavoniâ* ſive *Croatiâ* cum militari manu profecti in Sarmaticas regiones, tum ferè deſertas, ibidem fundamenta trium regnorum poſuêre, *Bohemiæ*, *Poloniæ*, Ruſſiæ. Nam ZECHUS cum ſuis occupavit *Bohemiam*: LECHUS tractum *Poloniæ* ad *Viſtulam*: Russ circa *Moſcoviam* conſedit. Hinc *Bohemi* hodieque vocantur *Zechi*, Poloni *Lechi*, & Muſcovitæ *Russ* ſive *Ruſſi*. *Ruſſia* eſt duplex, *Nigra* quæ Polonis, & *Alba* quæ Muſcovitis paret. *Ruſſi* appellati fuêre *Muſcovitæ* ab urbe Muſcow, in quam ſedem Imperii tranſtulit

circa

circa A. C. 1312. Dux *Georgius*. In tantam autem amplitudinem excrevit potentia Russorum, ut hodiè à finibus *Lituaniæ* usque ad fines Oceani glacialis, & terminos ipsius Imperii Tartarici, vagâ potentiâ dominentur. Hinc jure meritoque RUSSIA Imperiis accensetur, quod sub se complectatur *duo* Regna Tartarica, *Casan* & *Astrachan*, & à mari Caspio ac Persarum finibus ad oceanum usque glacialem & incognitas adhuc Asiæ interioris plagas, dominatur.

II. *Imperium* Russicum *est* Despoticum.

§. 1. Id est *absoluta*, & omnibus *legibus* soluta Monarchia. Tanta enim est auctoritas Magni Ducis, ut parem in toto Orbe terrarum vix habeat. Nam *Moscovitæ* longè abjectiùs serviunt, quam vel *Turcæ* vel *Tartari*. Unde *Muhammed* Bassa dicere solebat: *Solos* Moscorum ac *Turcarum* Principes esse absolutos ac veros dominos. Omnes igitur *Russi* Magnates pariter & plebs durissima servitute premuntur, neque aliud regimen naturæ ipsorum convenit: nam veluti *pisces*, quos *Asellos* vocamus, non sapiunt, nisi multis plagis contusi: ita *Russus* non fungetur suo officio, nisi *fustibus* adactus: bona libertatis ignorat. Et *gravissima apud eos* servitus est *carere Domino*. Sunt enim ex illo hominum genere, quos *Aristoteles* voca-

vocavit *Naturâ* servos; ideoque quò *duriores* dominos nanciscuntur, eò *magis* obediunt; Etiam *uxores* amorem maritorum suorum æstimant ex multitudine plagarum.

§. 2. Ipse autem *Imperator*, veluti Deus aliquis terrestris colitur: illum omnia *scire*, omnia *posse* credunt Russi: ab eo *vitam* suam, suas *opes*, suam *sanitatem* derivari, stolidâ *Simplicitate* credunt. *Voluntas* & *verba* Principis suprema *lex* sunt: nec secus ei obediendum censent, quam *Deo* immortali.

III. *Hoc Imperium Conservatur Ignorantiâ* literarum, *unione* religionis *&* *prohibitione* peregrinationis.

§ 1. Omnes *Russi* sunt homines *stupidi* & *ignari* artis atque scientiarum. Hinc *Scholas in* tanto Imperio nullas habent, nisi Alphabetarias: *legere* & *scribere* posse supremum Russicæ *sapientiæ est* fastigium. Et hoc ideò fit, ne quisquam Imperatore *doctior* evadat. *Solus* enim Imperator *omnia* scire debet, reliqui *nihil*; quod si quis plus scire velit, ille tanquam *perturbator* Reipublicæ, capite plectitur.

§. 2. De *Religione* inter Russos non licet disputare. Hinc nullæ inter eos *Sectæ*: idem *omnes* sentiunt, credunt, amplectuntur. Ita *soli* Russi consecuti fuerunt id, quod nullum aliud Imperium per totum orbem terrarum, nimirum absolutam *concordiam* in suâ religione.

§. 3.

§. 3. *Omnibus* Ruſſis ſub capitis ſupplicio interdictum eſt, ne *peregrinentur*, aut fines imperii egrediantur. Nam Imperator non vult ſuos ſubditos *peregrinis* moribus imbui: hinc ſolam Ruſſiam exiſtimant eſſe *Paradiſum*, neque extra eam ullos potentes dominos reperiri. Atque hæc tria ſunt ſuprema *arcana* Imperii Ruſſici.

IV. Religioni *Græcæ ſunt* addicti.

§. 1. Hinc ſolos *Græcos* & *Ruſſos* putant eſſe veros *Chriſtianos*, reliquos autem omnes *Apoſtatas*: ſed inprimis *Papam* Romanum, ac Eccleſiam *Latinam* immenſo odio proſequuntur. Quare *Euangelicos*, tam *Lutheranos* quam *Calvinianos* tolerant, & *templa* ipſis indulgent: ſed nunquam impetrari potuit ab ipſis, ut Romano-Catholicos tolerarent; quinimo ne *militem* quidem *Papæ* addictum in exercitu ferunt. Ex omnibus Sanctis maximè colunt NICOLAUM qui eſt magnus Ruſſorum patronus: illum majori honore, quam CHRISTUM proſequuntur, illi omnes victorias, placato, vel ſi iraſcatur, clades adſcribunt. Neminem tamen *cogunt ad* ſuam religionem: ſed ſi quis *uxorem Rußicam* ducat, is quoque *religionem* Ruſſicam accipere tenetur; nam nolunt tolerare connubia ſuæ nationis cum hominibus diſparis religionis.

V. *Li-*

V. *Limites suos* Sylvis & Desertis *muniunt*.

Extrema Imperii vacua colonis relinquunt, ut terra deserta à cultu hominum sylvescat, ac densis arboribus & imperviis tesquis descendatur, haud secùs ac civitas aliqua vallo. Et hæc res non minimam difficultatem præbet Polonis Russiam invasuris, antequam per invias illas sylvas & tesqua viam sibi aperiant.

VI. Militia *Russica consistit ex* Strelicis & Equitibus *indigenis, ac* Ducibus *exteris*.

§. 1. *Strelici* sunt *Pedites* sclopetarii, in quibus præcipuum robur militiæ Russorum consistit, *Equites* omnes sunt ex nobilitate, sive ut ipsi vocant ex *Bojaris*. Et horum numerus est ingens, ita ut 150000. Equitum facilè in aciem producere possint. In milite Russico sive Muscovitico laudatur inprimis *obedientia*, & laborum *tolerantia*. Paucis sunt contenti, & siquidem *allium* non desit, omnia sibi adesse putant. *Miles* est aptissimus ad oppida & castra defendenda, loca enim sibi commissa ad extremum usque spiritum incredibili *pertinaciâ* defendunt: sicut ex propugnatione arcis *Vilnensis* in Lithuania patuit quam Poloni non nisi diuturna Obsidione ad deditionem cogere potuerunt. Sed non eadem est Russorum virtus

in

in *prælio* campeſtri; ubi plerumque à Suecis & Polonis profligantur. Quippe *Ruſſus* quanquam valido & robuſto ſit corpore, ubi tamen ſemel in fugam vertit adeò abjecto eſt animo, ut ne mortem quidem deprecetur, neque inſequentibus reſiſtat, ſed pro lubitu ſe occidendum ipſis exponat. Conati quidem fuerunt Imperatores hanc ſuæ gentis imperitiam corrigere, conductis exteris militiæ *Ducibus* ac *Magiſtris*, unde plerumque aliquot millia Germanorum vel *Scotorum, in* Ruſſia publico ſtipendio aluntur, ut indigenas diſciplinam militarem erudiant: ſed parum hactenùs apud homines illos rudiſſimos fuit effectum, qui exteros omnes præ ſe contemnunt, neque illorum juſſis obedire volunt.

VII. *Incrementa maxima cœpit ſub* Baſilio *&* Johanne *Baſilide.*

Idque ab A. C. 1500. *Baſilius* primum ſeſe appellavit CZAR id eſt *Cæſarem*, cum hactenùs *Welikiknefæ* Magni Duces vocarentur. Intellexerant enim Ruſſi, quod ſupremus Princeps Chriſtianorum appellaretur CÆSAR: quapropter ne ipſo eſſent inferiores, & ipſi nomen *Cæſaris* aſſumpſerunt, & ſeſe vocari juſſerunt *Czar*, quod eandem apud ipſos ſignificationem cum nomine Cæſar habet. *Iohannes Baſilides* Regna Tartarica *Caſan* & *Aſtrachan* ſubegit, ac limites imperii *Ruſſici* uſque ad *Perſiam* ac *Mediam* propagavit. §. 2.

§. 2. Post *Iohannem* Basilidem Russi susceperunt expeditiones versus *Septentrionem* & *Orientem*, ac colonias deduxerunt usque ad Oceanum glacialem, ac innumeros populos ad *Christianam* religionem sive *Græcam* adduxerunt, non *bello* sed *legationibus*: cum illis ostenderant bona & commoda, quæ ex conversatione Russorum possent consequi. Ita *Samojedæ*, *Obdoræ*, *Condoræ*, *Iugori*, *Lucumores*, *Molgjomai*, & quamplurimi alii populi spontè se subjecerunt Imperatori Russorum, & ab illo in fide Christianâ, pro captu gentis, utcunque fuerunt instructi. Hodiè Imperium *Russorum* versus Septentrionem ac Orientem non habet certos limites, sed magis magisque commerciis ac coloniis dilatatur. Credunt hodierni Russi suum ALEXIUM Michälowitz fore *Quintum* Monarcham & *Christum* visibilem in terrâ, sicut retulerunt fide digni in nupero bello Sueco Polonico à Russis capti, qui id ex Patriarcha eorum audiverunt, cum Riga obsideretur. De quo aliàs.

VIII. Hostes *Imperii Russici sunt* *Tartari*, Poloni, Sueci, & Turcæ.

§. 1. Nullos infensiores hostes habent Russi, quam *Tartaros*, qui ex desertis Europæis & Asiaticis anniversarias expeditiones in Moscoviam

viam suscipiunt, ac instar fulminis totam regionem celeritate equorum suorum obruunt. Hi *Tartari* A. C. 1230 totam Russiam occuparunt & sibi tributariam reddidêre, ita quidem ut per 300. annos Tartari Moscovitis pro lubitu *Duces* & darent & adimerent. Donec tandem circa A. C. 1500. *Basilius* hanc Tartaricam servitutem excussit, & ab eo tempore Russi exemti quidem fuerunt à subjectione Tartaricâ, sed tamen pacem annuis *donationibus* redimere coguntur, nisi totum imperium suum vastitati exponere malint, quemadmodum A. C. 1570. centum millia *Tartarorum* repentè oppresserunt urbem *Moscow*, ac totam in cineres redegerunt, incredibilique hominum multitudine in servitutem abstractâ opibus graves in Scythiam suam sunt reversi. Multoties quidem conati sunt Russi hoc regnum Tartariæ *Præcopensis* destruere, sed irrito successu, quandoquidem *Turcæ* Tartarorum causam in se susceperunt, ac solitudines ipsæ nullum bello vel victoriæ locum relinquerent.

§. 2. Tartaris conjuncti sunt *Turcæ*, sed qui rara bella contra Moscovitas gerere possunt, nisi ope & interventu Tartarorum. Cum ante sesquisæculum Turca vellet fluvium *Tanaim* derivare in *Volgam*, atque ita copias suas per mare *Caspium* in Persiam infundere, acerrimè se huic consilio opposuerunt *Russi*, & ipsi

Tartari

Tartari cum *Cosaccis*, *ac* omnes copias *Turcarum* internecione deleverunt.

§. 3. Inter *Polonos* & *Russos* ab aliquot sæculis continua fere fuerunt bella, propter contiguos & ambiguos limites. *Poloni* prævalent certamine campestri, *Rußi* obsidionibus & defensionibus urbium. Omnium inter Polonos & Russos bellorum pretium est Ducatus *Smolensko* & *Severiæ*, quos *Rußi* asserunt esse suos, *&* *Poloni* armis repetunt. Ita hodieque inter duas illas nationes acri bello certatur, præsertim postquam *Cosacci*, cum totâ Russiâ nigrâ, quam vocant *Vkreinam*, ad Russos defecerunt.

§. 4. Versus Septentrionem *Rußia* non habet alios hostes nisi *Suecos*. Præcipua controversia est de *Livonia*, quam cum *Iohannes* Basilides Magnus Dux Moscorum occupasset, aliquæ civitates, velut *Revalia*, sese protectioni Suecorum submiserunt: qui tandem successu armorum & *Russos* & *Polonos* Livoniâ expulerunt, eamque suæ coronæ tanquam *Provinciam* hæreditariam adjunxerunt. Atque hæc hodierni inter *Suecos* & *Russos* belli causa est, cum utrinque pro *Livoniæ* possessione certetur.

IX. *Claustra Imperii Russici sunt versus* Finlandiam & Sueciam *Emporium*

rium S. Michaëlis Archangeli, ac Novogardia *magna: versus Poloniam* Pleskow & Smolensko; *versus Tartariam* Casan & Astrachan.

§. 1. Emporium *Archangeli* inter præcipua munimenta Imperii Russici in Septentrione recensetur, propterea quod omnia Russiæ mercimonia per Oceanum Septentrionalē supra *Lapponiam & Finmarchiam* in illud & importari & exportari possint, prætermissio mari Baltico. Primi repertores hujus navigalionis fuerunt *Angli*, qui circumnavigata totâ *Norwegia & Lapponia*, pervenerunt ad urbem S. Archangeli & S. Nicolai, ac ostenderunt Europæis, posse cum *Russis* commercia exerceri per plagas illas Septentrionales, quæ hactenus censebantur esse innavigabiles. Occasio fuit bellum inter *Danos & Suecos*, & inter *Suecos & Russos*, quod in Mari Baltico tum temporis gerebatur. Cum enim exteri prohiberentur *libera commercia* exercere in mari Baltico, sub prætextu, quod res ad bellum spectantes hostibus, præcipuè *Russis*, suppeditarent: navigatio ab *Anglis* mercatoribus versus Septentrionem fuit instituta, quæ ab eo tempore florentissima fuit, præsertim quia Magnus Dux *Moscoviæ* maxima privilegia indulsit omnibus illis mercatoribus, qui ad emporium

rium *S. Archangeli cum* suis mercibus navigarent. Inter mediterraneas versus Sueciam urbes, præcipuum locum obtinet *Novogardia* Magna, quæ olim totius Russiæ fuit caput, & tantæ potentiæ, ut proverbio diceretur: *Quis potest contra* Deum & magnam *Novogardiam?* Sed hæc jactantia fuit repressa à Suecis circa A. C. 1608 vel 9. cum *Sueci* sub auspiciis *Ponti* de la Garde cum exercitu 6000. 100000. Russorum ex urbe *Novogardia* expulerunt, ac ipsam urbem in potestatem suam redegerunt.

§. 2. Urbs *Smolensko* est pomum discordiæ inter *Polonos & Russos*: quippe alternatim illam urbem sibi eripiunt. Nam circa annum 1500. quidam Polonus nobilis nomine Michael *Glinski* ad Moscos defecit, ac ipsis urbem *Smolensko* tradidit; quam postea Poloni acerrimo bello recuperarunt. Sed iterum in Russorum potestatem redacta fuit, donec tandem A. C. 1610. cum tota Russia factionibus civilibus esset distracta, Poloni urbem *Smolensko* recuperarent. Sed A. C. 1634. denuo Moscovitæ illam urbem gravissimâ obsidione cinxerunt; Sed tantâ cum perfidiâ suorum Ducum ut totus Exercitus in potestatem Polonorum pervenerit, neque unquam turpiùs succubuerint Russi. Dux ipsorum Generalis erat quidam Hermannus *Schein*, qui suâ superbiâ tantæ cladi causam præbuit, ac propterea pertinacibus odiis à Russis ad supplicium postulatus fuit: quan-

quanquam Patriarcha & ipse Imperator eum eripere conarentur; tamen capite fuit mulctatus, & filius ipsius scuticis in mortem flagellatus. Sed in fatali illâ & nuperâ Poloniæ confusione, denuo Russi *Smolensko* obsederunt, ac non illam modo, verum totam *Rußiam* nigram ac magnam partem *Lithuaniæ* occuparunt, atque hactenus bellum contra Polonos continuant.

X. Russia *gravissimè fuit perturbata à* Pseudo-Demetriis.

§. 1. Longa est Historia, longæ ambages: summa huc redit. Quidam Impostor à *Iesuitis* Polonis subornatus & instructus fingebat se esse *Demetrium*, Johannis *Basilidis* filium, qui *Demetrius* in infantiâ dudum fuerat occisus. Tanto artificio hæc fabula fuit peracta, ut hic falsus *Demetrius* A. C. 1604. Imperator Russorum fuerit coronatus, adjutus copiis Polonorum & filia Palatini *Sendomiriensis* in uxorem ductâ; sed cum hic *Demetrius* à Russorum moribus & religione Græca se alienum ostenderet, Russi fraude deprehensa, impetu in aulam facto, ipsum obtruncarunt. Mox alius atque alius *Demetrius* emersit, ac toties occisus *Demetrius* semper à mortuis quasi resurgebat. Ita *Rußi* capite destituti, facti fuerunt præda *Tartarorum, Polonorum & Suecorum*. Nam Poloni expugnata urbe *Moscow*, infinitas divi-

tias & inæstimabiles thesauros priscorum Ducum in prædam suam converterunt; ita quidem ut præ nimia copia *margaritas* immensi pretii loco plumbeorum globorum ex sclopetis suis exploderent. *Rußi* inter se discordes, alii creaverunt Magnum Ducem *Vladislaum* Poloniæ, alii *Carolum* Succiæ principes: sed hæc omnia augebant mala Russiæ, donec tandem quidam ex infima plebe nomine *Zacharias* Lippenow, lanius, habitans in Septentrionali provincia, quæ vocatur *Dwina*, progressus in medium dixit: *perire Rußiam*, creandum esse *Ducem* ex *Rußica nobilitate*, & *ærarium* fido quæstori committendum. Hujus hominis ductu *Russi* statim decreverunt omnes exteros expellere & indigenam Principem eligere. *Zacharias* factus *Dux* Exercitus & *Quæstor*, Polonos Moscoviâ ejecit & Magnum Ducem elegit MICHAELEM Fedorowitz, qui brevi tempore Russiam restituit, & cum *Suecis* ac *Polonis* pacem inivit, cujus hodiè filius ALEXIUS Michaclowitz Russorum imperio potitur.

XI. *Frustra aliquoties conati sunt Mercatores per* Moscoviam *&* Persiam, *terrestri itinere, in* Indiam *commercia exercere.*

§. 1. Consilium hoc jam sesquiseculo fuit agita-

agitatum, ut commercia aromatum & aliarum mercium Indiæ Orientalis, Lusitanis eriperentur, qui longâ & periculosâ Africæ circumnavigatione soli illas divitias occupabant. Propterea civitates maris *Balthici* existimabant breviori compendio per *Muscoviam & Persiam* posse exerceri illa commercia, per fluvium *Volgam* & mare *Caspium*, unde facilè merces possent deportari fluvio *Duna* Rigam, vel fluvio *Duinâ* ad oppidum Archangeli.

§. 2. Hoc consilium circa A. C. 1636 Dux *Holsatiæ* FRIDERICUS magnificâ legatione in Russiam & Persiam missa denuò susceperat, sed irrito successu, quandoquidem aliæ nationes id impedire conabantur. Quam totam legationem *Olearius* prolixè descripsit.

Hæc de tribus Imperiis.

CAP. III.

DE REGNIS.

I. Regna *sunt vel* Occidentalia *vel* Septentrionalia.

II. Occidentalia *sunt* Hispania, Gallia & Britannia.

III. Septentrionalia *sunt* Dania, Suecia & Polonia.

De Regno Hispaniæ.

I. Potentiam *Hispanorum fundavit* Ferdinandus *Catholicus*.

(1) PEr conjunctionem *Arragoniæ*, *Castiliæ*, Siciliȩ, *Neapolis* & *Navarræ*. (2) detectione & occupatione *Novi* orbis. (3) conjugio filiæ suæ *Iohannæ* cum *Philippo* Archiduce Austriæ. Atque ita obscurum hactenus Hispaniæ regnum, repentè spem ac successum Quintæ alicujus Monarchiæ concepit. Titulus fuit Ferdinando tributus Regis *Catholici*, haud obscuro omine Hispaños totum orbem terrarum sua potentia, sed inani successu, resistentibus Gallis complexuros.

II. *Summum Incrementum & Decrementum Hispania sub* Philippo II. *accepit*.

Per accessionem Portugalliæ. Ita tota *Hispania* in unius Regis potestatem concessit, ac totum terrarum orbem complexa fuit, unde magnifica illa de Hispanorum immensis dominiis elogia: *Solem* in Hispaniæ Regis territorio semper *oriri & occidere*, & quæ alia quamplurima apud *Oratores* vel *Poëtas* occurrunt, nulla vanitate aut adulatione conficta: quandoquidem quod antiqui Poëtæ de *Augusto*, & aliis Imperatoribus finxerunt, id in *Hispanis*

ſpanis ſuperiori ſæculo completum fuit. Nam ſola *Hiſpania* IV. orbis terrarum partes præcipuas, *Europam*, *Africam*, *Aſiam & Americam* complexa fuit, ac plus terrarum & hominum occupavit, quam *omnes* Antiquæ Monarchiæ, ſi vel in unum corpus compingantur. Sed ſicut *Portugallia* incrementum: ita *Batavia* decrementum *Monarchiæ* imaginariæ *Quintæ* fecit & Plus *Citra* ſubſiſtere juſſit.

III. *Hujus* Vaſtiſſimi *Regni Membra conjunguntur duabus* Claſſibus.

§. 1. Unicus *defectus* in hoc ingenti Regno Hiſpanico à Politicis deprehenſus fuit, quod membra ipſius per totum orbem diſperſa, haud rectè ad mutuam *defenſionem* vel *auxilia* conjungerentur: Sed huic vitio remedium hoc repertum fuit, ut *duabus* claſſibus, veluti *nervis*, omnes partes hinc inde diſperſæ, conjungerentur. Aluit igitur Rex Hiſpaniæ duas claſſes perpetuas, unam in *Oceano*, quâ *Indiam* Occidentalem defendit: alteram in mari *mediterraneo*, qua *Italiam* Hiſpaniæ conjungit: *Tertiam* aliquoties volebat addere, qua provincias *Belgicas*, Oceanum *Germanicum*, ac mare *Balticum* complecteretur: ſed irrito ſemper ſucceſſu. Quotieſcunque enim Hiſpanica claſſis in mare *Septentrionale* deſtinabatur, ſemper *confracta* ac *peſſundata fuit*.

Quod docent *Classes* Hispanicæ anno 1588. & 1640. inter *Flandriam & Angliam* miserabili clade oppressæ. Nam classis anni 1588. tantæ fuit potentiæ, ut omnibus marium peritis vocata fuerit INVINCIBILIS: quippe quæ plus quam 30000. militum suis alveis complectebatur, cui sese pari cum numero militum conjungere debebat Dux *Parmæ* Belgii Gubernator. Sed omnis ille apparatus intra paucos dies à Belgis & Anglis fuit dissipatus; ita ut vix paucæ naves in Hispaniam fractæ, ac laceræ remearint. Neque minor apparatus fuit Anno 1640. cum *Hispanica* classis denuo fretum *Anglicum* ingressa, paucis diebus virtute Martini TROMPII (cujus memoria in benedictione) Archithalassi, aperto prælio fuit deleta; ita ut mare *Germanicum* Hispanorum fortunæ semper fuerit infestum.

IV. *Regnum* Hispaniæ *debilitatum fuit à* Belgis & Portugallis.

§. 1. Nulla potentia humana resistere potuisset *Hispanicæ* magnitudini, quo minus totum orbem terrarum suo Imperio complecteretur, si *Belgicas* provincias eâ cum mansuetudine regere potuissent, ne se illorum imperio subducerent. Quæ enim vis resistere potuisset, si Belgicæ classes pro Hispanis in Septentionem pugnassent? Sed Deus pertæsus Superbiæ Hispanicæ PHILIPPUM II. turpiter errare ac contra

tra omnes regulas politicas peccare passus fuit, ut existimaret Belgarum libertatem terrore edictorum ac suppliciis posse infringi: tam infelici successu, ut cum *Belgæ* viderent, *Hispanos* absolutam dominationem velle introducere, desperatâ audaciâ, ipsi exiguis viribus, sed animo pro libertate in mortem obfirmato sese opposuerint, ac bello octoginta annorum tandem extorserint Hispanis confessionem sui erroris, ac ipsos hanc regulam docuerint: Liberis gentibus libere esse imperandum.

§. 2. A. C. 1640. iterum defecit *Portugallia*, ac dimidiam partem Imperii Hispanici secum abstraxit, ita ut hodiè Rex Hispaniæ non nisi dimidiam magnitudinem majorum suorum obtineat. Actum fuit acriter de *Portugalliâ* debellandâ, verum irrito successu, cæsis ad *Evoram* Castilianis memorabili ad omnem posteritatem prælio, JOHANNE II. Austriaco, ne quid fatali omini deesset, Imperatore.

V. *Hostes* Hispanorum *perpetui sunt Galli.*

§. 1. Postquam Ferdinandus Arragonius tot regnorum conjunctione fundamenta posuerat Quintæ alicujus Monarchiæ: GALLI qui hactenus *Hispanos* tanquam impares neglexerant, ab eo tempore perpetuis quasi bellis crescentem eorum potentiam defatigarunt. Quod inprimis factum fuit, cum KAROLUS V. Rex

Hiſpaniæ imperium quoque Germanicum conſecutus fuiſſet: Hinc atrocia illa bella inter *Carolum V.* & *Franciſcum I.* inter *Philippum II.* & *Henricum* II. Sed Philippus II. cum Galliam ſuis conatibus tam pertinaciter adverſari videret, non bello, ſed factionibus florentiſſimum illud regnum ſtatuit opprimere; in quem finem excitavit Sacram Ligam, ut tum vocabatur, qua per 30. fere annos Galliam miſerrimè afflixit, donec tandem Henricus IV. velut novus aliquis Hercules capita illius hydræ contunderet, ac partim ferro reſecaret, partim igne exureret. Ita Gallia recuperavit antiquum animum, ac Hiſpanicæ potentiæ conſtanter iterum ſe oppoſuit: donec tandem præterito anno inter Hiſpanos atque Gallos poſt diuturnum 26. ann. bellum pax conjugio fuit ſancita.

§. 2. Eſt a. inter Gallos & Hiſpanos contrarietas quædam naturalis, ita ut omnia habeant contraria, neque minor ſit diſparitas inter duas illas nationes, quam inter aquam & ignem: ut peculiari libello illa Gallorum ac Hiſpanorum repugnantia fuit deſcripta. Ita nunquam poteſt ſe movere alterutra natio, quin ſtatim altera ſit in armis, ac ſeſe conſiliis ipſius opponat.

VI. Conſilia & Actiones Hiſpanorum ſunt lenta & tarda.

§ 1. *Hiſpani* cum ſint temperamento melan-

lancholico & atra bile abundent, hinc omnes ipſorum actiones & conſilia tarditatem & nimiam gravitatem repræſentant, ita ut plerumque occaſiones rerum gerendarum prætermittant, dum momenta rerum nimia ſcrupuloſitate expendunt. Sunt potius *Fabii*, quam *Marcelli*, cunctatores quam feſtinantes. Hinc tanta inter ipſos & Gallos eſt naturarum contrarietas: cum Galli in omnibus actionibus ſint præcipites ac feſtinabundi, qui *furore* potius & *impetu*, quam *conſilio & ratione* res ſuas adminiſtrant. Quapropter Gallorum *levitatem* Hiſpani ſua *conſtantiâ* frangunt, non ſecus ac rapida flumina rupibus franguntur. Quanquam igitur Galli plerumque ſuperiores ſint bello, tamen conſilio & mora Hiſpanorum, fructum victoriarum ferè amiſerunt ac in contractibus pacis plerumque inferiores deprehenduntur.

XII. Hiſpani *affectarunt Monarchiam quintam.*

Cauſa fuit inuſitatum illud incrementum Hiſpaniæ per *Americæ* detectionem, cum præterea fortuna certatim ampliſſima Regna & potentiſſimos populos illorum Imperio adderet. Hinc Hiſpani immenſis opibus ſuis ac ditionibus freti ſpem alicujus *novæ*, h. e. *quintæ* Monarchiæ conceperunt, atque in illo conſilio non abſque manifeſta ſpe ad noſtra uſque

tempora perseverarunt. Habebant *Germaniam* sibi obnoxiam propter affinitatem domus Austriacæ: *Italia* ipsis magnam partem erat addicta: sola *Gallia & Anglia* immensæ spei sese opponere poterant. Sed *Galliam* perturbabant factionibus *Sanctæ* Ligæ: *Angliam* sperabant expugnari posse prævalida illa classe A. C. 1588. Ita *Belgas*, quorum tunc exiguæ vires, facilè sub potestatem venturos. Sed omnia hæc consilia successu caruerunt, ac tantum abest, ut Hispania *Monarchiam* Europæ consequeretur, ut potius plerique Reges & Principes sese quam acerrimè opposuerint huic Hispanorum ambitioni, præsertim à quo tempore Cardinalis *Richelius* Gallorum potentiam administravit; Cujus etiam industria *Lusitani* defecerunt, ita ut nunc Hispania, intestino ac domestico hoste laborans & immensis cladibus fracta atque imminuta, ægrè præsentem suum statum tueri possit, & consilia Monarchiæ consequendę deponere cogatur.

§. 2. *Prætextus* consequendę hujus Monarchiæ erat defensio & propagatio religionis *Catholicæ*, cujus se supremum Protectorem Rex Hispaniæ venditabat, & *Hæreticorum*, ut vocantur, exstirpatio. Nam his duabus rationibus Hispani omnes suas ambitiones palliare fuerunt soliti, quod non studio potentiæ amplificandæ, sed pro *defensione* Ecclesiæ Romano-Catholicę, & ad exstinguendas *hæreses*, bellum sacrum

facrum gererent. Sed hæc pia fraus adeò fuit deprehensa ab ipsis Catholicis, ut hodiè non nisi cum ludibrio illa uti possint.

VIII. Hispania *laborat inopia* Pecuniæ & hominum.

§. 1. Quanquam *Hispania* auro & argento Americano totum orbem impleverit, ipsa tamen adeò est exhausta, ut vix alia moneta quam *cupreâ* utatur; ac præsertim Belgæ, cum bellum Hispanicum duraret, monetâ cupreâ ingenti numero clam illata, aurum & argentum Hispanicum ad sese transtulerunt. Ita ut mirabili quodam modo Hispania inter infinitas opes semper sit *inops* ac bulimia laboret, & nunquam satiari possit opibus, quas ex America advehit, immensis.

§. 2. Nec minor hominum est indigentia. Nam cum Hispania ingens terrarum spatium ambitu suo complectatur, pauci tamen *Incolæ* pro tanto corpore reperiuntur, & magnam partem desolata atque inculta jacet. *Causa* reperitur triplex (1) propter colonias, quas in *Americam & Indiam* Orientalem frequentissimas duxit. (2) propter bella externa *Italica & Belgica*, quæ omne robur Juventutis Hispanicæ exhauserunt. (3) ob proscriptionem *Iudæorum & Maurorum*. Nam Anno C. 1610. ex Hispania pulsi fuerunt novi Christiani, h. e. quicunque ex Mauris abnegato Mahomete reli-

gionem Christianam amplexi fuerant. Horum numerus superavit plus quam *duodecies* centena millia hominum; ita, ut *integræ* in Hispaniâ provinciæ desolatæ jaceant, quæ olim fuerunt populosissimæ.

§. 3. Contra hanc hominum inopiam varia excogitata fuerunt consilia, sed præcipuum in eo consistebat, ut matura *conjugia* & procreatio liberorum multis privilegiis & immunitatibus promoverentur: Si quis 18. anno ætatis uxorem duceret, liber erat à tributo. Si quis sex liberos masculos simul viventes procrearet, is majoribus adhuc dignitatibus fruebatur.

IX. Hispani *exteris populis sunt* exosi.

Propter mores *superbos & tyrannidem*. Inprimis *Inquisitio* Hispanica omnes populos Christianos odio & terrore Hispanorum implevit, neque alio argumento *Wilhelmus* Princeps Auriacus acrius incendit Belgarum animos, quam quod diceret: eos *homines vivos comburere propter religionem*.

X. Philippus II. *controversiam* Gallis *primus movit* de præcedentia.

Regem *Galliæ* inter omnes Reges Christianos primum obtinere locum, nemo in dubium vocavit, usque ad tempora Philippi II. Regis Hispaniæ, qui Gallis litem movit de præcedentia non alio argumento, nisi quod

major

major sua esset potentia, quam Gallorum. Controversia illa acerrimè non tantum inter Politicos *calamo*, verum etiam inter milites *bello* fuit disceptata, neque hactenus finiri potuit, quandoquidem duo potentissimi competitores nullius arbitrio suam causam volunt committere. Ita quotiescunque conveniunt Legati *Gallorum & Hispanorum*, neuter præponi solet, sed variis artibus *ambigua* illa lis ita tractatur, ut uterque suam dignitatem quasi integram retineat, neque alter alteri quicquam de sua prærogativa concedat. Magno se JUDICE quisque tuetur.

XI. Hispani *exteras Nationes* Castellis *in officio continent.*

§. 1. Præcipua Castella Regni Hisp. per Europam sunt tria: *Mediolanense, Neapolitanum & Antwerpiense.* His tribus veluti frenis coërcet exteras nationes sibi subjectas, quas scit Hispanicum Imperium non nisi *metu* ac *vi* coactas tolerare.

§. 2. Constituerant Hispani per XVII. Provincias *Belgicas* in singulis urbibus *castella* condere, ut *Belgas* quantumvis reluctantes sub ditione sua continerent; sed consilium hoc adeò fuit *infelix*, ut hæc una ex præcipuis motuum & tumultuum causis fuerit, neque unquam acrius exarsit vindicandæ libertatis studium, quam quotiescunque Hispani *castella*

struere

ſtruere conabantur. Quemadmodum apparuit *Ultrajecti, Groningæ* & alibi.

XII. *Clavis* Americæ *eſt portus* Havana.

Hiſpani Americam, portu *Havana*, velut clave quadam & ſibi *aperiunt* & exteris nationibus *claudunt*. Eſt autem illud unicum potentiæ Hiſpanicæ per Americam firmamentum. Hinc claſſes Hiſpanicæ emittuntur in Europam, & ex Hiſpaniâ miſſæ recipiuntur. Quicquid auri & argenti America ſuppeditat, illud omne portu Havana recipitur, qui tot arcibus& propugnaculis eſt munitus, ut omnium judicio inexpugnabilis cenſeatur: quapropter quicunque claſſibus auriferis Hiſpanicis inſidiantur, illi ſemper circa Havanam excubias agunt. Certè non aliâ viâ divitias Americanas in Hiſpaniam deferri poſſe patet, quemadmodum Hollandis ann. 1629. tam feliciter is conatus ceſſit, ut totam claſſem Hiſpanicam ex portu Havana egredientem cum omnibus theſauris abſque cæde & ſanguine, momento quaſi oculi interceperint.

XIII. Divitiæ *Hiſpanorum conſiſtunt in* America.

§. 1. In *Americâ* Rex Hiſpaniæ poſſidet *inexhauſtas* auri & argenti venas, quæ tantam copiam divitiarum ſuppeditant, ut *Hiſpani* profi-

profiteantur, nisi bello Belgico istæ opes fuissent exhaustæ, sese omnes suas ædes *auro & argento* contegere potuisse. Incredibilia sunt, quæ de immensis opibus ex America in Hispaniam delatis referuntur. F*odinæ* illæ reperiuntur partim in nova Hispania *Mexicana*, partim in *Peruvia*, *ubi* extat mons *Potosi* totus argento refertus, ita ut vix sufficiens hominum copia reperiri possit ad opes illas ex terra eruendas, quanquam nunc paulatim illam ubertatem exarescere, concussis vel absorptis terræ motu aliquot montibus, fama referat.

§. 2. Accedit haud minus lucrum ex præstantissimis quibusdam mercimoniis, quæ ex sola America inde in reliquam Europam deferuntur, inter quæ principem locum obtinet vermiculus quidam, ex quo conficitur præstantissimus & summi pretii color purpureus, qui vocatur *Cuchenillie*. Accedit immensa *sacchari* copia, cujus tantam multitudinem *Brasilia* profundit, ut sola totum orbem eo condimento implere possit.

§. 3. Sed hoc infortunii accessit Hispanis, quod frequentissimis *naufragiis* Oceanum impleant, antequam illas opes in Hispaniam deferre possint. Integræ sæpenumero *classes* ab *irato* mari cum omnibus opibus absorbentur, præsertim in freto *Bahama*, quod atrocissimis tempestatibus infestum. Spirat enim ibi quidam ventus, quem vocant *Orcanem*, cujus tanta est

ſtruere conabantur. Quemadmodum apparuit *Vltrajecti*, *Groningæ* & alibi.

XII. *Clavis* Americæ *eſt portus* Havana.

Hiſpani Americam, portu *Havana*, velut clave quadam & ſibi *aperiunt* & exteris nationibus *claudunt*. Eſt autem illud unicum potentiæ Hiſpanicæ per Americam firmamentum. Hinc claſſes Hiſpanicæ emittuntur in Europam, & ex Hiſpaniâ miſſæ recipiuntur. Quicquid auri & argenti America ſuppeditat, illud omne portu Havana recipitur, qui tot arcibus& propugnaculis eſt munitus,ut omnium judicio inexpugnabilis cenſeatur: quapropter quicunque claſſibus auriferis Hiſpanicis inſidiantur, illi ſemper circa Havanam excubias agunt. Certè non aliâ viâ divitias Americanas in Hiſpaniam deferri poſſe patet, quemadmodum Hollandis ann. 1629. tam feliciter is conatus ceſſit, ut totam claſſem Hiſpanicam ex portu Havana egredientem cum omnibus theſauris abſque cæde & ſanguine, momento quaſi oculi interceperint.

XIII. Divitiæ *Hiſpanorum conſiſtunt in* America.

§. 1. In *Americâ Rex* Hiſpaniæ poſſidet *inexhauſtas* auri & argenti venas, quæ tantam copiam divitiarum ſuppeditant, ut *Hiſpani* profi-

profiteantur, nisi bello Belgico istæ opes fuissent exhaustæ, sese omnes suas ædes *auro & argento* contegere potuisse. Incredibilia sunt, quæ de immensis opibus ex America in Hispaniam delatis referuntur. *Fodinæ* illæ reperiuntur partim in nova Hispania *Mexicana*, partim in *Peruvia*, *ubi* extat mons *Porosi* totus argento refertus, ita ut vix sufficiens hominum copia reperiri possit ad opes illas ex terra eruendas, quanquam nunc paulatim illam ubertatem exarescere, concussis vel absorptis terræ motu aliquot montibus, fama referat.

§. 2. Accedit haud minus lucrum ex præstantissimis quibusdam mercimoniis, quæ ex sola America inde in reliquam Europam deferuntur, inter quæ principem locum obtinet vermiculus quidam, ex quo conficitur præstantissimus & summi pretii color purpureus, qui vocatur *Cuchenillie*. Accedit immensa *facchari* copia, cujus tantam multitudinem *Brasilia* profundit, ut sola totum orbem eo condimento implere possit.

§. 3. Sed hoc infortunii accessit Hispanis, quod frequentissimis *naufragiis* Oceanum impleant, antequam illas opes in Hispaniam deferre possint. Integræ sæpenumero *classes* ab *irato* mari cum omnibus opibus absorbentur, præsertim in freto *Bahama*, quod atrocissimis tempestatibus infestum. Spirat enim ibi quidam ventus, quem vocant *Orcanem*, cujus tanta est

ta eſt violentia, ut integra navigia demergat.

XIV. Americam *incolunt tria Hiſpanorum Genera: Hiſpani, Criolii & Meſtecii.*

§. 1. Hiſpani vocantur illi, qui in ipſa Hiſpania nati, ex eâ in Americam quotannis mittuntur. Hi omnes ferè dignitates ac ſupremos Magiſtratus occupant, tam in *Politicis* quam *Eccleſiaſticis rebus*, ac reliquos omnes durâ ſervitute opprimunt. Quippe Rex Hiſp. omnem fiduciam ſuam in Hiſpanis extra Americam natis collocat.

§. 2. *Criolii* vocantur, qui ex Hiſpanis parentibus, ſed in ipſa America ſunt nati. Hi numero quidem & multitudine prævalent, ſed nunquam poſſunt pervenire ad aliquam dignitatem majoris momenti. Hinc implacabile odium inter *Hiſpanos* Europæos, & *Hiſpanos* Americanos, qui vocantur Criolii, adeo quidem ut *Criolii* quamcunque nationem Europæam admitterent; dummodo ab oppreſſione Hiſpanorum Europæorum liberari poſſent. Atque hinc præcipuus Regi Hiſpaniæ metus, amittendæ Americæ, ſi aliquando *Criolii* proprium ſibi Regem, excluſis Hiſpanis, imponant.

§. 3. *Meſtecii* vocantur, qui ex Parentibus *Hiſpanis* ac *Americanis* mixtim nati ſunt. Et hi *Meſtecii ferè* contemptim ac ſerviliter habentur,

bentur, ac mixtam ex Hispanis & Americanis naturam obtinent.

XV. *Hispani Milites post* Victoriam *tumultuantur.*

§. 1. Sicut *Germani ante*, ita Hispani post prælia stipendia per seditionem poscunt, neque ullus miles magis post victoriam obtentam metuendus propriis dominis, quam Hispanus, ita quidem, ut in *Belgio* superioribus annis horrendos tumultus excitaverint, ac plus damni intulerint Regi Hispaniæ per tumultum, quam commodi acceperat ex ipsorum victoriis. *Tumultuantes* creant sibi supremum præfectum, quem vocant Electum: is sibi adjungit aliquos veluti *Assessores*, ac formam Reip. strictam & severam introducunt. Omnes, qui vel minimum contra jussa militaria delinquunt, morte inexorabiliter puniuntur. Proximum est, ut *occupent* urbes, ac illas ut proprium *Patrimonium* invadant, donec sibi omnia stipendia plenè sunt persoluta. Sed unicum exemplum sufficiat direptio Antwerpiæ A. C. 1575. ubi Hispani tumultuantes ditissimam totius orbis terrarum Urbem, miserabiliter diripuerunt; incensa & combusta *Curia*, civium multis millibus occisis, ditissimis mercatoribus spoliatis, ut apud Stradam & alios belli Belgici Scriptores videri potest.

XVI.

XVI. *Neapolitani in rebelliones sunt proni.*

Intra annos 460. Neapolitani 28. insignes rebelliones commiserunt. Sed omnium famosissima fuit, quæ accidit A. 1647. cum quidam piscator nomine *Thomas* Angelus, sive ut Itali loquuntur, *Mas* Angello, totam civitatem Neapolitanam horribili tempestate & tumultu commovit, plus quam 200000. Civium solo nutu gubernavit, ac pro arbitrio dominatus fuit. Duravit hæc rebellio non amplius decem diebus, intra quos *Mas* Angello brevem suam *Majestatem, à sicariis* occisus, finivit. Extat tota ejus rei historia tot mirandis casibus referta, ut nisi nostris temporibus accidisset, fabulis posset annumerari.

§. 2. Quapropter Reges Hispaniæ, cum viderent *Neapolitanos*, tanquam ferocem aliquem & effrenem equum levissimo impulsu in furorem & cursum abripi (nam etiam equo *effreni* pro insigni & symbolo utebantur:) tribus castellis firmissimis tanquam frenis quibusdam ac ephippiis hunc ferocientem equum castigarunt, & Sessorem hoc est Regem suum pati docuerunt. Quemadmodum ea de re *Trajanus* Boccalini pluribus videri potest.

II. De

II. DE REGNO GALLIÆ CANON.

I. *Regnum Galliæ fundavit* Ludovicus XI.

LOquimur de statu *hodierno* Regni Galliæ, cujus prima fundamenta posuit *Ludovicus* XI. circa A. C. 1460. Ille enim primus dicitur misisse Reges Galliæ *hors de page*, id est absolutos Dominos eos fecisse. Quibus autem artibus hoc consecutus fuerit, prolixè *Philippus* Cominæus commemorat: tribus enim quasi frenis infinita Regum Galliȩ potestas circumscribitur: *Religione*, à qua Christianissimi dicuntur: *Iurisdictione*, sive auctoritate Parlamentorum & *Politia* sive decretis ac constitutionibus Regni.

Sed hæc omnia non impediunt, quo minus Rex Galliæ pro arbitrio dominetur, ac suam voluntatem supremam legem constituat, nullâ habitâ ratione Parlamentorum, seu contradicant sive consentiant, quæ libertas, præsertim nostro seculo, enormiter invaluit.

II. Fœminæ à *successione Regni Galliæ excluduntur.*

Vulgo Lex *Salica* producitur, per quam *fœminæ* à regno excluduntur. Sed ejus legis adeò obscura & antiqua sunt vestigia, ut vix possit

possit demonstrari, ac præsertim acerrimæ controversiæ de hujus Legis Salicæ existentia ac auctoritate exortæ fuerunt post mortem *Philippi* Pulchri, inter *Philippum* Valesium & *Eduardum* III. Regem Angliç. Nam *Eduardus* III. natus erat sorore Philippi Pulchri, & exstincta linea mascula proximus sanguine ad successionem Regni Gallici haberi volebat. Opposuit se, tanquam externo, *Philippus* Comes Valesius, qui ex serie mascula collaterali Regum Galliæ descendebat, ac provocavit ad Legem *Salicam*, quæ sexum fœmininum à successione coronæ excluderet. Hinc inter Politicos acerrimè de illa Lege fuit disputatum: cum *Angli* negarent eam extare: Galli ad eam provocarent, tanquam regni sui *fundamentalem*. Sed hæc controversia *gladio* fuit decisa, & bello ducentorum ferè annorum. Successio & Regnum penes *Valesios* mansit, Angli nihil nisi titulum inanem retinuerunt.

III Liga *Sancta gravissime turbavit Regnum Franciæ.*

A. C. 1560. in Gallia gravissimi motus exarserunt propter religionem, ac Regnum in duas factiones partim Ecclesiasticas, *Catholicos & Hugenottas*, partim Politicas, *Momorantios* sive *Condeos vel Borbonios*, & *Guisios* sive *Lotharingios*, distractum fuit. Hinc atrocissima bella civilia: quibus intercessit feralis illa

la-

laniena, facta in nuptiis Henrici Regis Navarræ cum Margareta sorore *Caroli* IX. in quibus anno 1572. die 24. Augusti, quę erat sacra *Bartholomæo*, omnes Hugenottæ exitio & internecioni fuerunt destinati. Ab eo tempore cœpit *Liga* Sancta, hoc est Sacra quædam confœderatio *Papæ* Romani, Regis *Hispan.* & Ducis *Guisiæ*, pro religione *Romano* Catholica & *hæreticis* exstirpandis. Atque hic erat prætextus. Occultior autem causa hujus *Ligæ* erat *translatio* Regni Gallię à familia *Valesia & Burbonia* ad Regem *Hispaniæ* vel familiam *Lotharingiam*, quæ sese à *Carolo* M. descendere ferebat.

IV. *Extincta familia* Valesia *successerunt* Burbonii.

Ultimus ex familia *Valesia* fuit *Henricus* III. Rex *Galliæ & Poloniæ*, Princeps toto Regno infelicissimus, & qui voluptatibus potius suis & otio, aliisque ineptiis, quam regno conservando indulsit. Quapropter *Franciscus* Dux Guisius apud *Nobilitatem & plebem* gratiosus, contemta Regis socordia, ausus fuit Coronam sperare atque appetere; pulso ex urbe Parisiorum ipso *Henrico* ac urbe Regia occupata. *Henricus* tum demum velut ex profundo somno excitatus agi de sua vita ac Corona deprehendit. Quapropter cum leonina pellis non sufficeret, induit vulpinam, & Comitia Regni apud

apud *Blesas* celebravit, ubi etiam Dux *Guisius* data prius & accepta fide, comparuit. Sed Rex decreverat illum occidere, idque per aliquos in eam rem constitutos peractum fuit, ac ante ipsas cubilis regii fores repente confossus fuit *Guisius*, cujus jam interfecti faciem Rex *Henricus* pede calcavit, memorabili vindictæ divinæ exemplo: Eodem enim modo *Dux Guisius* calcaverat faciem interfecti Admiralis *Colignii* anno 1572. Altera die frater Guisii, qui erat *Cardinalis*, jussu Regis strangulatus fuit, & cadavera horum duorum fratrum in multas partes dissecta ac flammis abolita fuerunt.

§. 2. Hac *Guisiorum* cæde audita Parisiis, immane dictu, quantum exarserit furor *Ligistarum*, qui palam in templis jurabant sese mortem *Guisiorum* quam acerrimè ulturos, neque *Henricum* III. pro Rege amplius agnituros. Qui etiam paulo post à quodam Monacho Jacobo *Clemente* in suis castris cultro fuit confossus. Factum hoc anno 1589. Ita familia *Valesia* in hoc *Henrico* III. fuit extincta.

§. 3. Statim ab exercitu proclamatus fuit *Henricus* Rex Navarræ & caput familiæ Burbonicæ. Sed huic, quia erat religioni *Reformatæ* addictus & à *Papa* excommuuicatus, sese quam acerrime opposuerunt *Ligistæ*, quorum tamen furorem incredibili fortitudine ac successu per innumeras victorias ita fregit, ut totam Galliam una cum urbe Parisiorum recupe-

cuperaret. Sed quia sola religio obstabat, quo minus totam Ligam extingueret, ac convulsam Galliam in unum iterum corpus compingeret, tandem amplexus fuit religionem Papalem, & à Papa Rom. in gremium, ut loquuntur, Ecclesiæ receptus, familiam Burboniam ita stabilivit, ut hodie florentissimum regnum ipsius Nepos *Ludovicus* XIV. obtineat.

V. Potentia *Regni Galliæ in multitudine* Hominum & divitiarum *consistit.*

Nullum Regnum toto terrarum orbe majori hominum multitudine abundat, quam Gallia, ita ut superiori sæculo sub Carolo IX. viginti & amplius milliones censu habito reperti fuerint. Præsertim copiosissima est *Nobilitas*, quæ suis sumptibus semper Regi ad quascunque expeditiones promptè adest. Reliquum *vulgus* oneribus & tributis ferendis destinantur. Nulla enim onera tam gravia imperari possunt Gallis, quæ non in sese suscipiant; atque hinc immensæ illæ opes, quibus Rex Galliæ cunctos alios superat: quanquam omnia iterum annuo luxu, superbis & necessariis expensis ita atterantur, ut Regis ærarium semper ferè vacuum, & infinitis præterea debitis oneratum sit. Culpa præcipua conjicitur in infinitum numerum *Quæstorum*, qui & *Regem & populum* emungunt: verum haud rarò tan-

tanquam plenæ *spongiæ* iterum exprimuntur: & quod inique attraxerunt, regurgitare coguntur.

VI. *Omnia* Officia *apud Gallos sunt venalia.*

Idque inter turpissima vitia Gallorum Politici numerant. *Thuanus l.* 132.

VII. *Galli* Duellis *domi sese atterunt.*

§. 1. Ob causas levissimas nobilissimæ Familiæ duello sese mutuo necant. Hinc tantum artis gladiatoriæ pretium, quam non alio fine addiscunt, nisi ut sese vel *offensive* vel *defensivè* mutuo confodiant. Neque ulla mors videtur generosior, quam quæ in tali congressu illicito subitur. Credibile est malum genium cruenta sacrificia humana, quæ Gentiles suis diis offerebant, exortâ luce Christianæ fidei, transformasse in hęc duella, ubi sese mutuo immolant, ac corpus vitâ, animam æternâ salute, spoliant.

§. 2. Accedit crimen longè atrocius, quod non modo rixarum authores vel participes sese mutuo ad pugnam mortalem provocant, verum etiam intimos suos amicos extra omnem controversiam positos, eodem scelere, titulo *Secundorum* involvunt, vanissimo honoris prætextu.

textu. Incredibile dictu, quantum pretiosissimi sanguinis quotannis in Gallia exhauriatur hoc ferali certamine, neque vel ira ac metus numinis, vel atrocissimæ Magistratuum pœnæ, & infamia post mortem occisorum duratura, Gallos ab hac insaniâ avocare potuit.

§. 3. Quid non Reges *Henricus* IV. *Ludovicus* XIII. & XIV. contra hanc suæ gentis insaniam excogitarunt? Nulli flagitio tam atrocia edicta fuerunt opposita; & ad terrorem etiam Illustrissimi capite plectuntur, qui contemtâ regiorum Edictorum majestate privatas injurias, plerumque vix cassâ nuce dignas, præteritâ Magistratuum autoritate, ipsi inter se ferro transigunt. Est enim revera crimen læsæ majestatis, duello absque consensu supremi Principis decertare; quia duellum est belli species, cujus eventus consistit in victoriâ, & vel morte vel captivitate atque exarmatione victi.

§. 4. Hæc *Duellorum* licentia à Gallis ad exteros Galliam frequentantes fuit propagata, ita quidem ut intra 30. annos & amplius etiam *Germania* hoc contagio fuerit correpta, & vix severitate legum coërceri possint illa sacrificia humana. Quapropter qui Galliam frequentant, inprimis sibi ab hoc infami vitio caveant, necesse est, neque exigua aliqua injuria, aut læsus honor titularis, tantus esse debet apud generosum pectus, ut propterea & vitam suam

complectantur. Quippe totum opus in quatuor partes dividitur, velut totidem vitæ Civilis elementa. Prima complectitur Imperia, Regna & Reſpublicas Orbis qualis nunc eſt. Antiquiora ab orbe condito in ARCA NOÆ ſimili ordine tradidimus, ut ſi quem priſca illa delectant, exinde haurire queat, quanquam illa potiùs ad ſcientiam, hæc ad vitæ Civilis uſum neceſſarium & profuturum ſpectent. Itaque Primâ illâ parte continentur illi Orbis ſtatus, qui ſuperiorem in terrâ nullum agnoſcunt, ſive Imperatores, Reges, Reſpublicæ, aut alio nomine appellentur. Hi ſunt illi quos Ariſtoteles efficaciſſimâ voce ἀνυπευθύνους vocat, quaſi dicas libera Imperia habentes.

Secunda pars complectitur dominationes ſive Inferiores Poteſtates, quæ ut hodie mos fert, ſunt Eccleſiaſticæ & ſeculares. Hæ inferiores vocantur, quia ſuperiori in terris ſubſunt & ſubeſſe debent, ſecundum ſanctiſſimam regulam Pauli ad Roman. XIII. Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubeſto. Et quanquam Papa Romanus jam ante 666. annos diu meditatam jam à Phocæ & Bonifacii III. temporibus Monarchiam Eccleſiaſticam pariter & Secularem tandem per meram vim & oppreſſionem Imperatorum, Regum & Rerumpublicarum, obtinuerit, prout illam hodieque palàm defen-

defendunt Iesuitæ & Lutet [illegible]
semper reperit, sive, [illegible]
& vim illam nomini [illegible]
repellere, Martyrio [illegible]
ipsi Imperatores [illegible]
etiam armis [illegible]
Papæ sive spiritualem [illegible]
meram sive mixtam [illegible]
fatali necessitate [illegible]
donec superiori ætate [illegible]
Principes, Resp. [illegible]
surpatam in Deum [illegible]
abnuerunt. [illegible]
lemniter tanquam [illegible]
dentibus etiam [illegible]
conaretur, obtendit.

Tertium [illegible]
ritis [illegible]
quicquid ubique [illegible]
cidisset ab orbe [illegible]
obiter conspicerent [illegible]
dine; [illegible]
cujus momenta & [illegible]

At quoniam [illegible]
hodieque [illegible]
Geographiam [illegible]
ultimamque, [illegible]
rumpublicarum [illegible]
tuum, Principum [illegible]
lium, constitutæ [illegible]

[illegible]

75
dunt
xpe-
ola-
quas
unt:
pri-
in
Co-
unt
ubi
Galli
nto
ræ-
ci-
nte
no-
uit,
vel
fuit
Qua-
ste-
lam
sibi
um
s in
bore
ico,
quia

& spem parentum ac patriæ & salutem animæ in anceps periculum conjicere velit. Armis nulli, qui Magistratui subjectus est, uti licet, nisi jussu & Magistratus auctoritate contra hostes publicos, vel in casu supremæ necessitatis, pro suæ vitæ inevitabili defensione, contra latrones vel temerarios aggressores.

VIII. *Galli sunt* Factiosi *& Bellorum avidi.*

Antiqua hæc fuit Gallorum natura, quod nunquam conquiescere possint, sed vel externis bellis, vel civilibus, vel factionibus familiarum atque duellis inter se exercere odia cupiunt. Adeò omnis quietis pertæsi, vel cum aliis, vel inter se perpetuò rixantur, similes stipulis, quæ levissimo contactu flagrant, sed eâdem celeritate, quâ ignem conceperunt, iterum extinguuntur. Hinc *crebra* sed *brevia* Gallorum inter se sunt bella, paucis annis & pax & bellum & transactiones, & ruptiones. Sed hæc omnia clariùs perspiciuntur ex historiâ unius seculi ab Anno 1560. ad præsentem, quam ut breviori narratione exponi possit.

IX. *Facilius aliena acquirunt quam retinent.*

Hoc ex eodem fundamento, ut antecedentia, profluit: Quia enim natura Gallorum est *Mercurialis*, hinc nunquam diu uno loco consistere

ſiſtere poſſunt, ſed celeriter omnia pervadunt atque occupant. Huc pertinent illorum expeditiones in *Lombardiam*, Ducatum *Mediolanenſem, Neapolin, Siciliam, Cataloniam*, quas omnes regiones brevi tempore occuparunt: ſed eadem facilitate iterum amiſerunt. Inprimis memorabiles expeditiones Gallorum in Italiam, quas copiosè deſcribunt Philippus *Cominæus & Guicciardinus*. Memorabiles ſunt Veſperæ *Siculæ* perpetratæ A. C. 1268. ubi una hora conſpiratione Siculorum omnes Galli per totam Siciliam fuerunt obtruncati, tanto furore & odio nominis Gallici, ut etiam prægnantium ex Gallis fœminarum uteros exciderint, ne quiſquam ex invisâ & exosâ gente ſupereſſet. Ita *Deus & Natura* Gallorum mobilem naturam ſuis limitibus includere voluit, neque egredi montes *Pyrenæos vel Alpes*, vel fluvium *Rhenum*. Rhenus enim antiquus fuit terminus inter Galliam & Germaniam. Quapropter etiam Galli in nupera pace Monaſterienſi *Briſacum, Philipsburgum, Theonvillam ſive Didenhoffen*, & alia ad Rhenum loca ſibi pacti fuerunt, & nunc in controverſia cum Duce Lotharingiæ liberos aditus ſive vias in Germaniam uſque ad Rhenum depoſcunt.

X Militia *Gallica conſiſtit in robore Equeſtri.*

§. 1. Nullus *Equitatus* præfertur Gallico,

 quia

quia ferè conſtat ex nobilitate. Quapropter Galli omnes ſuas victorias imputant ſuo equitatui. Nobiles raro pedeſtres: ſoli plebeji, idque dura ſervitute preſſi, exiguam armorum notitiam habent, neque Reges Gallorum magnopere deſiderant populum in armis exerceri, ne ſua multitudine confiſi tumultus excitent.

§. 2. Quapropter Rex Galliæ robur peditatus ſui inprimis ex *Helvetia* petit; Helvetii enim præcipuam auctoritatem obtinent in pedeſtri exercitu Gallico, immenſis ſtipendiis, privilegiis, conducti, ita quidem ut juventus Helvetica in Galliam militatum abeat, non ſecus ac olim *Græci* in Aſiam ad Reges Perſarum.

XI. *Deeſt Regno Galliæ Sufficiens* Navalis *Potentia*.

§. 1. Quanquam Gallia tribus lateribus, partim mari mediterraneo, partim Oceano alluatur, & ſpatio terrarum, multitudine fluviorum, commoditate portuum, quaſcunque regiones vel æquet vel ſuperet; nunquam tamen Galli res magnas mari egere. (1) propter defectum *navium* bellicarum. (2) propter *imperitiam* rerum navalium.

§. 2. Hunc defectum regni Galliæ corrigere voluit Cardinalis *Richelius*, coëmptis in Hollandiâ & immani ſumptu exſtructis navibus bellicis: Sed nihil hactenus tanto apparatu

dignum

dignum effectum, nisi quod maria & Oceanus per pyraticam conturbata. Quippe Deus sicut terrestrem potentiam voluit esse penes Gallos, ita maritimam tribuit aliis populis, inprimis *Hollandis*, ne nimirum unus omnia solus possit, sed ut sese mutuo auxilio, fœdere & amicitiâ opus habere cognoscerent.

XII. *Hostes Gallorum sunt* Angli, Burgundi, & Hispani.

§. 1. Inter *Anglos & Gallos* est naturalis quædam & *irreconciliabilis* antipathia, ita quidem, ut Angli à pueritia olim imbuti fuerint odio Gallorum. Cum enim Angli imprimis sagittandi arte excellerent, pro scopo in quem sagittæ defigerentur, depinxerunt hominem habitu Gallico, ac filios suos artem sagittandi docuerunt hac compellatione: *Disce ferire Francum.* Hoc odium inter Francos & Anglos perpetuis bellis fuit propagatum, ac à parentibus ad liberos veluti hæreditas quædam transmissa. præsertim ab anno 1326. cum *Eduardus* III. Rex Angliæ titulos & jura Regni Galliæ armis sibi vindicaret. Hinc atroces illæ Gallorum clades ab Anglis acceptæ ad *Cressiacum* in Picardia, apud *Pictones* & denique apud *Agencurtim*, quibus præliis tota Gallorum potentia ab Anglis fuit confracta, ita quidem ut *Henricus* V. Rex Angliæ declaratus *hæres & successor* Regni Franciæ, excluso *Carolo* Del-

phino legitimo hærede, ac ejus filius *Henricus* VI. Parisiis coronatus fuerit Rex Franciæ. Hæc odia & bella inter Gallos & Anglos durarunt usque ad annum 1558, quo anno Galli recuperarunt ab Anglis urbem *Caletum*, atque ita finem imposuerunt omnibus illis bellis, quæ per 200. annos continuata fuerant. Nam ab eo tempore, quanquam Angli perpetuo repeterent Caletum, & interdum quoque arma Galliæ inferrent, nihil tum amplius ab illis potuit confici, sed fortuna cœpit favere Francis, qui aliquoties ingenti strage, præsertim mari Anglos profligarunt, maxime A. 1627. & 28.

§. 2. Proximi post Anglos Gallorum hostes fuerunt *Burgundi*, & illi potius domestici quam externi. Quippe Duces *Burgundiæ* ex ipsa Regum Galliæ familia originem ducebant: sed mox atrocissimæ factiones inter domum *Burgundicam & Aurelianensem* exortæ fuerunt, quæ non nisi sanguine & morte utrorumque componi poterant. Quippe *Iohannes* Intrepidus Dux Burgundiæ *Ludovicum* Ducem Aurelianensem Parisiis in media civitate jussit obtruncari, & factum insuper velut legitimum defendit: *Aurelianenses* vero non antea quieverunt, quam *Iohannem* Intrepidum iterum contra datam fidem obtruncassent. Ita cædes cæde fuit compensata: sed vindicta utriusque sanguinis in hanc usque diem pertinacibus inter Burgundos & Gallos armis perdu-

perdurat: longa est historia, longæ ambages, ideoque dissertationi potius quam calamo committenda.

§. 3. In odia Burgundorum successerunt *Hispani*. Quippe *Ludovicus* XI. Rex Galliæ non ante quievit, quàm familiam Burgundicam nomini Gallico adeò infensam & formidabilem, penitus delevisset. Factum hoc videbatur anno 1477. cum *Carolus* Audax Dux Burgundiæ apud *Nanceium* in Lotharingia ab Helvetiis fuit occisus, nulla relicta prole mascula, sed unica tantum filia *Maria*. Sed in hoc casu omnis Ludovicum XI. Sapientia humana fefellit, sicut prolixiùs apud Cominæum videre est. Quippe *Maria* nupsit Maximiliano Archiduci Austriæ, atque ita omnem potentiam Burgundicam conjunxit cum domo Austriacâ: hæc conjugio Philippi I. Hispaniæ regnis fuit innexa, ita quidem ut hodie Rex Hispaniæ tanquam Dux *Burgundiæ* & Princeps *Belgarum*, antiqua illa odia Burgundica, contra Gallos longè majoribus viribus continuet, quæ licet interdum brevi pace componantur, vix tamen diuturna illa pax esse potest.

XIII. Galli *Fœdus cum* Turcâ *iniverunt*.

§. 1. Sub *Francisco* I. Inde acerrimis libellis disputatum, *An liceat* Christianis *contra* Christianos cum *Turcâ* fœdus inire? *Hispani*

& Germani pertinaciter negabant, ac multis congestis in Gallos opprobriis, factum exaggerabant. *Galli* dupliciter respondebant (1) per simplicem *negationem*. Quippe *Franciscus* I. constanter negavit, ullum sese aliud fœdus cum Turcâ pepigisse, nisi commerciorum & publicæ quietis ergo. (2) per *retorsionem:* talia fædera cum Principibus à Christianâ religione alienis frequentissimè ab ipsis Hispanis fuisse usurpata. Et sic latissimus campus sese aperiebat, disserendi de omnibus fæderibus Principum inter se. Accusatio hæc potius ad invidiam Gallorum spectabat, quàm quod revera aliquid solidi complecteretur. Docet enim Historia & Sacra & Profana, talia fædera politica cum infidelibus semper fuisse recepta, etiam à Regibus, qui propter pietatem maximè celebrantur, quia non pro *Religione* sed pro *Regione* bella ejusmodi gerebantur: licet uti defensoribus quibuscunque in extremâ necessitate: Ita *Poloni* Tartaris contra Moscos & alios hostes perpetuò utuntur, neque quisquam propterea crimen ipsis aliquod intendit.

XIV. Galli *Denuo* Burgundiam *&* *Provincias* Belgicas *amiserunt.*

Cum consilia *Ludovici* XI. de exstinguendâ familiâ Burgundicâ in irritum cecidissent, denuò data fuit Gallis occasio, quam ne quidem spe aut voto concipere potuissent, ut omnes

mnes Provincias Belgicas cum Regno Galliæ perpetuò conjungerent. Quippe ipsi *Belgæ*, pertæsi Hispanorum & abjuratâ auctoritate *Philippi* II. communi omnium Provinciarum consensu, sese Regibus Galliæ non tam subjecerunt, quam per ultimas preces ipsorum defensionem & protectionem expetierunt, suasu inprimis *Wilhelmi* Principis Auriaci, qui tum temporis non aliâ ratione defendi posse Belgas contra Hispanos, quàm opibus Gallorum, videbat. Successit consilium; *Franciscus* Dux Alensonius Henrici III. Regis Galliæ Frater unicus accepit conditiones, ac Dux *Brabantiæ* & Princeps totius Belgii publicè fuit declaratus. Ita Galli fortunam Domus Burgundiacæ denuo habebant in sua manu, si tam bene novissent parta tueri, quam acquirere. Sed mox *furor* aliquis ac densa *cæcitas* Gallorum mentes occupavit; ita ut *conjurationem* contra Ordines & Civitates Belgarum instituerent ac una die potentissimas civitates occupare conarentur. Præmium vesani hujus consilii erat *Antwerpia*, qua occupata facilè cætera cessura videbantur. Sed in ipso facinore deprehensi suis cadaveribus portas Antwerpienses & plateas, & fossas impleverunt mille quingentis & amplius Gallorum ad unam portam occisis. Ipse Dux *Alensonius* in extremas miserias conjectus, cum populus Belgarum odio erga Gallos incensus, etiam cibos Principi negaret;

ita quidem, ut crudis rapis vesci coactus fuerit. Atque ita denuo Galli amiserunt pulcherrimam occasionem conjungendi cum suo Regno Provincias Burgundicas. Et quanquam Princeps *Auriacus* summo studio niteretur conciliare Ducem Alensonium cum Ordinibus, nihil tum effici potuit animis populi antiquis odiis inter Burgundos & Gallos inflammatis; ac ipse Alensonius paulò post ex mœrore animi defunctus finem his consiliis imposuit.

XV. *Libertas* Religionis *Reformatæ præcipuum Regni Galliæ munimentum est.*

§. 1. Hanc *libertatem* sibi armis pepererunt Reformati anno 1560. Sed quia toties promissa ipsis servata non fuerunt, hinc tanquam fidei pignora præcipuas & munitissimas Urbes occuparunt, quas inter caput erat *Rupella*. Hanc libertatem Religionis confirmavit *Henricus* IV. edicto Nannetensi, quo Reformatos in omnibus pares esse voluit Catholicis, ac iisdem privilegiis ac immunitatibus frui.

§. 2. Sed cum Reges Galliæ hanc *armatam* Reformatorum libertatem sibi formidolosam esse existimarent atque *regnum* in *regno* diutius tolerare nollent, suasu inprimis Cardinalis *Richelii* Urbes fiduciariæ Reformatis fuerunt ereptæ. Unde ingens per Galliam bellum,

quod

quod tandem memorabili obſidione *Rupellæ* & ſtupenda ejus expugnatione anno 1628. fuit finitum. Nulla obſidio famoſior, ac quicquid artium & machinarum in bello unquam uſurpatum fuit, ad ſolam Rupellam vix ſufficiebat expugnandam. Nitebantur Rupellani non tam ſuis viribus, quam auxilio & favore occulto vicinorum Regum. Inprimis *Angli*, perpetuò Gallis infenſi, Rupellam obſidione liberandam cenſebant, non tam ſtudio religionis, quam quod Galliam factionibus inter ſe diſtractam vellent, neque conveniret vicinis Regibus concordem eſſe Galliam. Ipſe Rex *Hiſpanus*, quanquam aliàs acerrimus religionis reformatæ perſecutor, clanculum tamen favebat Rupellanis, & cum Marchio *Spinola* Hiſpanicarum copiarum in Belgio Dux tum forte obſidionem Rupellæ, & immenſas illas moles, quibus ipſi Oceano clauſtra fuiſſent injecta, ſpectaſſet, miratus Giganteos illos auſus, cum in Hiſpaniam veniſſet, in conſilio Regis perpetuo urſit, *Rupellam obſidione eſſe liberandam*. Sed Hiſpani ſperabant *Anglos* hoc opus perfecturos, qui duplici claſſe inſtructâ bis conati fuerant perfringere aggeres Gallorum, ſemper turpiter repulſi, priſtinam gloriam, quam in Galliâ acquiſiverant, amiſerunt. Ita tandem magnanima illa Rupella fame potius & extremâ miſeria, quam oppugnantium virtute ſuccubuit, ac facta deditione,

ne, Regis gratiæ se submisit, Rupellæ graviori inflicta pœna, nisi quod ad instar *Charthaginis* mœnia & munimenta solo æquata, ac ipsa Urbs hactenus inexpugnabilis, omnibus muris nudata fuit.

§. 3. Ita Regnum *Galliæ* in unus iterum Imperii corpus redactum fuit, ac servata hactenus *Reformatis* conscientiæ libertas, nisi quod erepta fuit sese contra vim & oppressionem defendendi occasio. Ab eo tempore Galli conjunctis viribus externa contra *Hispanos & Austriacos* bella continuarunt, usi inprimis armis & animis Reformatorum, quorum fides & constantia erga Regem Galliæ semper inviolabilis deprehenditur. Unde Rex Galliæ supremum armorum suorum Imperium fælicissimo successu commisit Marchioni *Turennio* Reformatæ Religionis Principi.

XVI. Regnum *Galliæ nuperâ* Pace *magnum incrementum sumpsit.*

Nam pace Germanicâ accessit Regno Galliæ *Alsatia*, & totius Rheni firmissimum propugnaculum *Brisacum*: præterea *Philipsburgum*. Pace Hispanicâ accessit Comitatus *Russillon*, *Artesia*, *Gravelinga*, & multa alia ad Mosam loca. Ita Regnum Galliæ antiquos suos limites ad *Rhenum & Mosam* recuperavit, occupatis ipsis Germaniæ claustris, ut quandocunque necessitas postulat, exercitus trans Rhe-

num

num in Germaniam effundere possit.

§. 2. *Lotharingiæ* quoque Ducatus hoc bello in potestatem Gallorũ pervenit. De cujus etiamnum restitutione tractatur: quippe Galli, etsi non abnuant restitutionem Ducatus, sibi tamen reservatam cupiunt Urbem Nanceium vel ejus munitiones dirui, & præterea vias publicas per Ducatum Lotharingiæ in Germaniam.

XVII. Gallia *nuper per Primarium Ministrum Status gubernabatur.*

§. 1. A. C. 1624. Cardinalis *Richelius* creatus fuit primarius minister status, hoc est, Vicarius Regis. Hujus *primarii* Ministri summa in toto regno est potestas, ac omnes alii Consiliarii ab ipso dependent. Ad tantum fastigium promotus fuit *Richelius* incredibili quadam mentis sagacitate. Solus enim tanti regni magnitudinem capacissimo ingenio implere poterat, æque promptus Marte & arte, consilio vel manu, & felicitatem sibi quasi famulantem habuit. Hujus industria Regnum Galliæ antiquum splendorem recuperavit, ac sese Hispanorum molitionibus tanta cum constantia opposuit. Quæ ac quanta hic Richelius peregerit, peculiari commentario publicè descripta extant.

§. 2. Richelio anno 1642. defuncto, successit in hoc supremo Magistratu Cardinalis *Maza-*

per Joh. Be
ad Profeſſ
cam Franco
me evocar
promto me
parato , ni
ſum tum fu
manæ dirig

Deinde
Principalis
ampliſſiman
nis Germani
omnium bo
ſurgit.

D E U S
B R A N D E
tam brevi t
mum in hu
potentiæ fa
liter provexi
T O R. Paren

Mazarinus, natione Siculus. Unde odia contra illum tanquam extraneum, ac conjurationes & bella civilia. Proſcriptus & toto regno expulſus glorioſior rediit, Regis caritate defenſus. Hinc Principis *Condei ad* Hiſpanos fuga, ſed Mazarini dignitatem ſuam ſtrenuè tutatus, tandem inchoatis Richelii conſiliis ultimam manum impoſuit glorioſâ pace cum Cæſare & Hiſpano inita. Qui exhauſtus curis & laboribus, vita exceſſit. Cui an alius ſucceſſurus ſit primarius Miniſter ſtatus, an Rex in plures hunc Magiſtratum ſit diſtributurus, incertum manet, & eventus docebit.

III. DE REGNO BRITANNIÆ.

CANON.

I. *Regnum Britanniæ condidit* Henricus VII.

§. 1. PEr conjunctionem *roſæ* albæ *&* *roſæ* rubræ. Roſa *alba* vocabatur domus *Eboracenſis*. Roſa *rubra* domus *Lancaſtrenſis*. Hæ duæ factiones & familiæ cruentis bellis pro Regno Angliæ certarunt. De quibus *Comineus* videri poteſt. Tandem anno 1460. Domus *Eboracenſis* ſive Roſa alba, domum *Lancaſtrenſem* ſive Roſam *rubram* regno dejecit. Primus Rex ex familia Eboracenſi fuit *Eduardus* IV. qui *Henricum* VI. caput familiæ Lancaſtren-

castrensis conjecit in carcerem & tandem manu fratris sui *Richardi* Ducis Glocestriæ ferro trajecit. *Eduardo* IV. successit frater *Richardus* III. Dux Glocestriæ, quo nullus unquam mortalium majorem tyrannidem exercuisse perhibetur. Contra hunc emersit *Henricus* Dux Richmondiæ, qui tum temporis erat caput familiæ *Lancastrensis*; & quia *Richardus* III. omnibus erat exosus, hinc quamplurimi ad Henricum defecerunt. Controversia inter familiam Eboracensem & Lancastrensem commissa fuit prælio, quod factum anno 1483. apud Urbem Lecestriam, ubi Richardus & Henricus ipsi inter se sua manu pugnarunt. Favit Deus Henrico & in prælio occisus fuit *Richardus* III. à cujus etiam capite ablata corona militum acclamatione imposita fuit victori Henrico, qui impostèrum vocatus fuit *Henricus* VII. Angliæ Rex.

§. 2. Cum jam nemo ex mascula progenie familiæ Eboracensis superesset, *Henricus* VII. duxit Elizabetham unicam Eduardi IV. filiam, atque ita duas factiones sive familias Lancastrensem & Eboracensem conjunxit. A quo tempore duplicata rosa *alba & rubra* in Regum Angliæ insigniis conspicitur, qua denotatur conjunctio domus Eboracensis & Lancastrensis. Quapropter Angli hanc rem designant his verbis: *Henricus rosas*.

§. 3. Exstinctis his factionibus *Henricus* VII.

VII. totam Britanniam ſub unum imperium redigere conabatur, quod cum nullis hactenus bellis fieri potuiſſet, ſtatuit conjugio inter Reges Angliæ & Reges Scotiæ hoc perficere. Igitur filiam ſuam *Margaretam* matrimonio conjunxit cum *Iacobo* IV. Rege Scotiæ, atque ita fundamentum poſuit Monarchiæ Britannicæ: nam ex illo conjugio prognatus fuit *Iacobus* V. ex hoc *Iacobus* VI. qui exſtincta familia Regia Angliæ in Eliſabetha anno 1603. tanquam proximus hæres Roſæ albę & rubrę factus fuit Rex Anglię, & ita primus ab orbe condito totam Britanniam in unam Monarchiam ſive corpus redegit, quod Angli deſignant his verbis: *Regnat* Jacobus.

II. Henricus VII. *ſe fecit* Papam *Angliæ*.

Hoc eſt excluſa poteſtate Pontificis Rom. ſe conſtituit *caput* Eccleſiæ Anglicanæ in terris. Is primo ſcripſerat contra Lutherum ac propterea à Leone X. Titulum Defenſoris Eccleſiæ accepit, ſed paulo poſt in rixas cum Clemente VII. Papa dilapſus fuit propter divortium cum uxore ſua *Catharina*, & quia Papa nolebat ſe accommodare ipſius voluntati, hinc omnia Monaſteria & Abbatias per totam Angliam funditus deſtruxit, ac ſe ipſum conſtituit *caput* Eccleſiæ, & novam quandam religionis formulam promulgavit, quæ ambigui ſen-

ſenſus erat. Occidebat & comburebat omnes, quicunque ipſius auctoritati refragarentur, ita ut una die combuſti vel occiſi fuerunt hîc Romano-Catholici, alibi Lutherani, alibi Anabaptiſtæ; adeoque incertum eſſet, quam potiſſimum religionem vèl approbaret vel improbaret Rex, quia omnibus æque videbatur infenſus.

III. Eduardus VI. *Religionem* Reformatam *introduxit*.

Quanquam *Henricus* VIII. auctoritatem Papæ ſuſtuliſſet; retenta tamen nihilominus fuit *fides* Eccleſiæ Romanæ; donec *Eduardus* VI. ad Regnum perveniſſet. Is enim cum eſſet minorennis tutores & gubernatores nactus fuit religioni reformatæ addictos: Quos inter præcipuus erat *Thomas* Cranmerus Archi-Epiſcopus *Cantuarienſis*: à quibus in Religione Reformatâ fuit inſtitutus, adeo ut per totam Angliam abolita fuerit *Miſſa*. Fuit enim *Eduardus* VI. ſui ævi miraculum, cum propter *pietatem* erga Deum, tum propter *juſtitiam* erga ſubditos, ac eruditionem, & omnium artium linguarunque cognitionem admirabilem, ita quidem, ut incomparabilem Principem daturus fuiſſet Britanniæ, niſi mors fato propera, vel ut alii ſuſpicantur, dolus anno ætatis 16. ipſum ſuſtuliſſet.

IV. Maria *Papæ auctoritatem* restituit.

Post præmaturam mortem *Eduardi* VI. magnæ in Anglia fuerunt controversiæ de successione Regni. Quippe duæ filiæ Henrici VIII. *Maria & Elisabetha*, testamento Eduardi VI à successione excludebantur. Ita Dux *Northumbriæ* Regnum ad suam familiam transferre conabatur, proclamata Regina *Iohanna* Graja: sed prævaluerunt mox partes *Mariæ*, adeoque *Iohanna* capite fuit plexa. Mox *Maria* abolitam Papæ Romani auctoritatem in Anglia restituit, *combustis & interfectis* omnibus, qui religionem reformatam profitebantur. Tum temporis magna illa Ecclesiæ lumina, Thomas *Cranmerus* Archi-Episcopus Cantuariensis, *Latimerus*, *Riddæus* & alii, è vivis fuerunt sublati.

§. 2. Mox *Maria* duxit Philippum II. Regem Hispaniæ, qui tum temporis à Carolo V. Patre suo renunciatus fuit Rex Neapolis & Princeps Belgii. Hoc conjugium vehementer displicuit Anglis: quippe conjurationes contra nuptias Philippi cum Maria initæ, quarum conscіam fuisse Elisabetham Mariæ Sororem unicam, apud reginam jactabant Papistæ. Inprimis Stephanus *Gardinerus* Episcopus Wintoniensis. Præcipuum crimen erat Professio *Reformatæ* Religionis. Unde metuebant Papales,

pales, ne mortuâ *Mariâ* ad regnum *Elisabethæ* perveniret. Conjecta igitur fuit in carcerem durissimum, & capitis accusata. Innumeras artes excogitabant ejus adversarii, ut aliquem saltem speciosum prætextum reperirent occidendæ Elisabethæ. Inprimis eam soror urgebat: ut saltem culpam confiteretur; neque de gratia dubitaret; sed *Elisabetha* veluti rupes in mediis fluctibus restitit, ac innocentiam suam professa; negavit: *se unquam* vel culpam *confessuram*, vel *gratiam* Reginæ in eo facto imploraturam. In hac miseria totum quinquennium transegit, singulis momentis mortem exspectans. Sed intercessit ipse *Philippus* II. quanquam acerrimus persecutor Reformatorum, adeoque noluit sanguinem regium effundi. Secuta fuit amissio urbis *Caleti*, hanc mors Reginæ *Mariæ* contracta ex animi mœrore Anno 1558.

V. Elisabetha *Religionem* Reformatam *restituit*.

§. 1. Ita *Elisabetha* ex carcere ad Regnum & ab ipsa morte ad vitam fuit revocata, ac inter primas Regni curas habuit, *rescindere* acta & decreta Mariæ contra reformatos ac illos ab exilio revocare. Hæc est illa *Elisabetha*, quæ totum orbem terrarum magnitudine sui nominis implevit, quæ *Galliam & Belgium* Tyrannidi Hispanorum eripuit, ac quæ amor & deli-

delitiæ suorum subditorum fuit appellata, ita quidem ut in hunc usque diem Angli ad fælicia Elisabethæ tempora respicientes, nunquam fuisse fæliciorem Angliam, quam ea regnante, profiteantur.

§. 2. Erat *Elisabetha* ultima ex sanguine Regum Angliæ, ideoque crebris potentissimorum Regum conjugiis ambiebatur, quos ipsa diu vana *spe* lactavit; certa non nubere, & in illo proposito constanter per 45. annos regni sui perseveravit. Innumeris appetita fuit insidiis Jesuitarum, sed semper, Dei providentia, evasit. Hispanorum crescenti potentiæ acriter sese opposuit, ac illorum consilia disturbavit. Inprimis memorabilis fuit profligatio Classis Hispanicæ, quæ jactantiâ appellabatur *Invincibilis*, quam Anno 1588 auxiliantibus præcipuè Hollandis & Zeelandis, pessumdedit.

VI. Jacobus VI. *Rex* Scotiæ *Fundavit Regnum Magnæ* Britanniæ.

A. C. 1603. *Elisabetha* paulo suum ante obitum successorem & hæredem Angliæ declaravit proximum suum agnatum *Iacobum* VI. Regem Scotiæ, qui primus omnia Regna & insulas Britannicas in unum corpus redegit, ac ut antiqua odiorum nomina aboleret, Regnum *Angliæ & Scotiæ* in posterum antiquo & communi nomine appellari publico decreto Parlamenti jussit *Magnam* Britanniam. Mox atrox

atrox contra ipsum & totum Parlamentum inita fuit conjuratio, quæ vocatur *Pulveraria:* Quippe domum, in qua Parlamentum congregatur, pulvere pyrio stipaverant, uno ictu fulmineo *Regem* simul ac *Parlamentum* è medio sublaturi.

VII. Suprema *Regni administratio penes Parlamentum consistit.*

Parlamenta Angliæ constant ex tribus membris (1) ex *Rege vel Protectore* tanquam capite ac anima (2) ex domo *Nobilium*, qui vocantur *Lords*. (3) ex deputatis populi, qui vocantur *Communs*. Penes hos est suprema potestas condendi & abolendi leges. Rex vel Protector habet potestatem probandi vel improbandi decreta Nobilium & Populi: sed nulla tributa aut onera nova sine consensu populi imponere potest. Quamdiu inter Parlamentum & Regem est concordia, omnia benè habent: Discordantibus atroces tumultus vel bella civilia consequuntur, quemadmodum nostro tempore contigit.

VIII. Lanificium *præcipua Angliæ Columna est.*

§. 1. Floruit inde usque ab *Eduardi* III. temporibus, qui anno 12. sui Regni plurimis concessis privilegiis & libertatibus *Belgas* in Angliam invitavit, à quibus Angli artem pannorum

norum laneorum texendorum didicerunt. Crevit sub *Elisabetha*, quę iisdem artibus, multa millia Belgarum, tyrannidem Ducis *Albani* fugientium, in Angliam recepit. Hinc immensa illa copia pannorum Anglicorum per totum orbem terrarum dispersa, atque inexhaustæ illæ opes mercatorum, quibus reliquas fere nationes superarunt.

§. 2. Quippe immensa lanæ copia ex innumeris ovium gregibus colligitur. Nam passim totâ Angliâ colles & tesqua ovibus conspersa cernuntur, quæ nullo custode toto anno liberè pascuntur. *Anglia* enim caret *lupis*, unde ovium greges absque ullo metu summâ libertate vagantur & cum coelum ibi sit molle ac temperatum etiam mediâ hyeme sub divo agunt, neque unquam nisi asperrimâ, quanquam id rarum, hyeme in stabula compelluntur.

§. 3. Quæ autem causa sit, cur *Anglia lupis* destituatur, variè apud exteros disseritur. Nam cum in Scotia frequentes reperiantur, quæ Anglię contigua est, mirum videri queat, cur non in regionem ovium frequentissimam pabuli ergo excurrant? neque *aëris* temperies ipsis adversatur: passim enim in Magnatum vivariis lupi captivi conspiciuntur. *Historici* causam referunt in priscorum Regum industriam, qui totam luporum progeniem hac arte extinxerint, ut si quis capitis poenam fuisset pro-

promeritus, pro magnitudine delicti, tot *lupos* occidere, & illorum capita ad judicem deferre teneretur. Ita tandem tot inquirentium sedulitate nulli amplius lupi reperiri potuerunt. Verum neque hæc causa sufficere videtur: Sed unica ratio est multitudo *canum*, quorum tanta ferocia est, ut etiam cum leonibus atque ursis decertent. Quippe nulla regio totius orbis canes alit *Molossis* Anglicis pares. Hinc mirum non est, *lupos* ex regione sibi tam inimica excessisse, ac in montana *Scotiæ*, ubi nullus à canibus erat metus, se recepisse.

IX. *Angli Religionibus plurimis dediti sunt.*

Hinc illa *Sectarum* multitudo, quæ inprimis nostro tempore in immensum excrevit. Olim *Papæ* Rom. erant addictissimi: hodiè ei sunt infensissimi. Præcipua Sectarum nomina & familiæ *Protestantes vel Puritani*. Hi vel *Conformistæ* vel non *Conformistæ*. Non *Conformistæ vel Brounistæ sive Separatistæ vel Independentes*. Atque hæ sectæ durarunt usque ad annum 1642. Nam tum flagrante bello civili tota religio divisa fuit in *Episcopales*, *Presbyterianos & Independentes*. Independentes iterum fuerunt scissi in quàm plurimas partes; nam ut quisque erat novarum opinionum studiosus, ita se Independentibus aggregabat, sed potissimum *Anabaptistæ*. Tandem ple-

pleræque Sectæ in commune nomen *Quakerorum* degenerarunt: Hi & alio nomine vocantur *Trepidantes* sive sua lingua *Tremblres*, & à præcipuo dogmate homines *Quintæ* Monarchiæ, propterea quod statuant brevi abolendam esse IV. Monarchiam & instituendam V. sive Regnum *Christi* in terra. Idque ex *Daniele & Apocalypsi* sibi revelatum contendunt.

X. Militia *Anglorum terrestris & maritima est.*

§. 1. Reges *Angliæ* hoc habent privilegium vel consuetudinem, quod non ut, alii Principes milite voluntario, & per tympanum conducto opus habeant, sed possunt subditos suos etiam *nolentes* ad bellum cogere, id quod ipsi vocant *pressen*. *Milites* Angli aliis audaciâ & strenuitate conferuntur. Sunt enim *mortis* contemptores, ac vili pretio vitam suam æstimant: sed *labores* & præsertim *inediam*, vix perferre possunt, nisi diu extero cælo assueti. Hinc copiæ illorum in exteris regionibus ante sive Intemperantiâ sive inopiâ intereunt, quam interdum hostem conspexerint. *Peditatu* quam *Equitatu* meliores. Quamvis cum regio equorum ferax sit, vix tamen illi bello sunt apti. Quapropter equos *militares* ex transmarinis fere regionibus petunt, aut etiam domesticos peculiari ratione ad bellum assuefaciunt.

§. 2.

§. 2. De navali *Anglorum* potentiâ nullum eſt dubium, quippe in quâ hodiè poſt Belgas, Gallos, & Danos, cæteris gentilibus ſunt ſuperiores. Hoc autem anno 1666. prælio maritimo à Belgis Fœderatis profligati Imperium quod prætendebant maritimum, amiſerunt.

XI. *Prætendunt* dominium Maris.

De hac controverſiâ extant contraria Scripta Johannis Seldeni, qui *mare clauſum*, & Hugonis Grotii, qui *mare liberum* defendunt. Quæſtio hodie bello diſceptatur. Exitum dies docebit.

XII. *Anglia bello civili graviter concuſſa.*

Cujus hæc breviſſima delineatio nunc ſufficiat. *Controverſia* erat de Regis *Prærogativa & privilegiis* populi. *Rex* VI. membra Parlamenti accuſabat, & ſibi tradi volebat. *Parlamentum* hoc interpretabatur violationem ſuorum privilegiorum. *Rex* offenſus tumultibus populi *Londinum* deſerit. *Hulla per Hothamum* excluditur. Hinc mutuæ querelæ & accuſationes, denique ad *arma* utrinque conclamatum. *Rex* vexillum ſive Standardum erigit *Notinghamiæ*. Parlamentum Generalem Exercitus creat Comitem *Eſſexium*. Primum prælium commiſſum ad *Egdehillam*. In *Cornubiâ* deinde *Eſſexius* jacturam fecit. Rex *Glaceſtriam*.

cestriam obsedit à Massejo defensam. *Secundum* prælium fuit ad oppidum *Nuberiam*. *Tertium* ad urbem *Eboracum*, ubi Rex gravi prælio fuit superatus. Essexio successit *Fairfaxius*, sub quo exitiosum regiis partibus prælium ad vicum *Nasebin*. Rex amissis omnibus in castra Scotorum se recepit, Ab his traditur Parlamento Angliæ: ab hoc in custodiam mittitur, accusatur & occiditur. *Angli* Rempublicam instituunt. Mox illam in *Protectoratum* mutant. Tandem & hujus pertæsi, *Regem* revocant: Episcopos restituunt, bellum *infelix & temerarium* contra *Belgas, Gallos, Danos*, movent, ingentibus præliis profligantur.

IV. DE REGNIS SEPTENTRIONALIBUS DANIÆ, SUECIÆ ET NORVVEGIÆ.

I. *Unio Regnorum Septentrionalium cæpit sub* Margaretha.

§. 1. A C. 1388. Nam post mortem *Olai* Regis Norwegiæ, qui ultimus fuit ex Familiâ *Haraldi* Harfageri, sive *Pulchri-comi* Regnum *Norwegiæ* cum *Daniâ* fuit conjunctum, ita ut ab eo tempore idem perpetuo Rex *Daniæ & Norwegiæ* fuerit.

§. 2. Conati quidem fuerunt aliquoties *Norwegi* ex suâ gente Reges iterum creare, sed irrito

irrito ſucceſſu. Inprimis memorabilis fuit conatus cujuſdam *Hermolai* Hudphat, qui Norwegos ad defectionem impulerat, ſed eo capto & rotæ impoſito, Norwegi in graviorem ſervitutem redacti fuerunt à *Christierno* II. à quo etiam tempore Reges Daniç ſeſe *hæredes* Norwegiæ ſcripſerunt. Ita Regnum Norwegiæ ab antiquâ illâ gloriâ & potentiâ, quam ſub priſcis Regibus ſuis habuerat, hodiè multum defecit, præſertim cum ad Danos præcipua Regni munia, excluſis ferè indigenis, transferantur.

§. 3. *Margaretha* Daniæ & Norwegiæ Regina capto & victo *Alberto* Megapolitano Rege Sueciæ, illud Regnum reliquis duobus junxit, atque ita tria regna Septentrionalia in unum corpus redegit. Et ut hæc unio eſſet perpetua, ac totus Septentrio ab uno inpoſterum Rege regeretur, in Comitiis *Calmarienſibus*, tanquam lege pragmaticâ & fundamentali ſancitum fuit, ut *unus* eſſet Rex *Daniæ*, *Sueciæ & Norwegiæ*, hac tamen ſub conditione, ut inter *Danos*, & *Suecos* ſuffragia Regis creandi alternarentur & ut Dani & Sueci alternatim primum ſuffragium in Rege creando haberent.

II. Unio *Regnorum Septentrionalium iterum diſſolvitur.*

§. 1. Non potuit inter *Danos* & *Suecos*

 diu-

diuturna esse concordia propter causas Politicis notas. Hinc mox exortæ mutuæ querelæ. Conquerebantur *Sueci* pacta Calmariensia in creatione Regis *Christophori* Bavari à Danis fuisse violata. Hinc post longas contestationes *Dani*, cum primum in Rege creando suffragium sibi arrogarent, *Sueci* proprium sibi Regem ex suâ gente crearunt. Carolum Canuti postquam Dani creassent, *Christianum* Comitem Oldenburgicum. Diuturnæ illæ fuerunt lites & gravia bella, modò Suecis iterum unionem Calmariensem admittentibus, mox iterum ab ea discedentibus. Atque hæ altercationes durarunt toto Christiani I. *Iohannis* & ex parte *Christierni* II. Regno. Quanquam enim *Sueci* nollent perferre Reges Danorum, nondum tamen palam ab unione trium regnorum desciscere volebant, sed tantum conquerebantur; non servari pacta, testati, illa si servarentur, nullam in se fore moram, quo minus unus totius Septentrionis Rex esset.

§. 2. Inter has contentiones *Sueci* pro suâ libertate defendendâ crearunt sibi *Gubernatores* tres ordine, *Suantonem* & duos *Stenones Majorem & Minorem*, quorum magnifica extant facinora.

III. Dania & Suecia *iterum in duo Regna disjunguntur.*

A.C. 1523. planè abolita & sublata fuit *Vnio*

nio Calmarienſis, communi Danorum & Suecorum conſenſu. Cauſa fuit atrox *Chriſtierni* II. tyrannis, qui à Suecis Rex admiſſus, contra datam fidem 90. Proceres Stockholmiæ in publico foro, manu carnificis trucidari juſſit, & alia egit, quæ vix ab ullo Tyranno antiquo patrata leguntur. Hanc immanitatem exhorruit totus Septentrio, ac communi Danorum, Suecorum, & Norwegorum decreto Regnum *Chriſtierno* II. fuit abrogatum, cumque id armis repeteret, captus à Danis & in miſerrimum carcerem per 38. continuos annos uſque ad finem vitæ conjectus fuit. Ita amoto Tyranno ſui jam juris Dani & Sueci peculiares ſibi & ſeparatos Reges crearunt.

IV. Dani *Regnum transtulerunt ad* Fridericum *Ducem Holſatiæ.*

Factum hoc inprimis favore Nobilitatis. Nam cum *Chriſtiernus* II. tyrannus inprimis Nobilitati infenſus fuiſſet, captans gratiam civium ac plebis; hinc Nobiles patruum ipſius *Fridericum* Ducem Holſatiæ certis conditionibus & magna ſibi privilegia pacti, elegerunt, quæ privilegia ad hunc uſque diem & annum Nobilitas Danica & Holſatica in creatione Novorum Regum non tantum acriter defendit, verum etiam magnâ acceſſione auxit, ita quidem, ut jura *Majeſtatis* cum Rege communia habuerint. Sed inprimis cum *Fridericus* II.

Rex eligeretur, hæc Nobilium privilegia in immensum fuerunt aucta, quorum hæc capita præcipua. I. *Rex* nullum *Nobilium* capitis damnato vel proscribito, sed judicium Senatui relinquat. 2. *Nobiles* jus vitæ & necis in suos subditos, absque provocatione habento, neque Rex de mulctis participet. 3. *Honores & dignitates* nulli privato aut extraneo Rex dato, sed id penes Senatum sit. In has leges *Fridericus* II. juravit, ac ne juramentum suum violare posset, *Nobilitas* cum civitate Lubecensi & Rege Poloniæ fœdus inivit. Atque hic status Politicus Regni Daniæ fuit usque ad hunc annum 1661. quo hæc Nobilium privilegia à Civitatibus, Clericis & Agricolis fuerunt sublata, ac ipse Rex ex illâ quasi servitute Nobilium in libertatem fuit assertus.

V. *Claustrum* Daniæ *est Fretum* Sunda.

§. 1. Hoc fretum totius orbis celeberrimum, quod lingua vulgari *Sund* vocatur, est clavis maris Balthici, neque alia via navigationes ultro citroque exerceri possunt, nisi per illud fretum. Quapropter Daniæ Rex est quasi *Claviger* totius navigationis ac mercaturæ Balthicæ. Atque hinc præcipui reditus ex teloniis, navibus ac mercibus impositis. Quapropter præcipuum robur Regni Daniæ consistit in defensione freti Sundani. Unde *Fridericus*

II. fir-

II. firmissimo Castello, quod *Cronenburgum* vocant, extructo, hujus freti defensionem sibi posterisque suis confirmavit.

§. 2. Propter hoc *Sundense* telonium, quod Rex Daniæ *Christianus* IV. multis modis contra antiqua jura ac consuetudines aggravabat, magnæ controversiæ inter *Danos & Batavos* fuerunt exortæ, ita quidem ut Hollandi armata manu transitum sibi liberum per Sundam aperturi viderentur, & palam jactarent, claves freti Sundani esse Amstelodami. Hæ controversiæ inter Danos & Batavos anno 1644. exortæ & compositæ fuêre, ac vectigalia ad certas leges & modum redacta

VI. Dania *Regnum* Hæreditarium *fit*.

A.C. 1661. Maxima in Regno *Daniæ* facta fuit mutatio, ac introducta *hæreditaria* utriusque sexus successio. Rex factus *supremus* Regni Dominus, qui hactenus à Senatu Regni dependebat.

VII. Hallandia, Scania, Bleckingia *Regno Daniæ decesserunt*.

De his Provinciis antiqua fuit contentio inter Danos & Sueeos, utrisque eas sibi vindicantibus; quæ composita fuit nupera pace, ita quidem, ut hæ tres Provinciæ juris Suecici essent.

VII. Sueci *Regnum transtulerunt ad* Gustavum *Erici*.

§. 1. A.C. 1523. *Gustavus* Erici obses Christierno II. datus, habitu bubsequæ effugit, & Lubecam pervenit, ubi vestimenta sua rustica dedit Senatui, quæ hodieque ibi asservantur, & ab illis novo habitu & pecunia instructus, ac in Sueciam remissus fuit, ut eam gentem ad defectionem à Danis concitaret. *Gustavus* igitur *Dalecarlos*, gentem fortissimam ad arma impulit, & ab illis Dux contra Christiernum II. creatus fuit, ac felicibus præliis brevi tempore Danorum præsidia toto regno pepulit.

§. 2. Propter hæc merita *Gustavus* creatus fuit à Suecis Rex A. C. 1523. ac postea obtinuit: ut regnum illud suæ familiæ, quantum ad lineam masculinam, *hæreditarium & successivum* esset. Sub cujus nepote *Gustavo Adolpho* qui prole mascula carebat, hoc privilegium etiam ad fœminas fuit extensum, quemadmodum ipsi filia *Christina* successit.

IX. *Controversia inter* Sigismundum & Carolum, *Sueciam cum Polonia diuturno bello involvit*.

§. 1. *Gustavus* tres reliquit filios, *Ericum, Iohannem & Carolum*. Johannis filius erat *Sigismundus*, quem Poloni Regem creaverunt, qui cum pactis non stetisset, & religionem

nem in Suecia turbaret, Sueci patruum ejus *Carolum* Ducem Sudermanniæ, primò Gubernatorem, deinde Regem creaverunt, excluſo Sigiſmundo ac omni ejus poſteritate. Hinc bella inter Suecos & Polonos, repetente regnum Sueciæ, tanquam hæreditarium, Sigiſmundo: poſſeſſionem ejus defendente Carolo IX. Tandem Guſtavus Adolphus Caroli IX. filius & ſucceſſor hunc nodum Gordium gladio victore diſſecuit, ac Sigiſmundum regno Sueciæ renunciare coëgit. A. C. 1627.

§. 2. Quanquam verò inter Suecos & Polonos, vel pace vel induciis hæc controverſia utcunque ſopita videretur, manſerunt tamen ejus radices. Quippe Reges Poloniæ ex linea Sigiſmundi, quanquam Regno Sueciæ carerent, titulis tamen atque inſignibus abſtinere noluerunt. Inde antiqua odia inter utramque gentem recruduerunt, quæ tandem inter *Carolum* X. Sueciæ & *Iohannem* Caſimirum Poloniæ Regem in funeſtiſſimum illud bellum anno 1653. exarſerunt, quo tota ferè Polonia conflagravit.

X. Sueci *bello Germanico & Danico maxima incrementa cœpit.*

§. 1. Obſcura hactenus & Septentrioni ferè incluſa Suecorum potentia & gloria primum erupit, atque toti orbi innotuit, bello Germanico, quod *Guſtavus Adolphus* anno

1629. gerere cœpit, incredibili cum successu, quod tandem anno 1648. pace Monâsteriensi finitum fuit.

§. 2. Hoc bello & pace Sueci obtinuerunt præter ingentes thesauros ac inæstimabilem prædam, amplissimas ad mare *Balthicum* Provincias, Ducatum *Bremensem*, salva urbis libertate & *Verdensem*: omnem *Pomeraniam* citeriorem unà cum *Episcopatu Caminensi* ac Dominatum *Vismariæ* in Ducatu *Megapolitano*.

§. 3. Bello postremo Danico Succiæ accesserunt 1. in Norwegia *Iemptia & Bahus* 2. *in Daniâ, Hallandia, Scania, & Bleckingia* atque aliæ in mari Balthico Insulæ.

V. De Regno Poloniæ.

I. Polonia *exteros* Reges *habere cœpit.*

A. C. 1571. exstinctâ familia *Iagellonidum* in Sigismundo Augusto. A quo tempore Poloni *exteros* Reges creare sibi cœperunt. (1) *Henricum Ducem Audegavensem* Fratrem Caroli IX. Regis Galliæ, qui primo anno, pertæsus Regni Poloniæ clam ex Regno aufugit. (2) *Stephanum* Batorium Principem Transsylvaniæ, qui antiquam Regni Poloniæ gloriam ingentibus virtutibus excitavit. (3) *Sigismundum*

dum Regem Sueciæ, cujus filius *Iohannes* Casimirus hodieque regnat. Restat nunc ingens illa controversia de Rege Poloniæ creando, de cujus eventu Divina Providentia judicabit.

II. *Forma regni Poloniæ est* Aristocratica.

§. 1. Ingens Nobilium Polonorum non tam libertas quam licentia est, qui se propemodum Regis *Fratres ac æquales* arbitrantur. Regem ipsi eligunt & quas volunt leges præscribunt. Si quis illas leges non vult accipere, proclamant *Piastum*, hoc est, ex sua ratione vel rusticum aliquem, qualis fuit *Piastus*, volunt eligere. Perpetua sunt certamina inter *Senatores & Nobiles*. Regi *Senatores*, Regno *Nobiles* favent. Omnium Nobilium Polonorum par est autoritas: uno dissentiente, reliqua irrita sunt suffragia, unusque Nobilis jus habet intercedendi in Comitiis Poloniæ. Cum cæteri omnes consensum præbuissent, unus Nobilis surrexit, & se hoc *non probare* dixit. Rogatus causam, dixit: quia *Nobilis* sum: neque ante ratum putarunt esse decretum, quam ipsius *consensus* impetraretur.

§. 2. In Comitiis Poloniæ prævalet autoritas *Nunciorum* terrestrium, qui sunt deputati *Nobilitatis* & causam *libertatis* publicæ, contra Regem & Senatores regni, strenuè agunt.

Semper enim metuunt *Nobiles* Poloni, ne à Rege suis privilegiis spolientur. Habent autem privilegia ingentia. Quippe suis Subditis cum absoluta potestate dominantur, in illos jus *vitæ & necis* habent. Ita singuli fere Nobiles singuli sunt Reges.

III. Militia Polonorum equestris est.

§. 1. Pro tot privilegiis *Nobiles* propriis impensis militare coguntur. Sola ibi Nobilitas tractat arma: Cives ad Mercaturam vel opificia: Rustici ad Stivam relegantur. Hinc quia Nobilibus Polonis turpe videtur pedibus incedere, omnes equestrem militiam sectantur. Et hoc est illud robur militiæ Polonicæ; centum millia Nobilium stant in procinctu ad defendendum regnum. De finibus prolatandis non sunt solliciti, Inter Equites censentur *Cosacci* levis armaturæ, quorum unicus scopus est omnia vastare, deprædari & incendere, tam hosti quàm amicis terribiles.

§. 2. Quod si Poloni opus habeant *peditatu*, illum non ex sua gente, sed ex *Germanis & Hungaris* conducunt.

IV. Opes *Polonorum in* Frumento *consistunt.*

Polonia est Europæ *Ægyptus* ac inprimis *Belgii* horreum. *Messes* Polonicæ totam fere Euro-

Europam sterilitate ingruente alunt, ac propterea tota *Europa* optat Pacem Poloniæ, ut illius uberrima frumenti copia saturetur. Ac ipse Deus fluvio *Vistulâ* totam Poloniam permeante, & apud *Dantiscum* in mare Balthicum se exonerante, tanquam aliquo *Nilo*, beare voluit, ut suas merces Europæ reliquæ impertiretur. Emporium Mercaturæ Polonicæ in mari Balthico *Dantiscum* est, pro cujus libertate hactenus Belgæ tam acriter pugnarunt, ne nimirum à Polonia avelleretur.

V. Hostes *Polonorum* Sueci, Moscovitæ, *Tartari* & Turcæ *sunt*.

§. 1. Inter *Suecos & Polonos* hostilitates exercentur tribus de causis. (1) propter *Livoniam*. (2) propter *prætensionem* Lineæ *Sigismundi* in Regnum Sueciæ. (3) propter titulos & insignia. Sed hæ controversiæ tot bellis decisæ brevi evanescent extincta linea Sigismundica.

§. 2. De *Moscorum* cum Polonis dissidio ejusque causis supradictum in Russia.

§. 3. *Tartari* Precopenses, *Voliniam & Podoliam* infestant. Deliberatum aliquando in Comitiis Poloniæ de Pestilentia illa Tartarica vel penitus *exscindenda*, vel saltem *refrænandâ* : promptissimum remedium videbatur, siquidem Insulæ fluvii *Borysthenis*, præsidiis com-

communirentur, quem transire Tartari in Poloniam excurrentes debent, sed res effectu caruit. Ita hodièque *Tartari* annuis excursionibus Poloniam deprædantur, vel ut *amici* vel ut *hostes*: ipsis enim perinde est, quo titulo Poloniam invadant, cum semper præda, inprimis vero hominum agminibus graves, in Tauricam suam revertantur. Tartari igitur non student occupare, sed tantum deprædari & vastare Poloniam.

§. 4. Maximus autem procul dubio hostis Poloniæ est *Turca*, præsertim postquam *Wallachiam*, *Moldaviam* ac *Transsylvaniam* occupavit claustra Regni Poloniæ, ac quia *Tartaros* sibi obnoxios habet. Sed de hoc hoste nil adhuc certi statui potest, quia consilia tantum & metus hactenus cognita sunt.

VI. Hesthera *Judæa* Judæis *à* Casimiro *M. ingentia Privilegia impetravit.*

De quibus videantur *Constitutiones* Regni Poloniæ. Sic *Esther* sub Rege Ahasuero: ut nomen illud quasi *fatale & favorabile* videatur Judæis. Ab eo tempore *Iudæi* omnia ferè vectigalia regni Poloniæ possederunt, gravi cum oppressione Indigenarum. Atque hæc una ex præcipuis fuit causis, cur Cosacci nuper rebellarint.

III.

III. Polonia *ob Regum* Electionem *est* turbulenta.

§. 1. Quanquam Regnum Poloniæ sit *Electivum*, nunquam tamen Poloni præteritâ familiâ Regiâ exteros elegerunt, sed si quando deficiat familia Regia, tum demum oriuntur graves factiones, antequam in novum Regem conspirare possint.

§. 2. *Competitores* Regni Poloniæ sunt (1) *Moseus* ob eandem linguam, originem & viciniam. (2) *Tartarus* Precopensis, qui tribus inprimis rationibus nititur. 1. Se esse *potentem* ac vel 100000. Equitum in aciem producere posse. 2. se esse *parcum* & paucis contentum, quippe cui caro *equina* cibum, *sanguis* vel *lac* potum præbeat. 3. quod Religionem spectet, de qua audiat in Poloniâ disceptari, se illam susque deque habere, *Tuus* inquit *Lutherus*, meus *Lutherus*: Tuus *Papa*, meus *Papa*. (3) Domus *Austriaca*, quæ diu Poloniam Bohemiæ & Hungariæ conjungere voluit, quod inprimis apparuit post mortem *Stephani* Batori: tum enim Poloni in duas factiones scissi, alii quidem *Sigismundum* Regem Sueciæ, alii *Maximilianum* Archiducem Austriæ elegerunt: sed victus atque captus *Maximilianus* prætensioni suæ in Poloniam renunciavit, jure tamen atque titulo sibi reservato. (4) Rex *Galliæ*, inde à temporibus *Caroli* IX. Quippe Poloni

loni exſtincta familia *Iagellonidum*, in *Sigiſmundo* Auguſto, Regem creaverunt *Henricum* Ducem Andegavenſem fratrem *Caroli* IX. Regis Galliæ. A quo tempore Galli, ne Domus *Auſtriaca* ad Regnum Poloniæ perveniret, ſemper aliquam partem foverunt, præcipuè poſtquam *Vladiſlaus* ejuſque frater *Iohannes* Caſimirus uxorem ex Gallia Ducem Nivernenſem, duxiſſent. Ita hodie agitur de Filio Principis Condei Duce *Anguinio* ad Regnum Poloniæ poſt obitum Joh. Caſimiri promovendo, vel alio Gallicis partibus addicto.

VIII. Polonia *declinat.*

1. Propter amiſſam *Moldaviam & Wallachiam*. 2. propter defectionem *Coſaccorum & Ruſſorum* nigrorum cum tota *Vkreina*. 3. propter *Lithuaniam* à Moſcovitis magna parte occupatam vel vaſtatam. 4. propter bellum Civile inter *Regem* &Nobilitatem, cui dux *Lubomirsky* eſt, nuper prælio victor.

Hæc de Regnis.

CAP.

CAP. IV.

DE REBUSPUBLICIS.

I. DE REPUBLICA VENETA.

I. Venetiæ *in Mari* Adriatico *conditæ sunt.*

§. 1. Anno Chr. 401. Occasio fuit bellum *Hunnicum*, quod tum temporis totam Europam, maximè Italiam terrore impleverat. Cum igitur *Attila* Rex Hunnorum in Italiam irruptionem moliretur, quam plurimæ familiæ Nobiles ex terra continenti in Insulas & æstuaria maris Adriatici se receperunt: Ibi structis pro tempore ędificiis, cum natura loci se tutos & inexpugnabiles viderent, oppida condere & in Respubl. dividi cœperunt, quæ tandem societate inita in vastam illam civitatem *Venetiarum* coaluerunt. De qua urbe extant præclari versus Sannazarii:

Viderat Hadriacis Venetam Neptunus in undis
Stare urbem, & toto ponere jura mari.
Nunc mihi Tarpejas quantumvis Iupiter arces
Objice & illa tui Mœnia Martis ait.
Si Tibrim Oceano præfers, Vrbem aspice utramque, *Illam*

Illam homines, dicas hanc posuisse Deos.

§. 2. Atque hinc Civitas *Venetiarum* à prima sua origine per 1200. annos ab omni hostili impetu libera perstitit, ac secura in ipsis undis, omnem vim vel *hostium* vel *Oceani* despicit, & supra omnes alias Resp. *diuturnitate* gloriatur.

II. Respublica *Veneta* Legibus & Institutis *alias superat.*

Est enim perfectum *Exemplar* perfectissimæ Reipubl. ac nihil humano ingenio excogitari potest, quod ipsa non observaverit ac in usus suos transtulerit. Quapropter ut quæque *Respubl.* accedit *propius* ad imaginem Reipubl. Venetæ, eo quoque perfectior esse censetur. Inprimis Remp. Venetam exprimit & quam proximè refert Resp. *Norimbergensis* in Germania, quæ ad leges Venetiarum sese accommodavit, atque hinc præ aliis *floret* atque excellit.

III. Respubl Veneta ex Monarchiâ, Aristocratiâ & Democratiâ *quam optimè temperata est.*

§. 1. Statùm *Monarchicum* repræsentat Dux Venetorum, qui omnem externam Regiam pompam habet, sed *potestate* destituitur, adeoque non nisi *Splendorem & Majestatem* Reip. conciliat.

§. 2. *Senatores* 120. & interdum plures referunt. Statum *Optimatum* & pleraque jura *Majestatis* exercent.

§. 3. Sed ipsa Basis & fundamentum hujus Reip. consistit in Consilio Magno *Nobilium* sive *Patriciorum*. Omnes enim *Nobiles* sive *Patricii* Veneti, qui excesserunt annum ætatis 20. vel 25. hujus Magni Consilii sunt membra, ac jus *Sententiæ* dicendæ ac *Suffragii* habent. Horum numerus ingens est, ac plerumque plures quam 1500. Ac penes hoc *Consilium* Magnum vis ac potestas Reip. consistit, & omnes Magistratus ac Præfecturæ ab hoc Consilio tanquam fonte proficiscuntur. Referunt sua multitudine Statum *Popularem*. Excluduntur ab omni Reipub. administratione *Mercatores & Opifices*, quibus non est fas in ullo Collegio Magistratus comparere, excepto quod *Cancellarius* Reip. ex plebejo ordine eligitur. Licitum tamen est *Mercatoribus* præsertim, quotiescunque Resp. opus habet pecuniâ Nobilitatem sive *Patriciatum* pretio emere, atque ita Consilio Nobilium accenseri.

IV. Potentia *Venetorum partim Terrestris, partim maritima est.*

§. 1. Dominium Reipublic. complectitur Provincias terræ *continentis*, *& Maritimas*. In terra *continente* possident magnam partem *Lombardiæ*, Marchiam *Trevisanam* & Forum *Iulii*.

Iulii. Provinciæ maritimæ ſunt *Iſtria*, *Dalmatia* & Inſulæ, *Corſu*, *Zanthe*, *Cephalonia*, *Candia* & aliæ in Archipelago.

§. 2. Quapropter Reſp. Veneta, præcipuè maritimæ poteſtatis rationem habet, in quem finem in ipſa urbe eſt *armamentarium* inſtructiſſimum, cui ſimile totus orbis vix habet, ex quo 300. triremes omnibus rebus inſtructiſſimæ, facile in maria emitti poſſunt.

V. *Dux Annulo aureo mare Adriaticum quotannis ſibi deſponſat.*

Reſpublica Veneta ſibi arrogat dominium maris Adriatici. In quem finem quotannis die *Aſcenſionis* Domini, Dux cum magnificâ illa navi, quæ vocatur *Bucentaurus*, mare *Adriaticum* invehitur, ac ſtans celſa in puppi aureum annulum digito detractum in mare projicit, dicens; ſe in ſignum legitimi & perpetui Imperii mare *Adriaticum* ſibi deſponſare.

VI. *Theſaurum* Veneti ingentem *habent.*

Inter alia miranda Reipub. Venetæ refertur etiam inæſtimabilis ille Theſaurus, quem peregrinantibus oſtentare ſolent. Tanta ibi gemmarum & auri multitudo, ut major acervus uno in loco nuſpiam alibi reperiri credatur. Sed Legatus *Hiſpaniæ* unicum defectum in hoc Theſauro deprehendit, quod nimirum

non

non habet radices, adeoque ea re Thesaurum Regis Hispaniæ præcellere, quod is radices in America haberet, atque sic inexhaustus nunquam deficeret.

VII. *Scopus Reipub. Venetæ est servare non acquirere.*

Atque hoc commune habet cum omnibus aliis Reubspu. hodiernis, quarum *scopus* est acquiescere in præsenti statu, neque *potentiam* suam longiùs *extendere*. Hinc nulla bella gerunt offensiva: sed contra invadentes masculè se atque generosè defendunt, quemadmodum Respub. Veneta bello Turcico hodieque ostendit.

VIII. *Hostes antiqui fuerunt* Genuenses: *Recentes* Papa, Austriaci & Turcæ.

§. 1. Inter Rempubl. *Genuensem* & *Venetam* acerrima bella fuerunt pro dominio maris & mercaturâ, quippe utraque Urbs illo tempore primatum affectabat & in mari & in mercaturâ. Tandem prævaluit fatum Reipublic. *Venetæ*, adeoque *Genuenses* exuti imperio maris, in posterum conquieverunt, soli *mercaturæ & lucro* dediti. Unde hodieque *Genuenses* quanquam potentiâ militari longe inferiores, opibus tamen & divitiis *Venetos* vel æquant vel superant.

§. 2. Nostro tempore hostes Reip. Venetæ fuerunt tres, *Papa*, Domus *Austriaca*, & *Turca*.

IX. *Resp. Veneta fœdere Cameracensi gravissime affligitur.*

§. 1. Circa A. C. 1500. Sub Duce *Leonardo* Loredano tum temporis tota Europa conspiravit, ad exstinguendam Rempubl. Venetam, autore *Iulio* II. Papa Rom. Fœdus ictum fuit *Camerati* in Belgio inter *Iulium* II. Papam, *Maximilianum* I. Imperatorem, *Ludovicum* XII. Regem Galliæ, *Ferdinandum* Regem Hispaniæ, quibus sese minores Principes conjunxerunt. Tam occulta fuit hæc conspiratio, ut sagacissima alias Resp. citius oppressa fuerit, quam fœdus contra se initum intellexisset. Penè momento amiserunt omnia quæ in continenti possidebant, & intra solas *Venetias* fuerunt redacti. Tum *Maximilianus* Imperator tormenta sua ex continenti in Urbem explosit, trajecturus etiam, & ipsam Urbem terrore plenam occupaturus, nisi naves defuissent. Ita *Leo* Venetus *Aquilæ* succubuit, ac Resp. per 1200. annos invicta, Imperatori *Supplex* facta fuit. Cessit omni imperio *Continentis*: pacta fuit: *tributum* annuum, & id denique suis artibus impetravit, ut tot præpotentes Confœderati à se divellerentur. Non victa sed multitudine hostium oppressa fuit tunc temporis Resp.

§. 2.

§. 2. Postquam hi *Confœderati* à sese invicem iterum disjuncti fuissent, *Veneti* singulos aggressi, facilè cuncta quæ amiserant, recuperarunt, & ab eo tempore Remp. suám contra tales conspirationes invictam reddiderunt. De tota hac re memorabili legendus est inprimis Franciscus *Guicciardinus*.

X. Paulus V. *Papa Rempubl. Venetam* excommunicat.

A. C. 1605. Causa erat duplex (1) quod omnes *Ecclesiasticos* à Regimine excluderent, (2) quod nullam *pensionem* Curiæ Romanæ penderent, & quanquam boni *Catholici* videri vellent, parum tamen æstimarent Papam. Occasio erat rixa inter *Rempubl.* Venetam & *Ecclesiasticos*. Papa defendebat *Ecclesiasticos*, Veneti suas *leges*, jura *Majestatis*. Paulus V. Remp. ut loquuntur *excommunicavit*, spernentibus brutum illud fulmen Venetis, & Papæ temeritatem ridentibus. Tandem Resp. suam indignationem ostendit & *arma* contra Papam sumsit. Spectatores hujus Comœdiæ erant *Galli & Hispani*, illi aquam, hi oleum incendio affundentes Soli *Batavi* Reip. statim auxilia tulerunt. Paulo post ridiculum hoc bellum, magno Papæ ludibrio, magna Reip. Venetæ gloria, pace terminatum fuit, sed cum perpetua proscriptione *Iesuitarum*, qui quandoquidem Papæ adhæserint contra Rem-

Rempubl. hinc nullis precibus exorari potuit Respub. ut illos in suis territoriis toleraret. Donec ante triennium A. 1657. necessitate belli Turcici in gratiam hodierni *Papæ*, sed strictis conditionibus quasi restituti fuerunt.

XI. *Inter* Venetos & Austriacos *bellum exoritur.*

A.C. 1616. Controversia erat de limitibus. Statim *Batavi* Venetis auxilia miserunt, unde paulò post pax inter diffidentes fuit inita.

XII. Candiam *contra* Turcas *defendunt.*

A.C. 1645. *Ibrahim* Imperator Turcarum Insulam *Candiam* invasit, ac totam ditioni suæ adjecit, usque ad unicam Urbem *Candiam*, quam Resp. Veneta hodieque contra universam potentiam *Ottomannicam*, stupente Europa, & *prudentiam ac fortitudinem* Venetorum admirante sola defendit. Bellum etiamnum durat.

XIII. Claustra *Reip. Venetæ sunt contra* Turcas *Mare Corfu: contra Domum* Austriacam *Terra Nova* Palma.

Et hæc duo munimenta Rempubl. *Venetam* terra marique defendunt. *Corfu* est clavis maris

maris Adriatici. Nova *Palma* est clavis Fori *Iulii*, ac perfectissimum exemplar artis Fortificatoriæ; nam non repetitur in totâ Europâ, Urbs ulla, quæ secundum regulas artis tam perfectè ad inexpugnabile robur sit exstructa, quam Nova *Palma*.

XIV. Venetiæ *præstantissima* vitra *suppeditant*.

Nihil producunt Venetiæ, quippe medio in mari sitæ, nisi *Vitra* præstantissima, tam pellucida & ingeniosè confecta, ut nullibi terrarum talia inveniantur: quanquam hoc anno Batavi eorum vitrifactoriam vel æquarint vel superarint.

II. DE REPUBLICA HELVETICA.

CANON.

I. *Resp.* Helvetica *consistit in tredecim* Cantonibus.

§. 1. CÆpit A. C. 1308. & completa fuit A. 1513. Primi Confœderati fuerunt hi tres Cantones sive Pagi, *Switz*, *Vri* & *Vnderwalden*. A pago *Switz* omnes inposterum confœderati Cantones appellati fuerunt *Suitzeri*.

§. 2. *Occasio* hujus confœderationis fuit in-

defendunt [illegible]
semper [illegible]
& vim [illegible]
repellere, [illegible]
ipsi Imperatori. [illegible]
etiam armis [illegible]
Papa sive [illegible]
meram sive [illegible] *sequentur,* [illegible]
[illegible]
donec [illegible] *Imperatores, Reges,*
Principes [illegible]
[illegible]
[illegible]
lemniter tanquam [illegible]
deverint etiam [illegible]
conferentur, ubertim.

Tertium [illegible]
ricis [illegible]
quicquid [illegible]
cidisset ab [illegible] *ad* [illegible]
obiter [illegible]
dine, ita ut [illegible]
cujus momenti & pondus sit.

At quoniam [illegible] ***hodieque geruntur*** [illegible]***, quam*** [illegible] **Geographiam** [illegible]***, ultimamque, velut*** [illegible] ***Imperatorum,*** [illegible]***rumpublicarum, Dominatuum, Episcopatuum, Principatuum,*** [illegible]***lium, constituere*** [illegible]

[illegible]

ſolentia *Præfectorum*, quas domus Auſtriaca nomine Imperii Helvetiis præfecit. Duo tantum exempla talis inſolentiæ commemorabimus. I. *Griſter* præfectus *Vriorum* pileum ſuum longæ haſtæ impoſuit, & ſingulos prætereuntes, non minorem honorem quam ſibi præſenti pileo & perticæ exhiberi juſſit. Hoc mandatum tanquam iniquum contempſit quidam nomine *Wilhelmus*, Tell. Igitur læſæ *Majeſtatis* accuſatus & ad ſupplicium abreptus, ſuâ generoſitate manus Tyranni evaſit, ac Helvetios ad libertatem ſuo exemplo impulit. Unde ipſius memoria apud Helvetios eſt Sacroſancta, & *cantilenis* vulgo celebratur, quorum initium eſt: *Wilhelmus van den Telle*, ad cujus imitationem Batavi compoſuerunt *Wilhelmus van Naſſauven*. II. Quidam Præfectus *Vnderwaldenſium* uxorem ruſtici ad ſtuprum compellere volebat: maritus ſuperveniens, ſecuri caput adulrero confregit. His ducibus tres initio pagi fœdus intra ſe contra Præfectorum inſolentiam pepigerunt, ac glorioſa illa fundamenta præpotentis Reip. Helveticæ jecerunt; cumque prima initia feliciter ſucceſſiſſent, tota Helvetia in hoc fœdus conjuravit, & tandem *Reſpubl.* in XIII. pagos ſive Provincias fuit redacta.

§. 2. Huic novæ *Reip.* acriter ſeſe oppoſuerunt *tres* nationes. (1) Domus *Auſtriaca*, quæ in Helvetios tanquam *rebelles* dominium affectabat.

ctabat. Primum prælium commissum fuit inter Helvetios & Austriacos A. 1315. Alterum paulo post famosissimum ad pagum *Sempach*, in quo *Leopoldus* Dux Austriæ, qui dicebatur *gloria militum*, cum universâ Nobilitate sua à miseris aliquot Rusticis Helveticis fuit obtruncatus, cujus etiam cadaver hodieque Helvetii, tanquam trophæum partæ libertatis ostendunt. (2) *Burgundi* Duce *Carolo* Audace, Duce Burgundiæ. Cum quo tria prælia commissa. 1. ad oppidum *Gransonem*. 2. ad oppidum *Moratum*. & 3. ad urbem *Nanzeum* in Lotharingia: in quo etiam prælio fuit occisus. Hoc bello *Helvetii* infinitas divitias acquisiverunt, quarum quàm fuerint rudes tum & ignari tribus exemplis ostendi potest. 1. patinas *argenteas* pro *stanneis* vendiderunt. 2. Pretiosissima *aulæa & tapetes* Ducis Burgundiæ in *partes* dissecuerunt, ac inter se diviserunt. 3. Pretiosissimum *Adamantem* Ducis Burgundiæ, cui similis in toto orbe non reperiebatur, quidam *Helvetius*, existimans esse vitrum vel crystallum, abjecit: deinde unico aureo nummo cuidam Sacerdoti vendidit. Sacerdos haud multo prudentior pro 100. aureis nummis alii vendidit: donec tandem inæstimabilis pretii agnitus à Papa Rom. redimeretur, in cujus hodieque corona conspicitur. 3. *Suevi* cum Duce *Maximiliano* I. Imper. hoc bellum gestum fuit circa A. 1500. in quo etiam *Helvetii* ulti-

ma suæ fortitudinis exempla ediderunt, ac sese in plenam libertatem vindicarunt. Ab eo tempore externis hostibus inaccessa mansit Helvetia; sed frequentibus bellis civilibus inter se collisa, sic tamen ut nunquam fœdus inter se semel initum abruperint, sed semper iterum in gratiam ac amicitiam mutuam reversi fuerunt, gnari, se non nisi propriâ discordiâ destrui posse.

II. *Imperator* Ludovicus IV. *Helvetiorum* Libertatem & Fœdus *confirmavit.*

Causa erat diffidium inter *Fridericum* Austriacum & *Ludovicum* Bavarum pro Imperio. Cum igitur tres *Helvetiorum* Pagi, *Uri*, *Underwalden*, & *Switz* constanter adhærerent Ludovico contra Domum Austriacam, hinc ab eo donati fuerunt *libertate*, *ac fœdus* ipsorum contra *Austriacos*, confirmatum fuit.

III. Helvetii *magno odio prosequuntur* Pavones.

Causa, quod Duces Austriæ in galeâ suâ habeant caudam Pavonis; Unde Helvetii illam avem in tota sua ditione extinxerunt, ac si quis pennam Pavonis in pileo gestasset, is à proximo Helvetio obviante absque ulteriori interrogatione fuisset interfectus. Exemplum ludicrum hujus

hujus contra Pavones odii refertur tale. Quidam *Helvetius* vitrum vino repletum, in mensa ante se radiis Solis expositum habebat, cumque *Sol*, ut naturaliter fieri solet, in vitro speciem caudæ *Pavonis* exhibuisset, quodam ex adstantibus dicente: En pulchram caudam Pavonis, statim Helvetius inter multas Domus *Austriacæ* exsecrationes, stricto gladio, vitrum illud, tanquam hostem libertatis Helveticæ, in minutas partes confregit.

IV. *Helvetiorum* Militia *consistit in robore peditatus.*

Non reperitur in tota Europa præstantior militia pedestris quam *Helvetiorum*, ita quidem, ut illa acies habeatur invicta, à qua stat peditatus Helveticus. *Armis* olim utebantur terribilibus (1) *gladiis* ingentibus, quos utraque manu dexterrimè vibrabant. (2) *halebardis* formidabilibus & *Saxis*. Tria plerumque magna saxa quisque Helvetiorum secum in aciem portabat. In præliis terribili *clamore* impetum in hostem faciebant. Atque hac *militiâ* Helvetii ab exteris invicti manserunt.

§. 2. Sed ad *equestrem* militiam non adeo sunt apti, quemadmodum supra in Germaniâ fuit dictum. Quippe regio illorum tota ingentibus *Saxis & montibus* repleta, non permittit equestria certamina. Quanquam *Tigurini* ante aliquot annos ad equestrem militiam suos assuefacere cœperint. V.

V. *Helvetiis exprobratur Militia Mercenaria.*

§. 1. Cum *Helvetii* tot præclaris victoriis in libertatem se asseruissent, exteri Reges, Principes ac Respub. certatim illorum amicitiam, fœdera & auxilia expetierunt, maximis propositis præmiis. Atque ita Helvetii lucro illecti, neglectâ *agriculturâ & pecuariâ*, ingenti multitudine peregrinam militiam in hunc usque diem sectantur. Unde comparantur cum priscis illis *Caribus*. Sicut enim in antiquo orbe nullum bellum gerebatur absque milite mercenario Care: ita hodiè Helvetii omnibus intersunt bellis.

§ 2. Sed præcipuè Regi *Galliæ* sunt addicti, qui illorum auxilia ingentibus præmiis atque privilegiis emercatur. Nam cum *Galli* inprimis valeant *equitatu*, sed careant sufficienti *pedestri* militia suæ nationis, prout supra dictum fuit: hinc Helvetico peditatu suam aciem reddunt invictam. Nam non potest reperiri præstantior Exercitus, quam qui constat ex Equite *Gallo* & pedite Helvetio.

§. 3. Hoc opprobrium militiæ *pensionariæ* molestissimè tulerunt reliquiæ priscorum Helvetiorum: adeoque plurimis edictis sub gravissima pœna juventutem suam ab *externa & mercenaria* militia domi continere studebant, præsertim postquam Ulricus Zwinglius gravissi-

viſſimis argumentis demonſtraſſet, talem militiam eſſe illicitam. Unde *Tigurini & Bernates* à reliquis Cantonibus ſeceſſionem fecerunt, neque amplius ſuam juventutem exteris Regibus vendere & immolare voluerunt. Sed prævaluit his deſtinationibus *lucri* dulcedo, ita ut de Helvetiis dici poſſit, *peregrinam* militiam ab illis ſemper *prohiberi*, & ſemper *permitti*.

VI. Helvetii *propter* diſſidium *Religionis non rumpunt fædus.*

§. 1. Diſſidium *Religionis* in Helvetiâ exortum fuit A.C. 1516. cum Ulricus Zwinglius reformationem religionis exorſus fuit. Primo *Tigurini*, deinde *Bernates*, *Baſileenſes*, *Schaffhuſii*, & alii *Cantones*, vel in totum vel ex parte Euangelium receperunt, ac *Papæ* Roman. Imperium detrectarunt. In ejus obedientiâ perſeverarunt *Lucernates*, *Scloturenſes*, *Friburgenſes* & reliqui. Ita Reſpub. *Helvetica* in duas quaſi factiones diſceſſit. Hinc bellum inter *Tigurinos* & Cantones Romanos In quo tandem A. 1531. ipſe Ulricus Zwinglius, qui tanquam paſtor cum civibus ſuis in aciem deſcenderat, fuit occiſus.

§. 2. Tandem *pax* inter *Euangelicos & Romanenſes* Helvetios fuit inita, hac conditione, ut *unicuique* quam velit liceat amplecti *religionem*, & ne causâ religionis cuiquam fiat

vis, sed fœdus antiquum, non obstante hac *discordia* religionis, nihilominus inter *Helvetios*, Sacrosanctum habeatur. Hæc concordia duravit usque ad A. C. 1654. cum novum bellum propter *religionem* inter Helvetios exarsit. Nam cum aliquot familię apud *Switzenses* & *Cantones* alios Euangelium fuissent amplexæ: *Switzenses* capitali supplicio in illas animadverterunt. Hoc tolerare noluerunt *Tigurini* & *Bernates*, tanquam *fœderi* & *paci* contrarium. Post longas contestationes, tandem ad *arma* fuit perventum, ac bellum atrox inter *Tigurinos* & *Lucernates* exortum. Donec tandem interponente se Rege *Galliæ*, hoc bellum compositum fuit.

III. DE REPUBLICA BELGICA.

CANON.

I. Respubl. *Belgica constat ex VII. Fœderatis Provinciis.*

§. 1. QUarum Provinciarum nomina & ordo talis est. *Geldria, Hollandia, Zeelandia, Vltrajectum, Frisia, Transisulania, Groninga & Omlandia.* Hinc 7. sagittæ uno vinculo colligatæ sunt insignia hujus Reipubl.

§. 2.

§. 2. *Confœderatio* hæc primo cœpit Anno 1579. *Ultrajecti*, ubi *Unio* & perpetuum *fœdus* contra Hispanos certis legibus fuit initum. Quæ *Unio* Anno 1650. Hagæ Comitis à VII. Provinciis *renovata, amplificata & confirmata* fuit.

II. *Tyrannis Hispanorum hujus Reip. causa fuit.*

§. 1. Cum *Provinciæ* Belgicæ in potestatem Domus Burgundiæ pervenissent, multum jam violata atque infracta fuit antiqua illorum libertas; præcipuè sub regimine *Caroli* Audacis: sed respirarunt, & pristinum iterum florem recuperarunt sub *Carolo* V. qui sese ingenio Belgarum accommodans, plura impetravit per *benevolentiam*, quam ejus vel antecessores vel successores violentia extorquere poterant.

§. 2. At vero cum *Philippus* II. filius ejus à Belgarum *moribus*, *lingua & institutis* penitus alienus, successisset, statim facta fuit abalienatio animorum, præsertim quia statuerat *Philippus* II. has provincias regio more gubernare & antiqua illorum jura paulatim abolere.

§. 3. *Tyrannis* Hispanica erat duplex, alia *Ecclesiastica*, alia *civilis*. *Ecclesiastica* consistebat in *Inquisitione* Hispanica & introductione novorum *Episcopatuum*. Hinc atrox perse-

cutio eorum, qui communi nomine *Lutherani*, postea *Geusii & Reformati* appellabantur, ita ut intra 40. annos plus quam centum millia hominum vario mortis genere propter religionem fuerint necata. Contra hanc persecutionem *Nobilitas* Belgica Anno C. 1566. libellum Supplicem, Duce *Brederodio* exhibuit *Bruxellis*, *Margarethæ* Parmensi. Quo tempore per ludibrium appellati fuerunt Geusii sive mendici, quod nomen ipsi sibi perhonorificum duxerunt, ac statim peculiaria insignia mendicorum in vestitu suo assumpserunt, cum hoc Symbolo: Fideles Regi usque ad manticam. Eodem anno plebs per totum Belgium horribili tumultu insurrexit, ac arreptis armis conciones ubique celebravit, impetuque in templa facto, omnes statuas & imagines confregit. Ita belli initium fuit factum.

§. 4. *Tyrannis* civilis consistebat in abolitione *privilegiorum* & introductione novi regiminis; Quemadmodum ipsi Ordines Hollandiæ his verbis exponunt: *Non potest alia belli Belgici aut tumultuum origo afferri, quicquid vulgo contra asseratur, quam quod vi armata per Hispanos & alios peregrinos milites à nobis extorquere voluit Philippus II. quod Comitia Ordinum publicæ utilitati adversari judicabant.* Hujus *Civilis* tyrannidis hæc præcipuè fuerunt effecta (1) *Impositio* & *extorsio* novorum tributorum, inprimis decimi nummi.

nummi. (2) *Exstructio Castellorum*. (3) Cædes *Nobilium*, inprimis Comitis *Egmondani* & *Hornani*. (4) direptio & cædes *Civitatum*, *inprimis Antwerpiæ*, *Mechliniæ*, *Roterodami*, *Zutphaniæ*, *Nardæ*, *Harlemi*, *Oudewatræ*, *Trajecti* ad Mosam.

§. 5. Hujus *Tyrannidis* præcipuus author fuit Cardinalis *Granvellanus*, Executor Ferdinandus de Toleto Dux *Albanus*, qui in Belgium à *Philippo* II. missus ad tumultus componendos, consilium sanguinis, vulgo *Blutrhat* instituit. Cujus Præses quidam erat *Vargas* Hispanus, homo rudis & truculentus, qui barbarum hunc Syllogismum pronuntiavit: *Hæretici* fraxerunt templa, *boni* nihil faxerunt contra: Ergo debent omnes *patibulare*. Cum Belgæ prætenderent sua privilegia, eadem barbarie respondit; *Nos* non *curamus* vestros *privilegios*.

§. 6. Tandem Hispanorum *Tyrannidem*, cum diutius perferre non possent, *Wilhelmus* Princeps Auriacus arma contra Ducem *Albanum* sumpsit, ac Provincias in libertatem vindicare conatus fuit. Ita bellum *Belgicum* cœpit Anno 1568. & duravit usque ad annum 1648. adeoque per 80. annos continuatum fuit.

§. 7. Prima *Hollandiæ Vrbs Briela* Hispanis erepta à *Geusiis* Aquaticis Duce Comite *Marcano* anno 1570. fuit. Ab hoc tam tenui

Principio profectum fuit principium *libertatis* Belgicæ. Mox defecit *Vlißinga*, deinde *Zirixſea, Roterodamum & Middelburgum*, atque ab eo tempore nunquam Hiſpani amiſſa recuperare potuerunt, ſed magis magiſque Reſpublica victoriis crevit.

III. Renuntiant *Philippo* II. *omne obſequium.*

Anno C. 1581. d. 27. Julii hæc Reſp. *ſolemniter* Philippo II. omne *obſequium ac ſubjectionem* renunciavit, eumque pro *Tyranno* & perpetuo hoſte declaravit, firmiſſimo cum propoſito, nullam unquam *pacem aut reconciliationem* cum Hiſpanis ineundi, quamdiu ullum jus in hanc Remp. prætenderent. Tanto ardore & fiducia hæc abjuratio fuit ſuſcepta, ut maluerint totam potius *Hollandiam & Zeelandiam* Oceano & aquis ſubmergi, quam eam iterum Hiſpanorum poteſtati ſubmittere.

IV. *Exterorum* Protectionem *quærunt.*

§. 1. Initio tumultuum cum *Ordines* viderent ſeſe eſſe impares Hiſpanicæ potentiæ, *externa* præſidia quæſiverunt ac qualemcunque *Dominum* quàm *Hiſpanos* perferre maluerunt. Primo vocatus fuit *Matthias* Archidux Auſtriæ, Frater Rudolphi II. Imperat. Sed cum in hoc parum eſſet præſidii, vocatus fuit Dux *Alanſo-*

Alanſonius, Frater Henrici III. Regis Galliæ, qui etiam anno 1582. creatus fuit ſolemniter Dux *Brabantiæ*, *Princeps Belgarum*. Sed hic tam malè adminiſtravit Remp. ut altero anno iterum potentiâ exciderit. Quemadmodum ſupra in Regno Galliæ dictum.

§. 2. Interfecto *Delphis* Principe *Guilielmo* Auriaco A. C. 1584. Belgæ *Henrico* III. Regi Galliæ principatum ultimis precibus obtulerant, ſperantes, ſe antiqua bella inter Hiſpanos & Gallos hac occaſione reſuſcitaturos. Sed fruſtraneum etiam hoc fuit conſilium, quippe *Henricus* III. ſua ſocordia tot domi difficultatibus fuit implicatus, ut nullam exterorum curam habere poſſet.

§. 3. Igitur Anno 1585. ad *Eliſabetham* Reginam Angliæ eaſdem preces cum dominio ſuo obtulerunt: Ubi major ſpes, quia eadem tum Belgarum & Anglorum religio. Sed & *Angli* abnuerunt, adeoque ſponſa tam dives & ſplendida, quod mirari licet, procum eâ tempeſtate reperire non potuit, quippe erat in fatis, ut virgo intacta maneret, ac ſuam libertatem propriis viribus tutaretur. Nihilominus *Eliſabetha Robertum Dudleium Comitem Leceſtriæ* cum exercitu miſit, qui Provincias contra Hiſpanos defenderet. Sed & hujus imperium breve atque infelix fuit; quippe *Leceſtrius* captata gratia plebis, imperium ipſe affectabat, & conſilia iniverat urbium potiſſimarum occupandarum. V. *Bel-*

V. *Belgæ* Confœderati *ſuam Remp. ipſi gubernant & defendunt.*

§. 1. Cum hactenus deprehendiſſent externos Dominos atque auxilia tam infeliciter ſucceſſiſſe, ſtatuerunt impoſterum ipſi Remp. ſuam gubernare & quantum poſſent defendere, ac in eum finem Batavi *Mauritium*, Friſii *Wilhelmum*, Comites Naſſoviæ, *Gubernatores* & Capitaneos *Generales* creaverunt, quorum concordia ac victricibus armis circa annum 1594. VII. Provinciæ ab Hiſpanis vindicatæ & in unum Reipub. corpus redactæ fuerunt.

§. 2. Tribus *periodis* & quaſi gradibus fortuna hujus Reip. fuit circumacta (1) ab anno 1581. ad annum 1609. quo ſpatio innumeris difficultatibus conflictata, tandem terra marique emerſit, ac Hiſpanos ad pacis conſilia compulit, quæ cum propter multas difficultates tunc temporis non poſſet concludi, induciæ duodecennales pactæ fuerunt. (2) ab anno 1609. & induciis duodecennalibus ad annum 1621. & earum exitum, quod ſpatium partim bellis externis, *Iuliacenſi, Brunſuicenſi & Palatino fuit* tranſactum, partim *diſcordiis* domeſticis in Religione & Rep. exortis (3) ab anno 1621. ad annum 1648. ad finem belli Hiſpanici.

VI. *Li-*

VI. *Libertatem Conſcientiæ indulgent.*

Idque ſecundum leges *Unionis* Ultrajectinę. *Religio* reformata publicè ſtabilita eſt, *Anabaptiſtæ* ſive *Mennonitæ & alii* publica templa vel congregationes habent. Solis Pontificiis & *Socinianis* propter rationem Status publico religionis exercitio eſt interdictum.

VII. Munimenta *hujus Reipub. ſunt* Maria, Flumina, Urbes, & Propugnacula.

§. 1. Reſpub. hæc ex *aquis* nata, in *aquis* ſubſiſtit. Unde proverbio dicitur: Tutandis *Belgis* natum eſſe *mare & flumina.* Quippe præcipuum robur harum regionum conſiſtit in *aqua*, & Dominio maris, ſecundum *Ordinum* Symbolum : *Imperator maris eſt terræ Dominus.* Flumina ſunt *Moſa, Rhenus, Iſala*, & tota regio innumeris aquæ ductibus ita diſſecta, ut hoſti facilè inacceſſa reddi poſſit. Accedit extremum præſidium, quod perfoſſis aggeribus & laxatis catarractis totam regionem ſtagnare & cuncta campeſtria diluvio ſubmergere poſſint.

VIII. *Supremum conſilium conſtituunt Ordines Generales.*

§. 1. *Regimen* harum Provinciarum *dupliciter*

pliciter consideratur, vel *Collective* vel *Distributivè*. *Collective* quatenus VII. Provinciæ perpetuo *fædere* conjunguntur. Ita Supremum regimen est penes illos, qui vocantur *Ordines* seu *status* Generales.

§. 2. *Initio* hujus Reip. Suprema fœderatarum Provinciarum potestas erat penes *Consilium* Status, sed quia huic Consilio *status* ex pacto intererat Legatus *Angliæ*, atque hac ratione penitùs inspiciebat in arcana hujus Reip. ad evitandam hanc difficultatem, visum fuit Consilio *status* deliberationes relinquere, at verò *Summam* Reip. ac *majora* negotia transferre ad Consilium *Ordinum* Generalium.

§. 3. *Ordinum* Generalium est tractare omnia, quæ spectant commune *fædus*, *bellum* & *pacem*, *fædera* ac *legationes* procurare, ita tamen ut in *gravioribus ac extraordinariis* negotiis ad *singularum* Provinciarum *ordines* referant atque ex illorum arbitrio statuant. Titulus Ordinum *Generalium est Hoochmogende*; Cæterarum provinciarum *Moogende*. Hollandiæ & Westfrisiæ *Grootmogende*.

§. 4. *Præses* Ordinum Generalium singulis septimanis mutatur secundum *Ordinem* Provinciarum. Deputati sunt vel *unus* vel *plures*. Sed *plures* *si* sint, non tamen nisi unum Suffragium conficiunt: quippe *Suffragia* in hoc Collegio non colliguntur *viritim*, sive secundum numerum personarum, sed secun-

cundum numerum *Provinciarum*.

§. 5. Proximum ab Ordinibus Generalibus locum hodiè obtinet Consilium *status*, cujus est negotia quasi præparare, & suo consilio Ordinibus Generalibus adesse. In hoc *Collegio* admittitur Supremus *militiæ* vel *Provinciæ* Gubernator ejusque *Successores*, si qui ipso adhuc vivo designati fuerint, ut maturè assuescant negotiis Reip. tractandis, ac nosse discant *mores & ingenia* Magistratuum.

IX. *Supremus Reip. & Militiæ Præfectus constitutus fuit ex Familiâ* Nassovia.

§. 1. Hujus rei duplex fuit causa. 1. *Merita* Familiæ Nassovicæ in hanc Remp. Quippe primus *Wilhelmus* Princeps Auriacus fundamenta libertatis posuit. Ejus duo filii ac Successores *Mauritius* ac *Fridericus* Henricus eam ad summum potentiæ & Majestatis fastigium duxerunt. Ita hujus familiæ tanta semper apud Belgas Confœderatos fuit æstimatio ac dignitas, ut non alios existimarint suæ libertatis ac Reip. defensores ac Gubernatores esse eligendos, quam ex hac Familiâ.

§. 2. Accessit quòd hæc *Familia* amplissimas in his Provinciis ditiones atque opes possideret, ac inprimis quod *Belgarum* moribus assueti quam optimè nossent illud tempera-

men-

mentum, quo hi populi *maritimi* essent gubernandi, *familiaritate* nimirum procerum & *amore ac benevolentia* populi.

§. 3. *Præfecti* hujus Reip. duplex fuit titulus; Respectu Reip. vocatur *Gubernator*, cujusque est titulus *Excellentia*. Respectu Militiæ vocatur Capitaneus *Generalis*. Ejus magna quidem auctoritas, sic tamen ut *Suprema* potestas semper sit *Ordinum*, quorum se etiam non nisi *ministrum* profitetur. Præcipuæ *Prærogativæ* Gubernatoris fuerunt (1) *Potestas* ignoscendi. (2) potestas *conferendi* dignitates. (3) eligendi Magistratus Urbanos secundum *leges & consuetudines* cujuslibet loci. Idem fuit *Præses* & Caput *Iudiciorum*, Supremus *Academiæ* Curator, *Moderator & Arbiter* Controversiarum inter Provincias. In cæteris ejus Potestas Ordinum autoritate limitata, ac circumscripta fuit.

X. *Præcipua* cura *rei* Maritimæ *est*.

§. 1. Hæc commissa est Collegio *Admiralitatis*, qualia sunt diversa in Hollandia, Zeelandia & Frisia. In *Hollandia* sunt tria, *Amstelodami*, *Roterodami & Hornæ*, quod interdum *Enchusam* transfertur. In *Zeelandia* unum *Middelburgi*: in *Frisia* quoque unum *Doccumi & Harlingæ*.

§. 2. Horum præcipuum munus est providere, ut *libera* sint maria & navigationes, ut *classes*

classes & naves bellicæ omnibus rebus necessariis sint instructæ; ut *controversiæ* Nauticæ decidantur.

§. 3. *Publicæ* naves tria inprimis curare debent (1) Ut naves *Mercatorias* contra *hostes* vel *piratas* tueantur, quod vocant Convoyen. (2) ut *mare* purgent ab *hoste* vel *piratis*, quod vocant Kruyssen. (3) ut *aditus* maritimos Provinciarum custodiant, quod vocant Wachten.

§. 4. Initio belli Belgici nulla vitæ venia fuit inter *Belgas & Hispanos*, sed sese invicem absque ullâ misericordiâ trucidarunt, neque captivitas vel redemtio ullum habuit locum, sed si quis hostium in potestatem veniebat, ligatis manibus pedibusque in profundum mergebatur, quod vocabant *Die Voeten spoelen*. Hinc Nautæ hac conditione Sacramentum dicebant, quod *gratiam* hosti neque *daturi*, neque *accepturi* essent, neque ullam *deditionem* facturi, sed usque in mortem pugnaturi. Hinc superati, ne vivi pervenirent in manus hostium, *ignem* pulveri pyrio interdum immittere solebant, atque ita se pariter & hostes perdere, quod vocabant *den roden hahn Krayen*.

§. 5. Sed cum hic modus procedendi cum tempore videretur immanior: placuit tandem hanc *legem* remittere, & mari captos ad tetros carceres absque ullâ spe redemptionis relegare.

Pla-

Placuit hoc & Hiſpano & Ordinibus. *Hiſpanus* enim ſperabat ſe metu tam longæ & tetræ captivitatis Batavos ad navigationes timidiores redditurum. *Ordines* exiſtimabant ſuos metu captivitatis eò acrius ad naves tutandas inflammatum iri. Id quod etiam factum fuit.

§. 6. Hac igitur virtute hæc Reſp. *imperium* maris obtinuit ac Hiſpanos immanibus cladibus affecit: præcipuè anno 1640. profligata illa terribili claſſe Hiſpanicâ in ipſo littore Anglico, ita quidem ut hodiè nuſpiam tanta potentia maritima reperiatur, quàm apud Batavos, ac res prodigio ſimillima videatur, regionem tam arctis ſpatiis concluſam ac omnibus ad res nauticas ſpectantibus carentem, niſi quæ aliunde apportantur, totum terrarum orbem ſuis navibus implere. Nam hic non minor navium quam aliarum rerum mercatura exercetur, ac integræ *claſſes* omnibus rebus inſtructiſſimæ venales aut conductitiæ exſtant, dummodo emtorem aut conductorem reperiant, neque ullus populus ad res nauticas præſtantior, ita quidem ut ab ipſo Neptuno geniti, atque educati videantur: neque difficilis res eſt intra paucos dies multa ſociorum navalium millia contrahere, quemadmodum nuperis Anglorum & Suecorum bellis fuit compertum.

XI. Mi-

XI. Militia *Terrestris ferè* Poliorcetica *est*.

§. 1. Hoc est potius in Urbium *defensione* vel *expugnatione*, quam præliis *campestribus* occupatur. Quippe cum Resp. hæc arctis terrarum spatiis conclusa, undique vel mari vel fluminibus vel magnis ac munitis Urbibus cingatur, nullus in ea usus est præliorum campestrium, quorum neque Victoria neque clades magnum ad summam rei momentum afferre potest. Quapropter totius militiæ terrestris ratio ad solam *Poliorceticam* sive Urbium *obsidiones* vel *propugnationes* fuit redacta.

§. 2. *Exercitus* maximâ parte ex peditatu consistit, cujus nimirum major usus in Urbium obsidionibus esse solet. Durante bello plerumque ad *centum* millia & amplius in armis & sub sacramento militari fuerunt.

§. 3. Hanc Militiam *Poliorceticam* primi instituerunt & excoluerunt *Mauritius & Wilhelmus* Comites Nassoviæ, à quibus omnis disciplina militaris hodierna proficiscitur. Ita Belgium *Schola* quasi publica & militiæ & armorum fuit, ac ex totâ Europâ Reges ac Principes Tyrocinia militiæ suæ in castris Belgicis collocarunt; quemadmodum ipse *Gustavus* Adolphus Rex Sueciæ, dissimulatâ personâ, arma tanquam gregarius miles sub Principe Mauritio exercuisse dicitur. Deducta fuit hæc militia

militia Poliorcetica his Magistris ad summam perfectionem, ac perfectissima Urbium expugnandarum & obsidendarum exempla edita fuerunt, præcipue in obsidione *Sylvæducis*, *Grollæ*, *Bredæ* ac *Hulstæ*: sed inprimis totus Orbis stupore defixus fuit, cum *Sylvaducis* obsideretur, quæ Urbs naturâ loci inexpugnabilis, arte tamen & ingenio ac stupendis machinis fuit superata. Et ab eo tempore patuit nullam Urbem esse insuperabilem, quia Sylvaducis expugnari potuit.

§. 4. *Prælium* justum unicum toto bello commissum fuit ad *Neoportum* A. 1600. quod vulgo dicitur Prælium *Flandricum*, ubi Batavi ostenderunt sese etiam campestri prælio hostibus esse pares, profligarunt enim robustissimas Hispanorum & Italorum cohortes, quanquam loco iniquissimo & in hostili solo undique circumventi.

XII. Fœdera vel Commerciorum *vel Armorum habent.*

Commerciorum cum Civitatibus *Hanseatibus*, Rege *Daniæ*, *Sweciæ*, *Poloniæ*, *Rußis* & *Turcis*. *Armorum* fœdera fuerunt cum *Anglis*, sed morte Elisabethæ abrupta: deinde arctissimum armorum fœdus cum *Gallis* fuit initum, quod hodieque durat.

XIII.

XIII. Imperium & Commercia *per totum Orbem propagarunt.*

§. 1. Per duas *Societates*, Indiæ *Orientalis & Occidentalis*, quæ sunt *Collegia* autoritate *Ordinum* ad certos annos instituta, ut bellum & mercatura in utraque India exerceant. Qui majorem pecuniæ summam conferunt, isti vocantur *Bewinthebbers vel Hooftparticipanten*. Atque ex his eliguntur *Gubernatores* totius Societatis.

§. 2. Hę duæ *Societates* amplissima *regna & territoria per Africam, Asiam* & *Americam* occuparunt, ac Hispanis & Lusitanis tum temporis hostibus suis ingentia damna intulerunt, & immensis opibus hanc Remp. ditarunt.

§. 3. Societas Indiæ Orientalis sedem regiminis sui constituit in Insula *Iava*, condita ibi urbe amplissima & munitissima, quæ vocatur *Batavia*, ubi sedem habet supremus Gubernator Indiæ Orientalis.

§. 4. Societas Indiæ Occidentalis sedem suam habuit in *Brasilia* Fernambucci, condita ibi Urbe splendidissima & inexpugnabili, quæ vocatur *Mauritiopolis & Recif*. Hæc Societas sub initio felicissimis auspiciis classem Hispanicam auro & argento gravem intercepit, in qua plus quam XII. milliones erant, sed ante aliquot annos perfidia *Lusitanorum* grave damnum

mnum accepit, amissis in Brasilia omnibus ditionibus, ita ut de ejus instauratione hactenus consilia agitentur.

XIV. *Pax cum Hispanis Monasterii inita.*

Anno C. 1648. Post bellum 80. annorum, inter *Hispanos & Belgas* Confœderatos pax æterna fuit inita, ac justissima Belgarum caussa contra Tyrannidem & oppressionem tandem triumphavit. *Hispanus*, omni, quam se habere putabat, prætensioni, in perpetuum renuntiavit, ac Remp. hanc pro libera, & à Solo Deo dependente, agnovit. Ita diuturnum illud bellum tandem gloriosa pace fuit conclusum.

XV. *Arctior* Unio *inter Provincias Confœderatas initur.*

Anno C 1651. 21. Aug. Causa fuit obitus Principis Auriaci *Wilhelmi* II. nullo relicto successore. Unde Ordines VII. Provinciarum solemne *Consilium* Hagæ celebrarunt, ac in casu illo, quid pro salute Reipubl. consultum foret, deliberarunt. *Tria* summa capita in deliberationem venerunt. *Unio* Provinciarum, *Religio & Militia*. Quod *Unionem* spectat. repetita, confirmata & aucta fuit *Unio* Ultrajectina, ac VII. Provinciæ denuò solemni fœdere in perpetuum sese obstrinxerunt. Religio, quæ

quæ publicè doceatur & Synodo Dordracena elucidata fuit, etiam ſtabilita eſt. Præcipua de Militia fuit diſceptatio & in eam rem communi Provinciarum conſenſu leges atque decreta fuerunt condita.

XVI. *Reſp.* Belgica *ad* Perennitatem *eſt inſtituta.*

Contra Judicium Cardinalis *Bentivoglii*, qui Rempub. hanc non diu conſiſtere poſſe ſtatuit. Sed ejus rationes ſunt infirmæ ac nullius momenti. Quin imò hæc Reſpubl. tam præclaro temperamento, ſecundum genium horum populorum eſt inſtituta, ut nunquam ab externo hoſte humanitùs deſtrui poſſit. Unicum malum, omnibus Rebuſp. & Imperiis commune, eſt *diſcordia* interna. Sed quia hunc morbum ejuſque conſequens mortem non ignorant Belgæ: hinc ſufficientibus remediis ſeſe illi opponunt & propterea Sanctiſſimo hoc Symbolo utuntur: *Concordia* res *parvæ* creſcunt: *diſcordiâ* maximæ dilabuntur. *Eendracht maekt macht*. Huc etiam ſpectat *Leo* VII. Sagittas uno vinculo colligatas repræſentans, quæ quandiu manent unitæ, nulla humana vis hujus Reip. fundamenta quaſſare poteſt.

CATALOGUS PRÆCIPUORUM AUTHORUM HISTORICO-POLITICORUM.

CANON.

I. Auctores *Politici alii* Generales, *alii* Speciales *sunt*.

GEnerales Authores sunt, qui de omnibus Imperiis, Regnis & Rebus-Publicis scribunt. Ex quibus præcipui sunt:

Archontologia Cosmica & Tractatus, qui vulgò vocantur *Respublicæ*. Historiæ Vniversales, *Thuanus*, Scriptores bellorum nostri temporis. Huc etiam spectant novi, út vocantur *Atlantes & Topographiæ*.

Speciales Authores sunt, qui de *Singulis* Imperiis, Regnis & Rebuspublicis ex professo scribunt, quorum quidem Catalogus hic est.

De Imperio Romano-Germanico tractant *Politica* Imperialis *Goldasti*, *Carpzovius* ad Legem Regiam Germanorum, & recentissimi *Commentatores in A. Bullam*, inter quos diligentissimus & accuratissimus censetur *Limnæus*.

De *Turcarum* Imperio pauca fide digna extant. Optimus tamen censetur Lazari *Saran-*

zii

zii Ottomanus, Turcia *Leunclavii* & recentissimæ Relationes *Venetorum*. Nullus enim populus accuratiùs novit mores & Imperium Ottomannicum, quam Respubl. Veneta.

De Imperio *Muscovitico* etiam vix quicquam certi nobis constat, nisi quæ exstant apud *Sigismundum* Baronem ab *Herberstein*, Petrum *Petrejum* in Chronic. Moscoviæ & denique in Itinerario Moscovitico *Olearii*.

Inter Scriptores Rerum *Hispanicarum* accuratissimus est Johannes *Mariana*, cum quo conjungendæ sunt relationes Antonii Perezii.

Historiam Politicam Galliæ scripserunt Petrus Matthæus, acta Cardinalis Richelieu & Mazarini. Inter Historicos Thuanus, Gramondus & recentissimi linguà Gallica scripti.

De *Britannia* agunt *Buchananus* in Historia Scotiæ, Chronicon Angliæ *Backeri*, & Historia *Parlamenti* Angliæ.

De Regnis *Septentrionalibus* legendum est Chronicon *Norwegii* Sturlesonii. Historia Danica *Pontani* & Johannis *Meursii*, Historia Suecica *Locconii*.

De *Polonorum* Rebus tractat Paulus *Piasecius*, *Pastorius*, *Cromerus*, *Michovius*.

De Republ. *Venetâ* Petrus *Bembus*, Paulus *Paruta*, *Contarenus*.

De *Helvetiis* compendiosè agit Johannes Henricus *Hottingerus* in methodo legendi Historias Helveticas.

De Repub. *Belgica* legendi Annales *Belgici* Everhardi *Reidani*, Hugonis *Grotii*, ac recentissimus & diligentissimus Lucas ab *Aizema*, qui quicquid à Pace Hispanica huc usque actum & tractatum fuit ex authenticis actis ordine collegit, ac Linguâ Belgicâ aliquot tomis publicavit.

II. *Cujuslibet Gentis Scriptores quantum fieri potest, sua linguâ legendi sunt.*

Nam non possunt res populorum exactius describi, quam illâ *Linguâ*, qua utuntur. Ita historiæ Romanæ longe felicius hauriuntur ex Livio, quam ex Dionysio Halicarnasseo. Debet igitur *Politicus* discere plerasque linguas Europæas, non quidem ut omnibus loquatur, sed ut saltem scriptores intelligat. Maximè necessariæ sunt hæ linguæ: *Hispanica, Italica, Gallica, Anglica, Danica, Suecica*, & si fieri potest, *Polonica*.

III. *In lectione Authorum illa præcipuè sunt observanda, quæ hodieque* manifestum & necessarium *usum habent.*

§. 1. Cum enim tanta sit vitæ humanæ *brevitas*, & ea multitudo *negotiorum*, ut vix rebus *necessariis* sufficiamus, non convenit Poli-

Politico, ut *antiquis* ruderibus ac moribus diu immoretur. Quippe jam illa præterierunt, neque majorem usum habent, quam detritum aliquod pallium aut calcei vetustate consumti. Huc pertinet illud, quod Seneca alicubi dicit: *necessaria* ignoramus, quia *non necessaria* discimus.

§. 2. Non tamen planè debemus esse ignari veteris ævi, sed sufficit tenere seriem Quatuor Monarchiarum, & *præcipuos* casus antiqui orbis. Reliqua illis relinquenda sunt, qui ex professo in illis rebus versantur, à quibus etiam Politicus, si ita res & usus poscat, facilè informari poterit.

§. 3. Inprimis cavendum, ne ex Scriptoribus *Sententias* aut *exempla* copiosè coacervemus, multo minus ut libros & capita & paginas citemus nisi casus specialis dubius id requirat. Satis est rem ipsam nosse, reliquæ curiositates sapiunt industriam nimis Scholasticam. *Politicus* igitur Bibliothecam suam debet gestare in capite. Quod si necessitas requirat dictis vel scriptis suis fidem asserere, id ex authoribus, quos recensuimus, & qui fide digni ac omni exceptione majores sunt, ac quorum lectionem familiarem sibi reddere debet, facilè præstabit.

CATALOGUS

PRÆCIPUORUM MINISTRORUM STATUS & DUCUM MILITARIUM.

CANON.

I. *Monarchiæ plerumque gubernantur per primarios Ministros Status.*

1. PRimarii Miniſtri Status vocantur, quorum conſilio & miniſterio Principes Rempub. adminiſtrant. Tales præcipue locum habent, cum Principes ipſi vel minus *capaces* ſunt Imperii adminiſtrandi, vel *tædio* laborum, ac ut *voluptatibus* ſuis eò ſecuriùs indulgere poſſint, onera Imperii & curas in unum aliquem transferunt.

2. Hæc conſuetudo, quanquam etiam antiquis temporibus fuerit recepta, maximè tamen ſuperiori ſeculo & noſtro invaluit. In *Hiſpania* ſub Carolo V. maxima fuit auctoritas *Granvelliani* Epiſcopi Atrebatenſis. Sub *Philippo* II. *Comes de Sylva:* ſub *Philippo* III. *Dux Lermæ*. Sub *Philippo* IV. *Comes Olivares & Louis de Haro*. In Gallia ſub *Henrico & Franciſco* II. *& Carolo* IX. *Dux Guiſius*. *Henricus* IV. nullo uſus fuit miniſtro Status. Sub

Sub *Ludovico* XIII. tres ordine ſucceſſerunt, Marchio *Dux Luynæus*, *Cardinalis Richelieu*. Sub *Ludovico* XIV. *Cardinalis Mazarinus*. In *Anglia* ſub *Henrico* VIII. *Cardinalis Wolſæus & Thomas Cromwel*. Sub *Iacobo Comes Somerſetenſis & Dux Buckinghamiæ*. In *Suecia Axel Oxenſternius*. In *Polonia Iohannes Zamoſcius*, & alii Cancellarii Regni.

II. *In Rebuſp. non dantur tales Miniſtri.*

Quia Ariſtocratia & Democratia non poſſunt ferre, ut unus aliquis tam ampla poteſtate ſit inſtructus, ſed ibi locum habet illud Tiberii: *plures* ſociatis laboribus *facilius* adminiſtrare Rempub. Dantur tamen quædam hujus Magiſtratus Simulacra, præſertim in Batavia *primarius* Conſiliarius Titulo *Advocati aut Penſionarii* Hollandiæ quandam ſpeciem *Primarii* Miniſtri Status repræſentat, ſic tamen ut omnis *autoritas* ſit penes totum Collegium Ordinum, quorum ipſe *Suffragia* exquirit, ac *ſententiam* ſecundum illorum arbitrium condit.

III. *Præſtantiſſimi* duces *militares hi fuerunt.*

In *Hiſpania*, Ferdinandus Dux *Albæ*. In *Gallia* Gaſto *Foxejus*, Mareſchallus *Biron*, Princeps *Condæus & Turrenius*. In *Suecia*

Bannerius, *Torstenson & Wrangel*. In Polonia *Charneczki*. In Germania, Comes *Tilli*, Albertus *Wallenstein* Dux Fridlandiæ, *Bernhardus* Dux Weinmariensis, Comes *Mansfeldius*. In Belgio Fœderato *Mauritius & Fridericus* Henricus Nassovii: & ex parte Hispanorum Ambrosius *Spinola*. In Turcia, *Hussein*. In Russia *Chowanski*. In Tartaria Orientali & Sina *Amavangus*.

IV. *Præcipui Duces* Maritimi *hi fuerunt*.

In *Hispania* sub Carolo V. Andreas *d'Auria* Genuensis. In *Anglia* sub Elisabetha, *Franciscus* Drack & Waltherus *Ralegh*, sed præcipua gloria belli maritimi spectat ad Hollandos qui in bello 80. annorum quamplurimos heroas habuerunt, ex quibus paucos tantum commemoramus: *Heemskerckium*, *Petrum Heinium*, *Trompios*, *Wittenium*, *de Ruyter*, Evertzios, Bankertum, aliosque qui hodierno bello virtutem suam exerunt plurimi, quorum nomina aliquando commemorabit Historia.

ORBIS

ORBIS POLITICI

PARS SECUNDA.

COMPLECTENS

PRINCIPATUS

ET

DOMINIA

ORBIS TERRARUM.



ORBIS POLITICUS COMPLECTENS PRINCIPATUS ET DOMINIA ORBIS TERRARUM.

PRINCIPATUS.

Principatus ſunt vel *Eccleſiaſtici* vel *Seculares.*

Eccleſiaſtici ſunt vel Papatus, vel Archi-Epiſcopatus, vel Epiſcopatus, vel Abbatiatus.



E his in genere notandum, quod ſint merè *Electivi*, & ad nullam certam familiam adſtricti: eliguntur *Papæ* ex & à *Cardinalibus*; Reliqui à ſuis *Capitulis*.

PAPATUS.

I. Papatus eſt Romanus, Japonicus & Peguanus.

1. PApatus vocatur principatus Religioſus. Tales tres reperiuntur in orbe terrarum, apud Chriſtianos Romanus: inter Ethnicos *Iaponicus, & Peguanus*. Olim apud Mahummedanos fuit quartus, *Chalifatus*: ſed eum extinxerunt jam ante quatuor ſecula Tartari. *Iaponicus* vocatur *Dair*: qui & ipſe poteſtate Civili exutus fuit circaAnnum C. 1600. *Peguanus* vocatur *Rolim*. De quo nunc dicere nihil attinet.

2. *Papa* Romanus tenet in Italiâ Romam, Patrimonium Petri, *Flaminiam*, *Vmbriam*, partem *Hetruriæ*, Marcam *Anconitanam*; Agrum *Peruſinum*, *Sabinum*, *Bononienſem*, Ducatum *Ferrarienſem*, *Caſtrenſem*, & *Beneventanum* in Regno Neapol. Comitatum *Avenionenſem* in Provincia Narbonenſi.

3. Talem *Principatum* Pontifices Rom. variis acquiſiverunt artibus. Primò quidem confictâ *donatione* Conſtantini M. Deinde *liberalitate* Regum Franciæ *Pipini & Caroli* M. Tertio teſtamento *Machtildis*, Comitiſſæ Hetruriæ, quæ vixit ſub *Henrico* IV. & *Gregorio* IV. Quarto *Armis & Violentia*.

II. Pa-

II. Papa *prætendit* Monarchiam *Universalem.*

1. Neminem in terris dicendum *Monarcham* præter Papam contendit Baronius ad A. 1097. n. 29. 30. 31.

2. Hinc se majorem *Imperatore* & omnibus Regibus prædicat, ac Dominum *Deum* vocat. *Extrav.* Joan. XXII. de V. sign. C. cum inter.

3. Potentia Papæ *Spiritualis* consistit in Sacrorum interdictione sive excommunicatione.

III. Papa *de jure* subjectus *est* Imperatori *Rom.*

1. Ea subjectio duravit usque ad tempora *Hildebrandi*, qui dictus est *Gregorius* Papa IX.

2. Non ergo tribuenda est major Papæ Majestas, quàm qualis tribuitur aliis Principibus Imperio subjectis, contra quàm sentit *Carpzov.* ad L. Reg. c. 13. sect. 4. *Goldast.*

IV. Papatum *fundavit* Hildebrandus.

1. *Hildebrandus* sive *Gregorius* IX. primus levavit sacerdotalem lanceam contra diadema regni, ut *Leodiensis* Ecclesia loquitur. Ab hoc maximæ illius & omni seculo tremendæ venerandæque R. Pont. & infinitæ penè potentiæ jus manavit. *Onuphr.* Panvinius in vita Gregor. VII.

V. Ho-

V. Hostes *Papæ vocantur* hęretici.

1. Quicunque credere nolunt Papam esse supremum Monarcham in Ecclesiasticis & Civilibus, illi à curiâ Rom. vocantur *hæretici*.

2. Tales *hæretici* imprimis apud Curiam Romanam: hodie Protestantes sive Euangelici sunt qui Papæ autoritatem omnem abrogarunt, eumque *Antichristum* declararunt.

3. Hos hæreticos summâ vi exstirpare conatur, instituto in eam rem Collegio de propagandâ fide. vid. *Goldast*.

VI. Papa *Comitatum Avenionensem recuperat*.

1. Comitatum *Avenionens*. situm in Provincia Galliæ Papa obtinuit jure hypothecæ à Johannâ Reginâ Neapolis A. 1352. fuitque ibi sedes Pontificia per annos 70. continuos.

2. Cum vero A. 1662. Papa violasset Legatum R. Galliæ, Ducem de *Crequi*, immissis latronibus Corsis, Rex Gall. *Ludov*. XIV. justissimâ Vindictâ Papæ Comitat. Avenion. ademit: quin imo res ad apertum bellum spectabat, sed tandem pax facta ac Avenio Papæ restituta.

VII. Roma *à Carolo* Borbonio *expugnata*.

A. 1527. Papa obsessus in castello S. *Angeli*,

geli, tandem deditionem fecit ac præsidium German. & Hispanicum recepit. De Controversiâ & bello inter *Paulum* V. Papam & Remp. *Venetam* A.1606. prolixè Thuan. 137.

VIII. *Ducatus* Ferrariæ & Urbini *redit ad Papam.*

A. 1597. Post obitum *Alphonsi* II. Estensis, Papa Ducatum Ferrariæ, tanquam feudum Ecclesiæ ad se recepit. *Thuan*. 100. 119.

Post obitum *Francisci* Mariæ, ultimi ex familiâ *Roborea* etiam Ducatus *Urbini* ad Papam devolutus est. A. 1626.

IX. Feuda *Papæ sunt Regnum* Neap. Parma & Placentia, *ditio* Radicosanensis *Hetruriæ.*

Pro Regno Neapolitano Rex Hispan. singulis annis Papæ præstat equum album & aliquot millia Ducatorum.

ARCHI-

ARCHI-EPISCOPATUS.

Archi-Epiſcopatus ſunt vel *Electorales* vel *Non-Electorales*.

Electorales *ſunt* Moguntinus, Trevirenſis, Colonienſis.

MOGUNTINUS.

I. Moguntinus *eſt* Cancellarius *per Germaniam*.

1. PRimus Archi-Epiſcopus Moguntinus fuit S. *Bonifacius* Anglus, Germanorum Apoſtolus.

2. Primus Elector fuit *Willigiſis*, plauſtrarii filius, unde *Rota* inſigne Moguntini, confirmatum ab *Henrico* II. Imp.

3. Privilegium *conſecrandi* Reges Bohem. obtinuerunt ab *Ottocaro & Wenceſlao* Regibus A. 1220. ſed paulò poſt auro venditum iterum amiſerunt.

4. *Iohannes* Comes in Naſſau ſtruxit arcem *Hogſt* 1400. *Cunradus* Comes Rhenenſis emit oppidum *Steinheim*. Sub *Theodorico* de Erpach Joh. *Gutenbergius* Moguntiæ invenit artem typographicam.

5. *Suffraganei* ejus ſunt, *Herpibolis*, *Worms*, *Spira*,

Spira, Strasburg, Eichſted, Coſtnitz, Chur in Rhetia, *Verden, Augspurg, Hildesheim, Paderborn, Halberſtatt.*

II. Stratamontana *oppignorata Palatino redimitur.*

Strata Montana, vulgo *Bergſtraſz* vocatur, oppignorata A. 1463. Friderico I. à *Diethero* Iſenburgico pro 100000. flor. cum pacto perpetuæ reluitionis, ac A. 1648. pace Monaſterienſi eâdem ſummâ iterum redempta fuit.

III. *Habet jus* coronandi *Cæſaris.*

Moguntinus prætendit jus coronandi Cęſar. ubique excepto ſi Cæſar *Aquiſgrani* coronatur: tum enim hoc ad Colonienſem ſpectat, Huic prætenſioni acriter ſeſe oppoſuit Colonienſis in coronatione Ferdinandi IV. & Comitiis Ratisbonenſibus.

TREVIRENSIS.

Trevirenſis eſt Cancellarius *per Galliam.*

TRevirenſis ditio ſe extendit uſque ad *Rhenum, Confluentiam & Boppardiam.*

I Elector Trevirenſ. fuit *Ludolphus.*

II. *S. Poppo* fuit author converſionis Daniæ.

III. *Hellinus* ſtruxit arcem *Ehrenbreitſtein*, vulgo *Hermanſtein.* IV.

IV. Conr. à *Falckenstein* Bopardiam & Vesaliam superiorem adjecit.

Suffraganei ejus sunt, *Metz*, *Tull*, *Verdun*.

COLONIENSIS.

I. Coloniensis *est* Cancellarius *per Italiam*.

1. PRimus Elector fuit *S. Herebertus*.

2. *Reinoldus* A. 1164. corpora 3. Regum (si credere fas est) à *Friderico* I. impetravit, & Mediolano Coloniam transtulit.

Suffraganei ejus sunt, *Luttich*, *Munster*, *Vtrecht*, *Minden*, *Osnabrug*.

II. Westphalia & Angria *potitur*.

1. *Philippus* à Frederico I. duos Ducatus, *Westphaliæ & Angriæ* ex proscripti Henrici Leonis superbi Ducis Saxoniæ & Bavariæ ditionibus obtinuit.

2. *Conradus* Comes ab *Hoesteden*, Comitatum suum Ecclesiæ Coloniensi donavit. Idem obtinuit, ut Coloniensis perpetuò coronaret Imp. Aquisgrani.

3. Sub *Friderico* III. A. 1388. *Academia* Coloniensis fundata & à Papa Urbano privilegiis donata.

4. *Theodoricus* Comes Meursæ obtinuit *Keiserswerdam* A. 1424. *Susatenses* ab Archi-Episcopatu se exemerunt.

III. Ca-

III. Carolus *Burgundus* Novesium *obsedit.*

A. 1474. Causa fuit schisma inter *Rupertum* Palatinum & *Hermannum* Hassum. *Carolus* Burgundus pro Ruperto obsedit Novesium, sed frustra.

IV. Gebhardus *Truchses ab* Ernesto *Bavaro pellitur.*

Causa fuit quod *Gebhardus* Religionem protestantem suscepisset; unde a. 1582. bellum Coloniense exortum, de quo *Thuan.* lib. 76.

V. *Prætendunt* jus *in* Coloniam *Agrippinam &* Susatum.

1. A. 1074. magnæ inter Archi-Episcopum & Urbem Controversiæ fuerunt. *Episcopus* urbe potitus, cives fidelitatem jurare coëgit, sed paulo post civitas iterum se in libertatem asseruit A 1260. Episcopus denuò conatus fuit urbem sibi subjicere; quo tempore Consul *Herman* Grijn à duobus Canonicis Leoni objectus, feram interfecit. Tandem convenit inter Episcopum *Sifridum* & Civitatem, ut pro *clavibus* urbis in aperto campo pugnaretur. Colonienses claves urbis bigis imposuerunt & apud pagum *Womigen* victoriam obtinuerunt. Ita Episcopi omni jure & prætensione in urbem exciderunt.

2. Su-

2. *Susatum* A. 1441. defecit ab Archi-Episcopatu Coloniensi ad Adolphum Comitem Marcæ. vid. Munster. lib. 3. Cosmogr.

VI. Coloniensis *jus* Coronandi *Cæsaris prætendit.*

Idque ex Aureâ Bulla tit. 4. sed hoc privilegio: *Moguntinus* ad solam urbem *Aquisgranum*, quæ Coloniensis ditionis, si ibi fiat coronatio, restringendum contendit: unde *Coloniensis* in comitiis Ratisbonens. cum de coronatione Ferd. IV. ageretur, insalutato Cæsare discessit, & parum abfuit, quin controversia hæc in publicam contentionem erupisset.

Non-Electorales *sunt Saltzburgensis, Vesontinus & Cameracensis.*

Hodie tantum Archi-Episcopatus tres Electorales in Germania restant; *Magdeburgico & Bremensi* in Principatus sæculares conversis.

Saltzburgensis *est* Legatus *sedis Romanæ &* Primas *Germaniæ.*

1. Hanc dignitatem obtinuit *Gebhardus*, Archi-Episcopus Saltzburgensis à Gregorio VII. Unde *Primatum* Germaniæ Magdeburgico controversum fecit & obtinuit.

2. Ejus suffraganei sunt *Tridentum*, *Passaw*, *Vienna*, *Goritia*, *Brixia*, *Freisinga*, *Seeckaw*,

kaw, *Lavande*, *Chiemſee*, ſed Epiſcopatum *Chiemſee* Anno 1568. bello expugnavit ac ſibi plenè ſubjecit judicio Cameræ Spirenſis.

Veſontinus Hiſpano addictus eſt propter Comitatum Burgundiæ. Unde Anno 1653. in Comitiis Ratiſponenſibus Civitas *Veſontio* Regi Hiſpaniæ adjudicata fuit.

Ejus Suffraganei ſunt *Baſel*, *Loſanna*, *Belliſon*. *Cameracenſis* eſt *Dux* vel Princeps.

Cameracenſis, Archi-Epiſcopus *Ducem* ſe vocat. Hiſpano Regi hodie ſubjectus.

EPISCOPATUS.

EPISCOPATUS *ſunt* Bambergenſis Wurtzburgenſis, Wormatienſis, Speier, Strasburg, Aichſtad, Augſburg, Coſtnitz, Hildesheim, Paterborn, Chur, Munſter, Oſnabrug, Paſſau, Friſingen, Goritz, Lauand, Seckaw, Baſel, Sitten, Regenſburg, Lubeck, Luttich, Trient, Brixen.

MUlti Epiſcopatus, ut *Halberſtad*, *Acinden*, *Verden*, *Magdeburg*, etiam nupera pace facti ſunt Principatus ſæculares. Solus Epiſcopatus *Lubecenſis* manet hodie penes Euangelicos ſolos, neque in Principatum ſæcularem

larem transmutatus est. Nos de præcipuis tantum pauca trademus: reliqua ad plenam Historiam Episcopatuum rejectis.

Bamberg.

I. Bambergensis *feuda quatuor* Electoribus *secularibus confert.*

1. Episcopatus Bamberg. ab Imperatore *Henrico* II. institutus est Anno 1007. territorio partim à *Wuitzburgensi* partim ab *Aichstetensi*, ut Noriberga & quicquid ad dextram Pegnesi ripam, petito.

2. Huic Episcopatui *Henricus* II. amplissimos Comitatus & in *Carinthia* insignem provinciam subjecit. Constituit enim ut quatuor sæculares Electores feuda sua ab hoc Episcopo peterent. Obtinet primum locum inter Episcopos Germaniæ.

II. *Controvertit de* præcedentiâ *cum ordine Teutonico.*

Ordo *Teutonicus* amissa *Prussia & Livonia*, sedem suam posuit in Germaniæ oppido, *Mergentheim*, & cum Episcopo Bamberg. de præcedentia certat.

Stras-

STRASBURG.

I. Argentinenſis *Landgraviatum* Alſatiæ *tenuit.*

1. EPiſcopatum *Argentinenſem* fundavit *Dagobertus* Rex Francor. & S. Arbagaſto *Rufachium* cum adjacente territorio, quod ſuperius *mutatum* quaſi mandatum vocant, dono dedit.

2. *Bartoldus* à Bucheck *Offenburg*, *Gengenbach*, *Ortenburg*, *Cell*, *Hennensbach*, & alia loca pro 44000. aureis ab Imperat. Romano hypothecæ loco poſſedit. Sed hæc loca *Guilhelmus* Comes Dieſtenſis *Ruperto* Regi Rom. ac Comiti Palatino reſtituit.

3. *Iohannes* Baro Lichtenbergius à Johanne ultimo Landgravio Alſatiæ, *Alſatiam* totam emit Anno 1538. ſed non niſi *inferiorem* Alſatiam conſecutus eſt, *Superiorem* tenente *Alberto* Comite Habſpurgenſi. Unde titulus *Landgraviorum* Alſatiæ communis fuit Epiſcopis Argentinenſibus, & Archiducibus Auſtriæ, uſque ad pacem Monaſterienſem, ubi ceſſit Regi Franciæ.

II. *Dividitur inter* Carolum *Lotharingum, & Joh.* Georgium *Brandeburgicum.*

Anno 1603. arbitrio *Henrici* IV. Regis Gall.

Gall. bellum Argentoratense exortum ob discordiam in electione Anno 1592. divisione Episcopatus inter dissidentes finitum. *Thuan.* l. 104. & 129.

WURTZBURG.

I. Wurtzburgensis *est dux in* Franconiâ.

1. DUcatum Franconiæ, Episcopo Wurtzburgensi donasse dicitur *Carolus* M. & *pipinus*. Unde Episcopus, quoties sacra facit, semper nudum ensem in arâ collocatum habet, & in suo sigillo his verbis utitur:

Herbipolensis sola ense judicat stola.

2. Sed hæc donatio rata non fuit cum *Franconiam* peculiares Duces obtinerent, donec tandem *Erlingus* Ducatum Franconiæ armis contra Henricum V. Imper. assereret, qui & primus nudum *ensem* cum *pedo* pastorali conjunxit. Verum eo mortuo Henricus V. Ducatum occupavit.

Titulo Ducis Franconiæ usus fuit *Gottfridus* Episcopus circa Annũ 1443. & ab eo tempore ejus successores illo usi fuerunt: frustra se opponentibus *Moguntino*, *Saxone*, *Brandeburgico*, *Bambergensi* A. 1521.

3. *Embricho*, sive Imbricus Ducatum Franconiæ iterum ab Imperatore *Lothario* impetravit.

4. *An-*

4. *Andreas* Baro à Gundelfingen Herbipolim ad obedientiam redegit, abrogatis tribubus & sodalitiis.

5. *Otto* Wolfskeel emit oppida *Gemudam*, *Heidingesfeld*, partem urbis *Kitzingen* & alia.

6. *Gerhardus* Comes à Schwartzburg, *Winsheim & Schweinfurt* Imperio restituere coactus fuit Anno 1388.

7. *Melchior* Zobel à Wilhelmo *Grumbach* per sicarios interfectus est Herbipoli A. 1558.

CHUR.

Churiensis *latè per* Rhætiam *dominatur*.

1. CÆpit Anno 440. *Carolus M.* Constantium constituit Gubernatorem & Protectorem Rhætiæ, qui vocantur *Grisons*.

2. *Egino* declaratus fuit Princeps à Friderico I. Imp. Anno 1170. Duces Austriæ ejus pincernæ, Domini de *Marmoribus* Mareschalli; Comites *Amasii* Dapiferi & Camerarii.

AICHSTAD.

Aichstad *de præcedentia cum* Spirensi & Strasburgensi *certat*.

SEdem suam habet in Franconiâ ad *Altmulam* in castro *Bilibaldsburg*.

AUGSPURG.

Auguſtanus Dillingæ *ſedem habet*.

1. INſtitutus eſt Anno 618.

2. *Henricus* Comitatum *Geiſenhauſen* Epiſcopatui donavit. *Sigfridus ab Ertinghauſen* caſtrum *Pfersheim* emit. *Wolfhardus* à Rodt multa in Marchionatu *Burgoviæ* emit.

3. Sub *Chriſtophoro à Stadion*, ſedes Epiſcopatus Auguſta *Dillingam* tranſlata ob Lutheraniſmum.

SPIER.

Spirenſis & Wormatienſis *Protector* Palatinus *eſt*.

1. COepit jam ante Annum 300. *Henr.* II. & *Conradus* Impp. Epiſcopatum Spirenſem amplificarunt, donato oppido *Bruſſel*. *Henricus* III. dedit oppidum *Rodenfels*. Anno 1083. cœpit nomen *Spiræ*, à fluvio Spira, cui adjacebat urbs Nemetum, ſub *Iohanne* acceſſit Comitatus *Kreichgoviæ* circa A. 1100. Anno 1466. *Frid.* I. Palatinus Epiſcopatui ademit *Rotemburg* & *Werſaw*, ſed *Rotenburgum* redemit Philippus de Roſenberg à Philippo Pal. pro 14000. florenis.

2. *Gerhardus* ab Ehrenberg conſenſu Ludovici IV. Imp. *Vdenhemium* munivit; idem poſtea fecit *Georgius* Palatinus & *Philippus* ibi

ibi castrum struxit, nomine *Philipsburg*, quod hodie ex pace Monasteriensi, cum præsidio tenet Rex Galliæ.

OSNABRUCK.

Osnabrugum *alternis Episcopos* Pontificios & Protestantes *habet.*

Idque ex pace Monasteriensi. Sedes est *Iburg*.

PADERBORN.

Paderborna *ab Episcopo domatur.*

ANno 1527. jurare coacti fuerunt nunquam se Lutheranam religionem admissuros. Quod cum non observassent, vi coacti fuerunt ab Hermanno Coloniensi Archi-Episcopo.

MUNSTER.

Monasteriensis *partem Westphaliæ tenet.*

1. COepit sub Carolo Magno, Anno 1534. *Iohannes* Bocolt sartor Leydensis Monasterio occupato se Regem Anabaptistarum fecit.

2. Anno 1661. Monasterium ab Episcopo post longam obsidionem deditione fuit captum. Idem prætendit Burggraviatum *Stom-*

berg & Dominium *Borculo:* posterior controversia hoc anno fuit bello composita.

LUTTICH sive LUYCK.

Leodiensis *latè per Belgium dominatur.*

Otbertus Anno 1098. à Godefrido Duce Lotharingiæ emit ducatum Bullion pro 1500. Marcis argenti.

Adolphus Anno 1336. Comitatum Lossensem adjecit.

Sub Ludovico Burbonio Leodium à Carolo Burgundo funditus fuit deletum A. 1468.

Maximilianus Dux Bavariæ, Archi-Episcopus Coloniensis Leodium expugnavit A. 1650.

HILDESHEIM.

I. Hildesheimensis *in Ducatu Brunswicensi sedes habet.*

1. COnditus à Carolo Magno. Complectitur Comitatus *Wintzenbergensem, Homburgensem, Paynensem, Dasselensem, Hunsruck, Bochheim, Woldenburg.* Diuturnæ rixæ inter hos Episcopos & Duces Brunswicenses fuerunt, compositæ demum nupera pace Monasteriensi.

2. Anno 1364. *Logica* victa fuit à *Rhetorica,* id est *Albertus* Episcopus *Halberstadiensis* bonus

bonus Disputator victus fuit à *Gerhardo* Hildesheimio bono Oratore.

II. *Proscribitur à Carolo* V.

Causa fuit bellum inter *Iohannem* Lauenburgicum Episcopum & Henricum Ducem Brunswicensem; unde hic Hessos & Misnos auxilio evocavit, qui discordes facti ob convitium Misnensium dicentium, *Leonem* Hessorum, quem clypeo gestabant, esse Canem; unde Hessi indignabundi discesserunt. Episcopus à Carolo V. proscriptus. Sed Hildesheimii bannum irriserunt, quod Germanicè *Acht* vocatur, dicentes, *Acht und aberacht sind Sechtzehen*. Unde *Henricus* Brunswicensis executor constitutus Episcopatui multas arces & territoria eripuit.

ABBATIATUS.

Abbatiatus *sunt vel* Singulares *vel* Collegiales.

ITa distinguntur quod alii *Singula* Suffragia in Collegio Principum habent; alii Collegialia & Conjuncta.

Singulares *sunt* Fulda, Kempten, Sangalla, Elwangen, Berchtesgaden, Corbeia, Pruymen, Stabelo.

Et hæ Abbatiæ vocantur *Gefurstete Abteyen*.

FULDA.

Fuldensis *præcedentiam Episcopo Hildesheimensi disputat.*

1. ABbas *Fuldensis* est Cancellarius Imperatricis, ac eo titulo prætendit præcedentiam pro Episcopo Hildesheimensi ac proximum à Moguntino locum occupare vult.

2. A. 1063. Cum *Henricus* IV. Imp. Goslariæ Curiam celebraret, Abbas Fuldensis proximum Moguntino locum occupavit per vim repulso Hildesiano. Hic suos arma capere jussit: idem facere Fuldensis. Ita horribilis cædes exorta ut sanguis ex foribus templi efflueret. Fuldensis postea cædis damnatus & magnâ parte bonorum multatus fuit.

Idem Coloniensi *de digniore sede litem movet.*

A. 1184. Cum *Fridericus* I. Curiam haberet Moguntiæ, Abbas Fuldensis prætendebat sibi deberi sedem ad sinistrum latus Imperatoris quod occupaverat Coloniensis. Cumque res ad arma & cædem spectaret, Imperator pro Coloniensi sententiam dixit, salvo tamen jure Fuldensis.

Est primas *omnium* Abbatum.

Non *Germaniæ* solum sed & *Galliæ*: Unde in Comitiis sedet ad pedes Imperatoris ejusque Cancellarius est.

SANGALLA.

Sangallensis *dominatur in* Turgoia.

CONdita fuit hæc Abbatia circa A. 630. Civitas *Sangalla* libertatem suam pecuniâ redemit.

Collegiales sunt vel Suevici vel Rhenenses.

Ita distinguuntur hodie, etsi aliqui etiam ad alios circulos pertineant.

Suevici *sunt* Weingarden, Salomons Weyer, Schussenriedt, Petershausen, Zwyfalten, Marchtal, S. Peter, S. Heimeran, Ursperg.

Rhenenses *sunt* Quedlinburck, Essen, Heruorden, Andlau.

Præcipuas tantum Abbatias Collegiales recensemus reliquis omissis. Multæ etiam Abbatiæ eximuntur à Principibus & seculares sunt.

Finis Principatuum Ecclesiasticorum.

SECULARES.

Seculares *ſunt vel* Electoratus, *vel* Ducatus, *vel* Palatinatus, *vel* Marchionatus, *vel* Landgraviatus, *vel* Principatus, *vel* Comitatus, *vel* Nobilitas, *vel* Civitates.

CANON.

I. *Principes ſinguli habent ſuam ſuperioritatem in ſuo territorio; conjunctim cum Imperatore Majeſtatem in Imperio.*

1. DE *Singulorum* ſuperioritate eſt axioma Politicum; *Princeps* in ſuo territorio idem poteſt, quod *Imperator* in Imperio. *Carpz*. 1. de Leg. Reg. Germ. Sect. 13. & c. 13. ſect. 6. Unde *Maximilianus* I. dixit ſe eſſe *Regem* Regum.

2. *Vniverſi* Principes *ſimul* ac *conjunctim* cum Imperatore participant de Majeſtate. *Carpz*. c. 13. ſect. 6. 8. 9. 10.

II. *Poſſunt mittere* Legatos.

Conſuetudine tamen magis, quam *jure*. *Carpz*. c. 1. ſect. 13.

III. *Habent Confraternitates.*

Vulgo *Erbverbruiderung*, id eſt pacta de futura

futura successione. Quale fuit inter *Brandeburgicos & Pomeranos*, *Palatinos & Bavaros*, *Saxones*, *Luneburgicos & Hassos*.

IV. *Crebræ inter eos de sessione & præcedentia rixæ.*

Velut inter *Bavaros & Saxones*, *Brandeburgicos & Brunswicenses*, *Hassos & Pomeranos*: *Coloniam & Aquisgranum*. Suntque tales lites inexplicabiles & æternæ. *Carpz*. c. 10. sect. 7. Unde Eberhardus Dux Wurtenb. dixit: *Setzet mich hinder den Ofen, &c.*

V. *Possunt inter se fœdera inire.*

Defensiva etiam contra ipsum Imperatorem. Talia fuerunt 1. Fœdus *Suevicum*, quod vocatum fuit *Societas* Clypei S Georgii. 2. Fœdus *Civitatum & Episcoporum* contra Marchionem Albertum. 3. Fœdus *Smalcadicum* contra Carol. V. 4. Fœdus *Saxonis*, *Brandeburgici & Haßi* A. 1587. 5. *Electorum* omnium. 6. Electorum *Rhenensium*. *Carpz*. c. 6. sect. 6. Ratio *Status*.

VI. *Signant pecuniam sua imagine, non Cæsaris.*

Carolus V. *sua* non *Principum* imagine voluit signari monetam, sed fuit ei negatum, tanquam derogativum privilegio Principum. Ratio *Status*.

VII. *Principes à solo Imperatore non possunt proscribi.*

Ergo non de jure sed facto fuit quod *Carolus* V. Saxonem & Hassum: *Ferdinandus* II. Palatinum & Anhaldinum proscripsit. Ratio *Stat*.

VIII. Principes *à solis* Paribus *suis sunt judicandi.*

Hoc dicitur *dasz furstenrecht*, estque plane diversum à Judicio *Aulico* vel *Camerali*. Requiruntur hæc ad hoc Judicium Principum. 1. Ut ii qui conveniuntur sint *Germani* Principes imperio subjecti. 2. Ut causa concernat eorum vitam, famam & feuda. Excipiuntur ergo pecuniaria debita. 3. Ipse *Imperator* debet esse *Præses*, aut Principem suo nomine delegare. 4. Debet in *Germania* haberi. 5. Et quidem lingua Germanica. Ratio *Stat*. p. 1. c. 10. sect. 2.

Protestantes *jubilæum* celebrant.

Primum 1617. ob exortum Euangelium; *Alterum* A. 1630. ob exhibitam *Confessionem* Augustanam. *Meteran*. lib. 37. & 50.

Principes *Germaniæ sunt vel* Catholici Romani *vel* Protestantes.

Idque secundum pacem *Passaviensem* Anni 1555. confirmatam *Monasterii* 1648. Ne-

que

que obstat *juramentum* Cæsaris de protegendo Papa & Ecclesia Catholica, quia habet exceptionem manifestam à parte Electorum Protestantium. *Carpz.* de L. R. c. 2. sect. 2. c. 3. sect. 5.

Sub Protestantibus comprehenduntur tam *Lutherani* quam *Reformati*, ut in pace Monaster. definitum fuit. Circa A. 1610. divisi fuerunt Principes Germaniæ in *Ligistas & Unionem* sive *Correspondentes*.

Protestantes *non tenentur interesse* Missæ *vel* Processioni.

Quia hoc repugnat eorum Conscientiæ & Religioni. *Sleid.* lib. 7. Si tamen *solius* officii *Politici* respectus habeatur, possunt, sed *caute* & cum *protestatione*, interesse. *Carpz.* c. 11. sect. 7.

Protestantes *possunt* Episcopatus *aliaque bona Ecclesiastica in suis territoriis sita reformare.*

Secundum Axioma: *Cujus* est regio *ejusdem* etiam est Religio. *Carpz.* c. 3.

Protestantes *possunt se contra* Cæsarem *defendere.*

Quod factum in bello *Smalcaldico*, cujus defensionem vide apud *Hortlederum & Goldastum*, & in bello *Sueco-Germanico*.

Proteſtantes *mittunt auxilia* Gallis & Belgis *Euangelicis*.

Anno 1587. miſerunt Exercitum 20000. peditum & 8000. Equit. ſub *Fabiano* à Dohna in Galliam. *Thuan*. l. 87. In Belgium ſub *Ioh*. Caſimiro aliquoties.

Proteſtantes ſunt Lutherani & Reformati.

Inter hos diſcordia atrox jam fuit non tantum *Theologica*, ſed & *Politica*, quod multi Reformatos à pace Religionis excludere & Germania proſcribere vellent. Unde atroces illi tumultus *Lipſiæ & Brunſwici* Ann. 1593. & *Auguſtæ* in comitiis contra *Frideric*. III. Elect. Palat. 1560. *Fridericum* IV. 1590. Lis Politica ſopita fuit pace Monaſterienſi. art. 7. De *Theologica* ſopienda hodieque tractant Principes & Theologi.

ELECTORALES.

I. Electorales ſunt Bohemia, Bavaria, Saxonia, Brandeburgum, Palatinatus.

IN pace *Monaſter*. inſtitutus eſt Electoratus octavus, ita ut hodie ſint V. Electores Seculares.

II. Ele-

II. *Electores longo usu & tacito Principum consensu introducti, in aurea Bulla confirmati sunt.*

I. Vulgaris sententia est Electores ab *Ottone* III. institutos: sed quia nihil certi ex historiis demonstrari potest, hinc Politici ad longum *usum* & tacitam *approbationem* recurrunt. *Thuan.* l. 1. *Carpz.* c. 10. sect. 5. 6. qui præsertim circa tempora *Friderici* II. invaluit, quo Electio Cæsarum fieri cœpit. *Septem* autem Electores approbati fuerunt Noribergæ à quibusdam Principibus Secularibus & Ecclesiasticis, vel apud oppidum *Rense*, circa Confluentiam, ubi hodieque extat locus dictus *Kaysersstuel*, vel circa *Ingelheimium*. Initio certus Electorum numerus non fuit sed nunc plures, nunc pauciores, donec tandem ad VII. ea dignitas devolveretur.

II. *Conditiones* quæ in Electoribus requiruntur, sunt hæ. 1. Debent esse nati 18. annos, si sint Minorennes Electione defunguntur eorum *tutores & Administratores* qui secundum auream Bullam ex proximis agnatis peti debent: an vero per testamentum, præterito proximo agnato, designari possit gradu remotior, de eo inter *Frider.* V. Palatinum, Neoburgicum & Bipontinum acriter controversum fuit. 2. Defuncto succedit *Filius* major natu, vel proximus Agnatus. 3. Sint periti linguæ *Germanicæ, Italicæ & Slavonicæ.* Bo-

BOHEMIA.

I. *Bohemia Moraviam & Silesiam complectitur.*

1. CONditor Bohemorum fuit *Zechus* circa A. 550. Initio Duces habuerunt, postea ad A. 1086. *Vratislaus* ab Henrico IV. Imp. Rex creatus fuit: post quem iterum per 180. annos, Duces usque ad A. 1159. habuerunt, quo *Fridericus* I. *Vladislaum* denuo Regem nominavit.

2. *Moravia* ad Bohemiam pervenit Anno 1048. sub Duce Bretislao; *Silesia* A. 1312. sub Rege *Iohanne* Lutzelburgico.

II. *Familia Ottocarum Bohemiam valdè illustravit.*

Imprimis Premislaus *Ottocarus* III. qui à mari Balthico ad Adriaticum fines propagavit & in *Prussia* exstruxit *Regiomontum*.

III. *Bohemia ad exteros Reges, tandemque Austriacos pervenit.*

Exstincta *Zechi* familia in Wenceslao III. qui Olmutzi in Moravia in templo obtruncatus fuit circa A. 1300. Bohemi Reges acceperunt. 1. Ex domo *Lutzelburgica*, Johannem, Carolum IV. Wenceslaum & Sigismundum. 2. Ex *Austriaca* Albertum II. & Ladislaum post-

posthumum. 3. Ex *Indigenis* Georgium Podiebracium. 4. Ex *Polonis* Vladislaum & Ludovicum. 5. Ex *Austriacis* Ferdinandum I. Rudolph. II Matthiam, Ferd. II. 6. Ex Domo *Palatina* Fridericum Electorem Palatin. 7. Iterum ex Domo *Austriaca* Ferdinand. II. Ferdinandum III. IV. & Leopoldum I.

IV. *Bohemia ex electivo regno fit hæreditarium.*

Post debellatum Fridericum Palatin. *Ferdinand*. II. Bohemiam in hæreditariæ provinciæ formam redegit.

V. Bohemiæ *Regi non competit hodiè jus sessionis ac suffragii in collegio Electorali, neque in Comitiis Imperii universalibus.*

1. Ideoque in Electione Regis Rom. *sessionem* tantùm, non *suffragium* habet. Est etiam liber ab oneribus Imperii neque ulli circulo adscriptus est.

2. Nihilominus verus est *Elector* ac Status Imperii & primum inter Electores seculares habet locum. *Carpz*. c. 4. sect. 8. 9. 10. 11.

Privilegia *Electorum ingentia sunt.*

1. *Privilegia* & prærogativæ Electorum quæ præ aliis Principibus habent, sunt insignia & ma-

& maximi momenti. Eaque vel toti collegio *ſimul* vel quibuſdam *ſpeciatim* competunt. Toti Collegio ſimul competunt tria: *Electio, Capitulatio & depoſitio* Imperatoris. Hæc tria adeo propria ſunt totius Collegii, ut ſi *unus* abſit, de *nullitate* proteſtari poſſit. Sic *Saxo* contra *Ferdinandi* I. *Palatinus* contra *Ferdin.* III. electionem proteſtati ſunt.

2. Soli etiam *Capitulationem* præſcribunt Imperatori idque contra *Imperii* jura, inertia & negligentia reliquorum Principum factum vult *Hippol.* à Lapide. Rat. ſtat part. 1. c. 15. ſect. 1. Per eandem Capitulationem ſibi adſcribunt Jus *fœderum & belli, tributorum*, de non *evocando & appellando; Monetæ, vectigalium, comitiorum, redituum Imperii.* Tanta Capitulationis enim vis & autoritas, ut ne quidem Electorum conſenſu immutari aut tolli poſſit. *Carp. c.* 1. *ſ.* 16. *n.* 13.

3. Inidoneus *Imp.* à toto Collegio Electorum deponi poteſt ac *imperio* exui. Exempla ſunt *Henricus* IV. *Adolphus* Naſſovius, *Wenceſlaus. Carpz. c.* 14 *ſ.* 5. 6. hoc communi totius Imperii *conſenſu* factum vult *Hippol.* à Lap. *p.* 1. *c.* 15. *ſ.* 1.

4. Electores etiam *Regibus* æquiparantur, ita tamen ut Regum Legatis poſthabeantur. *Carpz. c.* 10. *ſ.* 7. Unde legati illorum prætendunt in Comitiis titulum *Excellentiæ.*

Privi-

Privilegia quæ quibuſdam Electoribus ſigillatim conpetunt ſunt hæc.

1. Electores *Eccleſiaſtici* interdum ſimul, interdum *Moguntinus & Colonienſis junctim* coronam imponunt *Imperatori*. *Simul* in coronatione *Rudolphi* II. Moguntinus & Colonienſis, junctim in Leopoldi. *Carpz. c.* 11. *ſ.* 10.

2. Celebrante curiam *Imperatore*, *Palatinus*, (hodie *Bavarus:*) eſt *Archidapifer*. Ejus olim *Vicarius Truchſes à Waldpurg*. *Saxo* Archi-Mareſchallus. Ejus *Vicarius* Baro de Pappenheim. *Brandeburgicus* Archi-Camerarius. Ejus *Vicarius* Comes ab Hohenzollern. *Palatinus* hodie Archi-theſaurarius. Ejus Vicarius quidam Baro Auſtriacus.

3. Vacante *Imperio*, vel ſi Imperator extra Germaniam proficiſcatur, *Palatinus & Saxo*, olim *vicarii & Proviſores* fuerunt: hodie inter Palatinum & Bavarum de vicariatu controverſia eſt nondum deciſa. Jus *Vicariatus* æquè late patet ac poteſtas Cæſarea exceptis tantùm feudis regalibus, quæ vocantur *fahn lehen*, quoad *collationem*, non quoad *Iudicium*. *Carpz. c.* 11. *ſ.* 15.

4. *Saxo & Brandeb*. abſolute ſunt liberi à provocatione & appellatione. *Moguntinus* infra ſummam 40. Palatinus 1000. florenos. Schonb. pol. 5. c. 34.

BAVA-

BAVARIA.

I. *Electoratus* Bavariæ & Palatinatus *superior concessus est lineæ Wilhelmianæ.*

1. IDque pace Monaster. par. 4. his verbis. *Quod attinet* domum Bavaricam *dignitas* Electoralis quam Electores Palatini hactenus habuerunt, cum omnibus *Regalibus, officiis, præcedentiis, insignibus & juribus quibuscunque* ad hanc *dignitatem* spectantibus, &c.

2. Hac ergo ratione sopita fuit diuturna illa lis inter domum Bavaricam & Palatinam pro Electoratu, quæ duraverat inde usque à tempore *Ludovici* IV. Imper. qui in favorem suæ Familiæ per transactionem *Ticinensem* Anno 1336. introduxerat *alternationem* inter Palatinos & Bavaros, ut Electoratus ab una familia ad alteram, *alternatim* rediret. Sed eam, ut iniquam, iterum abrogavit Carolus IV. in aurea Bulla.

II. *Bavarus Vicariatum exercet.*

Mortuo *Ferdinando* III. Imperatore Elector Bavariæ Vicariatum exercere voluit, contradicente Electore Palatino. De hac controversia nihil adhuc definitum est, utraque parte suum *Ius* vel *prætensionem* scriptis asserente.

III.

III. *Utuntur jure* Primogenituræ.

Idque à temporibus *Alberti* V. fratribus minoribus regiones ſine regalibus concedunt.

IV. *Regimen exercetur* Monachii, Ambergæ, Straubingæ & Burckhauſæ.

Monachium enim ſedes Electoris. Reliquæ regiminum particularium. *Amberga* Palatinatus ſuperioris. Straubinga Bavariæ ſuperioris. *Burckhauſa* inferioris.

SAXONICUS.

I. *Electoratus* Saxoniæ *pervenit ad Marchiones Miſniæ & Landgravios Thuringiæ.*

1. ELectoratum Saxonię initio poſſedit familia *Anhaldina* ab A. C. 1180. ad Annum 1422.

2. Anno 1422. Imper. Sigiſmundus Electoratum Saxoniæ tranſtulit ad *Fridericum* Bellicoſum, Marchionem Miſniæ, & Landgravium Thuringiæ, cujus nepotes *Erneſtus* atque *Albertus*, ita ditiones diviſerunt, ut *Erneſtus* Electoratum cum Saxonia & Thuringia, *Albertus* Miſniam obtineret.

3. Marchionatus *Miſniæ* conditus fuit Anno 930. ab *Henrico* I. Aucupe eique præfectus ex

ex Posteris Witekindi *Bruno.* *Ridacus* Dives fuit Comes *Mersburgensis*, *Eccardus* *Osterlandiam* cum Misnia conjunxit idemque factus est *Landgravius* Thuringiæ.

II. *Carolus V. Electoratum à linea Ernestina transfert ad lineam Albertinam.*

1. Anno 1547. capto in prælio ad Mulbergam Joh. Friderico Elect. Saxon. Carolus V. Electoratum transtulit ad *Mauritium* Marchionem Misniæ. Joh. Fridericus & ejus posteri facti sunt Duces *Vinarienses*.

2. Quanquam vero *Ioh*. Fridericus post cædem Mauritii factam A. 1553. in prælio ad arcem Paynam, repeteret Electoratum, tamen *Augustus* frater Mauritii jus acquisitum novis pactis sibi suisque confirmavit. Conditiones fuerunt: ut Joh. *Fridericus*, durante vita, titulo & insignibus Electoralibus utatur; Exstinctâ progenie masculâ Augusti, Electoratus redeat ad Joh. Friderici posteritatem *Thuan. lib.* 13.

III. *Elector Saxoniæ habet jus convocandi.*

1. Germanicè *die ansage*. In comitiis *Universalibus* vel *Electoralibus*, pro creando Imperatore, *Ius convocandi* Status imperii ad consiliandum, solus Elector Saxoniæ, vel eo absente,

ſente, Mareſchallus hereditarius, juſſu Cancellariæ Moguntinæ, habet. Carpz. *c.* 11. *ſ.* 6.

IV. *Scholæ provinciales tres, duæ Academiæ ſunt.*

Academiæ ſunt; *Lipſienſis* condita à *Friderico*, ex ruinis Academiæ Pragenſis. *Wittenbergenſis* condita à Friderico ſapiente A. 1501. Scholæ, *Miſenæ* ad Albim, *Portæ* ad Salam & *Grimmæ* ad Muldam conditæ à Mauritio Electore. *Thuan.* lib. 13.

Saxo prætendit jus in ditiones Juliacenſes.

Ob *Sibyllam* filiam *Wilhelmi* Ducis Cliviæ Uxorem Joh. Friderici Elect. Saxon. & donationem Cæſaream factam Alberto Duci Saxoniæ. Continuat. Thuani. lib. 2. De hac prætenſione tranſactum inter Saxonem & Brandeburgicum in conventu *Guterbokenſi*. *Meteran.* lib. 32. *Neoburgicus* nullatenus ad poſſeſſionem admittere voluit Saxonem. *Rudolphus* vero Cæſar feudum Juliacenſe cum annexis Saxoni contulit Anno 1610.

Saxo potitur Luſatia ſuperiori.

Anno 1623. Ferdinandus II. Luſatiam ſuperiorem Saxoni jure hypothecario pro 6. millionibus extradidit, *Meteranus* lib. 43.

Saxo

Saxo Proteſtantes *Principes Lipſiam convocat.*

Anno 1630. Ubi de fœdere *defenſivo* contra oppreſſionem Cæſaream Proteſtantium actum & concluſum fuit armis propugnandam libertatem *Meter*. lib. 50.

Saxo *pacem* Pragenſem *cum Cæſare init.*

Anno 1635. poſt prælium *Nordlingenſe* Saxo ſolus cum Cæſare *particularem* pacem init, quæ Pragenſis dicta, de cujus injuſtitia extat tractatus, ut putatur, *Hug*. Grotii, ſub titulo *Iuſti* Aſterii. Hæc pax novum bellum cum *Suecis & Gallis* excitavit, quod demum Anno 1648. Monaſterienſi pace compoſitum fuit, in qua pax illa Pragenſis penitus abolita fuit.

Saxo *eſt Imperii* Proviſor & Vicarius.

1. Hoc privilegium obtinuit in aurea bulla. *Vicariatus* ejus ſe extendit ad omnes illas provincias quæ utuntur *Iure* Saxonico.

2. Etiamſi vero jus Saxon. hodie abrogatum ſit in *Marchia* Brandeburg, Ducatu *Brunſuicenſi*, *Luneburg*, *Mecklenburgico*, *Pomerania*, *Brema*, nihilominus *Vicariatus* ad omnia illa loca ſe extendit. Carpz. c. 11. ſ. 13.

BRAN-

BRANDEBURGICUS.

I. *Electoratus Brandeburgicus pervenit ad Burggravios Noribergenses.*

ANno 1417. *Fridericus* Burggravius Noriberg. *Marchiam* à Sigismundo Imper. emit pro 400000. Floren. quam Summam ut conficeret, Burggraviatum Noriberg. vendidit pro 180000. vel ut alii 240000. Flor. reservatis tamen sibi suisque heredibus quibusdam Regalibus, quæ cum tempore expirarunt.

II. *Acquirunt* jus *in* Pomeraniam.

2. Hoc jus nitebatur transactioni olim inter *Ludovic*. Roman. Electorem Brandeb. & *Barnimum* III. Pomeraniæ Ducem initæ Anno 1338. de Successione.

2. Cum ergo defunctus esset *Otto* Dux Stetinensis, *Fridericus* II. Elect. Brandeb. dictus cum *ferreis dentibus* illum Ducatum vigore transactionis Ludovicianæ ambivit, & feudum titulumque Pomeraniæ Ducis cum consensu Imperatoris Anno 1464. usurpare cœpit, quanquam dominio utili & directo à Ducibus *Wolgasti* excluderetur.

III. *Albertus dictus Achilles Germanicus fœdus hereditarium cum domo Saxonica & Hassiaca init.*

Anno 1478. Talia fœdera vocant Confraternitates, de quibus supra dictum. Idem conscribi curavit leges fundamentales domus Brandeburgicæ.

IV. *Ditiones Brandeburg. dividuntur in Electoralem Marchiam, Onolsbachium & Voitlandiam.*

Albertus inter 3. filios ditiones suas ita divisit, ut *Iohannes* Magnus, dictus Cicero Germanicus obtineret *Marchiam* & Electoratum, *Sigismundus* Voitlandiam, *Fridericus* Onolsbachium.

A *Friderico* descendunt Marchiones Culmbachenses, qui hodie *Bayreuthini* dicuntur & *Onoldini* sive *Anspachici*, & Duces *Prussiæ*.

V. *Marchiones Brandeb. prætendunt jus in Burggraviatum Noribergensem.*

Unde crebra & atrocia bella inter Marchiones Brandeb. ac Noribergenses, cum hi nudum *titulum* concederent, *regalia* sibi reservarent. Primum bellum fuit 1448. in quo admirabilis eluxit fortitudo *Alberti* Achillis, de quo Æ-

neas Sylv. in Europa, c. 39. Secundum Anno 1552. cujus Dux fuit *Albertus* Marchio Culmbachensis & Onoldinus.

VI. *Fiunt Duces* Prussiæ, Juliaci, Cliviæ Montium.

1. *Albertus* ultimus Magister Ord. Teutonici in Prussia Anno 1521. à Sigismundo Rege Polon. creatus fuit Dux Prussiæ feudatarius. Ei successit filius Joh. *Albertus*, cujus filiam *Annam* duxit Joh. *Sigismundus*.

2. Harum nuptiarum Jure Electores Brand. facti sunt Duces Prussiæ & obtinuerunt jus *hereditarium* in ditiones *Iuliaco-Clivicas:* quippe Joh. *Albertus* Dux Prussiæ duxerat *Mariam* Eleonoram filiam natu maximam *Ioh.* Guilhelmi, Ducis Cliviæ, ex qua nata est *Anna* uxor *Ioh.* Sigismundi Elect. Brand.

3. Defuncto *Ioh.* Alberto Duce Prussiæ *Ioh.* Sigismundus solenniter Warsaviæ in Comitiis Polonicis inauguratus fuit Dux Prussiæ, pro se, fratribus eorumque heredibus A. 1611.

VII. *Ob successionem Juliaco-Clivensem in magnas controversias cum Duce Neoburgico incidunt.*

Anno 1610. defuncto ultimo Duce Clivensi *Ioh.* Guilhelmo, maximæ Controversiæ propter successionem in Ducatum Juliacensem,

Clivensem, Montium, Marcæ & Ravensteini exortæ fuerunt inter *Brandeburgicum*, *Neoburgicum*, *Saxonem*, *Bipontinum*, Marchionem *Burgaviæ*, *Leopoldum* Archiducem Austriæ. Sed reliquis competitoribus à possessione exclusis, *Brandeburgicus & Neoburgicus* primò *junctim* ac *indivisim* Ducatus administrarunt: deinde *discordes* facti bello lacerarunt, Rege *Galliæ* & Ordinibus Belgii illi, *Hispano* huic auxiliantibus. vid. continuat. Thuani. lib. 2.

2. Tandem transactione *Santensi* ita convenit, ut *Brandeburgicus* Cliviam & Marcam, *Neoburgicus* Juliacum & Montes interea possiderent, donec lis plene definiretur.

3. Dux Cliviæ est Advocatus Aquisgrani; Idem prætendit Dux *Brabantiæ*.

VIII. Pomerania *ulteriori*, *Ducatu* Halberstadiensi, Magdeburgensi, Mindensi, *potiuntur*.

Anno 1648. in pace Monaster. ut patet ex paragr. 11. *Magdeburgum* adhuc obtinet *Augustus* Dux Saxon. titulo *Administratoris*, quo obeunte ad Brandeburgicum titulo Ducatus devolvitur & hoc Anno 1666. homagium præstarunt.

IX. Prussia *fit Principatus absolutus*.

Cum hactenus Ducatus Prussiæ feudum Polo-

Poloniæ fuiſſet: tandem Anno 1658. Rex & Reſpubl. Poloniæ *Electorem* Brandeb. omni feudo & homagio liberarunt ac Pruſſiam Ducatum abſolutum à nullo ſuperiore dependentem fecerunt & quanquam civitas *Regiomontum* initio refragaretur, tamen Anno 1662. Electorem pro Supremo Principe agnoverunt.

PALATINUS.

I. Rudolphus *Elector* Palatinus *à fratre* Ludovico IV. *Imp. & Duce Bavariæ ditionibus ſpoliatur.*

1. Cauſa & initium controverſiarum inter duas Domos *Palatinam & Bavaram* fuit electio *Ludovici* Ducis Bavariæ ad Imperium, facta A. 1312. Cumque *Rudolphus* Palatinus *Friderico* Auſtriaco adhæreret, pulſus fuit ditionibus à fratre ſuo Imperat. Ludov. IV.

2. *Ludovicus* filiis Rudolphi *Palatinatum inferiorem* reſtituit: in Electoratu autem *alternationem* introducere voluit tranſactione Ticinenſi A. 1326. ſed quæ mox iterum abolita fuit à Carolo IV. per A. Bullam A. 1356. Ab eo tempore Palatini continua & imperturbata fuerunt poſſeſſione Electoratus gaviſi, quanquam *Ludovicus* Dux Bavariæ *alternationem* ex pacto Ticinenſi iterum tentaret introducere, ſed fruſtra. *Leodius* in vita Friderici II.

3. Demum tempore belli Bohemici *Bavariæ* Dux Palatino non modo controversiam movit de Electoratu sed etiam victoriâ Pragensi & favore Cæsaris adjutus Palatinatum cum Electoratu invasit ac violenter obtinuit usque ad A. 1648. quo pace *Monasteriensi Lis* composita fuit.

II. *Palatinus fit octavus Elector.*

A. 1648. Ita qui per tot sæcula *primum* inter Electores locum obtinuerat, eum Bavaro cedere & ultimum occupare, pacis causa coactus fuit: isque status durabit, quamdiu quisquam ex linea *Guilhelmiana* superstes erit; qua exstincta cessabit *octavus* Electoratus & Palatinus pristinam dignitatem ac ditionem recuperabit.

AUSTRIA.

I. *Domum Austriacam fundavit Rudolphus* I. *Imperat.*

AUstria Marchionatus ab Henr. Aucupe A. 928. contra Hungaros facta fuit. Eam A. 1156. *Frider.* I. in Ducatum extulit. *Stiria* accessit sub *Leopoldo* IV. virtuoso, cujus posteritas in *Frider.* V. abolita est.

1. A 1274. *Rudolphus* I. Comes Habspurg. prælio superavit & occidit *Ottocarum* III. Regem Bohem. & Ducem Austriæ, Carinthiæ, Stiriæ, &c.

2. Cum

2. Cum vero vacua Domino *Austria* esset, eam Imperatorio jure contulit in filium suum *Albertum* A. 1275. à quo hodierna domus Austriaca originem suam sumsit.

II. *Potiuntur Comitatu Tirolensi.*

Per Conjugium *Rudolphi* cum *Margareta* Maultaschin, frustra protestantibus Ducibus Bavariæ.

III. *Hungariæ & Austriæ Reges fiunt.*

1. *Albertus* V. Dux Austriæ, ducta Elisabetha unica Imperat. Sigismundi filiâ, post ejus obitum, *Hungariæ & Bohemiæ* Rex factus est.

2. Ei successit *Ladislaus* Posthumus, qui improlis defunctus est; Ita *Bohemia & Hungaria* à domo Austriacâ ad tempus avulsæ fuerunt.

3. Sed *Maximil.* I. pacto hereditario, cum Regibus *Hungariæ & Bohem.* inito, suis successoribus jus in *Bohemiam & Hungariam* acquisivit; quo usus *Ferdinand.* I. *Bohemiæ & Hungariæ* Rex factus fuit post obitum Ludovici.

IV. *Prætendunt jus in Helvetiam.*

1. *Helvetii* olim Imperio subjecti, per Præfectos regebantur, quos à domo Austriaca accipiebant.

2. Sed cum illi Præfecti insolentius, quam ut à liberâ Gente ferri posset, dominarentur, Helvetii à *Ludov.* IV. liberi pronunciati, expulerunt *Austriacos*, & jus suum armis repetentes, multis præliis repulerunt.

V. *Austria fit Archi-Ducatus.*

1. Factum id à *Friderico* III. vel potius *Maximil.* I. Hippol. à *Lap.* p. 3. c. 2. f. 1.

2. Privilegia *Archi-Ducum* Austriæ sunt:

I. Non tenentur investituram extra Austriam petere Carpz. c. 10. f. 9. sed *tecto* capite, *equo* insidentes, eam *intra* territorium suum accipiunt.

II. *Primum* ab *Electoribus* locum obtinent. Huic præcedentiæ acriter contradixere Duces Bavariæ, ita ut tandem *Archi-Duces* primum inter Ecclesiasticos locum occuparint.

VI. *Austriaca potentia crevit conjugiis.*

Fatale hoc *Austriacis* per conjugia crescere, quippe *Maxim.* I. conjugio cum *Mariâ* Caroli Audacis filiâ obtinuit *Burgundiam & Belgium.* *Philippus* I. conjugio cum *Iohanna* Castiliam & quicquid inde dependet. *Philippus* II. Portugalliam.

VII.

VII. Prætendunt *jus in Ducatum* Wurtenbergicum.

De quo in Ducatu Wurtenberg. vid. *Sleid.* lib. 9.

VIII. Conſtantia, Cameracum, Trajectum *ad Moſam facta fuerunt feuda* Auſtriaca.

De *Conſtantia* Sleid. lib. 2.

De *Cameraco* Hubertus *Leodius* lib. 12.

De *Trajecto* ad Moſam Scriptores rerum Brabant.

MAGNIDUCATUS.

Magni Ducatus ſunt Florentia, Finlandia & Lithuania.

NAm Moſcovia, quæ jam vocatur Magnus Ducatus, hodie eſt Imperium.

FLORENTIA.

I. Florentia *fit* Magnus Ducatus.

MAgnus Ducatus *Florentiæ* III. Reſpublicas, olim liberas, complectitur, *Florentinam*, *Piſanam & Senenſem*. Reſpectu Dominii *Florentini & Piſani* Magnus *Dux* eſt *abſolutus* Dominus, nulli ſubjectus; Cætera velut *Senas & Elvam* à Rege Hiſpan. *Radicoſanum & Burgum* S. Sepulchri à Papa,

Filaterram & alia in agro *Lunensi* ab Imperatore, fiduciario jure possidet.

Florentia facta fuit Ducatus A. 1530. Primus Dux à Carolo V. creatus *Alexander* Medices, cui à Laurentio patruele per insidias occiso, successit Cosmus.

A. 1569. Cosmus à Papa Pio IV. creatus fuit *Magnus Dux* Hetruriæ, acriter contradicente Imperatore *Maximiliano* II. qui suum esse jus *Reges Ducesque* creare prætendebat. *Thuanus* l. 46.

II. *Magnus Dux* Florentiæ *potitur* Senis.

Cosmus urbem & territorium Senense, ope Hispanorum domuit & à Philippo II. Rege Hisp. in feudum accepit, exceptis *Herculis* portu, *Telamone*, *Orbitello* & *Plombino*, quæ Hispani retinuerunt. *Thua.* l. 15. 17. 18. & 23.

III. *Classem contra* Turcas *instruunt*.

Cosmus primus instituit triremes contra piratas Afros, in quem finem obtinuit Insulam *Ilvam* ibique *Cosmopolim* exstruxit. *Thuan.* l. 5. ac præterea portum *Livorno* novâ urbe auxit.

IV. Cosmus *instituit Equites* S. Stephani.

A. 1562. Cosmus instituit Equites S. Stephani. *Thuan.* l. 32.

FIN-

FINLANDIA.

Finlandia *fratribus Regum Sueciæ ſubinde paret.*

F*Inlandiæ* Magnus Ducatus teſtamento *Guſtavi* I. tributus fuit Johanni filio, fratri Erici Regis Sueciæ. Eſtque *Finlandia* propugnaculum Sueciæ firmiſſimum contra excurſiones Ruſſorum; Unde in limitibus exſtructæ ſunt arces validiſſimæ; *Wyborg*, *Kexhelm* & aliæ.

LITHUANIA.

Lithuania Poloniæ *conjungitur.*

JAgello Magnus Dux Lithuaniæ factus Chriſtianus & Poloniæ Rex Lithuaniam regno Poloniæ conjunxit. De quo ſupra, *Ruſſia* etiam *Magnus* Ducatus vocatur, ſed ille titulus tranſit in Czar, id eſt Imperatorem: unde tribus Imperiis Ruſſiam accenſemus.

PALATINATUS.

P*alatinatus* ſunt *Bipontinus*, *Simmeren*, *Neoburgicus*, *Sultzpachenſis*, *Lautereck*, *Birckenfeld*, *Lutzelſtein.*

P*Alatinatus* olim fuerunt etiam in *Saxonia*, *Bavaria*, *Suecia*: ſed hodie cæteris ex-

tinctis, soli restant *Palatini* ad *Rhenum* divisi in varias lineas, *Bipontinam*, *Simmerensem*, *Neoburgicam*, *Sultzbacbicam*, *Lautereck*, *Birkenfeld*, *Lutzelstein*. Olim fuerunt etiam Palatini *Ambergenses*, *Neumarkenses* (ex quibus Christophorus A. 1438. factus est Rex Daniæ, Sueciæ & Norwegiæ) *Mospachenses*, *Neostadiani* & *Lauterenses*. Nonnulli etiam *Leosteinenses*. Palatinos à Friderici I. Victoriosi posteris deducunt: sed hi nonnisi Comitum Ordini accensentur. Inter Palatinos primum locum obtinent *Lautereck* & *Simmeren*. Omnes hi originem ducunt à posteris Ruperti Regis Romanorum & Electoris Palatini.

BIPONTINUS.

I. Palatinatum *Bipontinum* condidit *Stephanus*.

1. STephanus factus est Palatinus *Bipontinus* & *Simmerensis* sive in *Hundsruck*.

2. Idem ductâ *Anna* Friderici ultimi Comitis in *Veldentz* & *Spanheim* filiâ utroque illo Comitatu potitus est.

II. Simmeren *pervenit ad Electores* Palatinos.

1. Ducatus *Simmeren* fuit conditus à *Friderico*

derico Stephani filio, cujus nepos *Iohannes* II obtinuit à Carolo V. jus succeſſionis in Electoratum Palatinum poſt obitum *Ottonis* Henrici. Ita ejus filius *Fridericus* III. factus Elector, Ducatum *Simmerenſem* fratri ſuo *Richardo* reliquit: quo abſque liberis mortuo A. 1598. pervenit ad *Fridericum* IV. Elect. Palatinum.

2. Is Ducatum *Simmeren & Lautern* legavit filio *Philippo Ludovico*: poſt cujus mortem *Lautern* venit ad Carolum Ludovicum Electorem, *Simmeren* remanſit penes poſteros Phil. Ludovici.

III. Bipontini *acres hoſtes fuerunt Electorum Palat.*

Imprimis *Ludovicus* Niger & *Alexander* Bipontini, gravia bella geſſerunt contra *Fridericum & Philippum* Electores Palatinos.

Lautereck deſcendit à Bipontinis, & ab iis deſcendunt familiæ *Lutzelſtein & Birckenfeld*.

IV. Iohannes *Bipontinus* Adminiſtrator *Electoratus fit*.

A. 1610. Poſt mortem Friderici IV. *Iohannes* Bipontinus tutelam ſuccepit vi teſtamentariâ *Friderici* IV. fruſtra ſe opponente Neoburgico.

NEOBURGICUS.

I. Neoburgicus *Palatinatus ex bello* Bavarico *oritur.*

1. ANno 1504. gestum fuit Bellum *Bavaricum*, inter *Rupertum* Com. Palatinum & *Albertum* Ducem Bavariæ.

2. Tandem controversia hæc ita composita fuit: ut filii *Ruperti* pro suâ prætensione possiderent *Neoburgum*, *Lauingam* & alia ad *Danubium & Nabim* oppida: qui Principatus vocatus fuit *die Iunge Pfaltz* & à sede Principum *Neoburgicus*. *Otto* Henricus ditionem suam bello Smalcaldensi amissam A. 1552. transactione *Passaviensi* recepit, & post obitum Friderici II. factus est *Elector* Palatinus: sed sine prole mortuus, hæredem Ducatus Neoburgici habuit *Wolfgangum* Bipontinum: Electoratus successorem *Fridericum* III. Simmerensem.

II. Neoburgicus *fit Dux* Cliviæ, Iuliæ & Montium.

A. 1609. defuncto ultimo Duce Cliviæ Joh. Wilhelmo, Philippus Wilhelmus Palatinus Neoburgicus jure uxoris *Annæ* factus est Dux *Cliviæ*, *Iuliæ*, *Montium*, unà cum *Electore* Brandeburgico: postea in *transactione* Santensi ita convenit, ut *Neoburgicus* pro sua parte haberet Ducatum *Iuliæ & Montium*.

III. Neoburgicus *arcem* Leuth *occupat.*

A. 1662. *Ordines* Fœderati Belgii Neoburgici copias arce *Leuth* Comitis à *Flodrop*, quam tanquam *sequester* occupaverat, cedere jusserunt.

IV. Neoburgicus *proscribit ex ditione suâ omnes* Lutheranos & Reformatos.

A. 1663. Neoburgicus omnes *Euangelicos* ex ditione suâ edicto migrare jussit: *Elector* Brandeburgicus jure *retorsionis*, ex suis ditionibus pariter omnes *Papistas* excedere jussit.

DUCATUS.

Ducatus sunt *Germaniæ*, *Poloniæ*, *Italiæ*.

GERMANIÆ.

Germaniæ *sunt* Saxonici, Suevici, Rheni, Lotharingiæ, Sueviæ.

SAXONICI.

Saxonici *sunt vel* Superioris, *vel* Inferioris *Saxoniæ*.

1. DUcatus Saxoniæ initium sumsit sub *Carolo* Magno, qui *Witekindum* ultimum

mum Regem Saxonum, constituit Ducem Saxoniæ, à quo condita dicitur *Witeberga*. Ex ejus posteritate fuit *Bruno* conditor Brunswici, cujus filius Otto, nepos *Henricus* Auceps Imperator.

2. Duces Saxoniæ, Ducibus Bavariæ & Palatinis præcedentiam disputant, sed hi possessione gaudent.

3. Non observant jus primogenituræ, sed ætatis.

Superioris Saxoniæ sunt *Weimar*, *Aldenburg*, *Gotha*, *Coburg*, *Naumburg*, *Lausnitz*.

SAxonia Superior dividitur in plures extra Electoratum Ducatus, quibus post obitum Joh. Georgii I. Electoris accesserunt Naumburg & pars Lusatiæ.

I. *Ducatus* Weymar *transfertur ad lineam* Ernestinam.

De lineâ *Albertina & Ernestina* supra in Electoratu Saxoniæ actum fuit. Hæc translatio facta fuit in bello Smalcaldico à Carolo V. cum captus esset *Ioh*. Fridericus, A. 1447. Is cum se abdicare *Electoratu & Saxoniâ* cogeretur, filii ejus in Thuringia Ducatum *Weymariensem* acceperunt: unde descendit linea *Saxo* Weymariensis. *Weymar* olim Comitatus fuit, cujus

cujus Comes *Hermannus* A. 1342. à *Friderico* Landgravio Thuringiæ, quem contemtim *Fritz* appellaverat, Comitatu exutus fuit.

II. Vinarienses *in solidum renunciant Electoratui.*

Joh. *Fridericus* post mortem *Mauritii* Electoratum repetiit: sed postea transactione cum *Augusto* inita, pro se & successoribus suis, quamdiu superstes foret linea *Albertina*, renunciavit. Idem A. 1555. Academiam *Ienensem* fundavit.

III. Grimmensteyn *solo æquatur.*

Causa fuit bellum *Gothanum*, excitatum à Joh. *Friderico* II. Duce Vinariensi, suasu *Wilhelmi* Grumbachii & aliorum Imperio rebellium: unde proscriptus ab Imp. *Maximiliano* II. & *Gothæ* obsessus fuit; qua capta, arx inexpugnabilis *Grimmensteyn* funditus diruta fuit.

IV. *A Vinariensibus descendunt Duces* Aldenburgi & Gothæ.

Inter *Aldenburgicos* Duces & *Gothanos* lis est de præcedentia. Dux *Gothanus* hodie est *Ernestus*, qui Principatum emptione admodum dilatat & arcem Gothanam à fundamentis instauravit ac pro *Grimmenstein* appellavit *Fridenstein*.

Saxo-

Saxoniæ *Inferioris* est *Brunsvicensis, Luneburgensis, Meklenburg. Lauenburg. Pomeren. Holsatiæ.*

BRUNSVIC. LUNEBURGENS.

I. Guelfi *tenent Ducatum* Brunsvicensem & Luneburgensem.

GUelfi originem ducunt à Bavariæ ducibus: ex quibus *Henricus* Superbus, ducta *Gertrude* filia Lotharii Imper. Ducatum Saxoniæ obtinuit: *Henricus* Leo ejus filius proscriptus fuit à Friderico I. Imp. unde *Bavaria* Ottoni Wittelspachio, *Saxonia* Alberto Urso Principi Anhaldino tradita: filii autem Henrici Leonis retinuerunt *Comitatus* Brunsvicensem & Luneburgensem, quos in *Ducatum* evexit Imp. *Otto* IV.

II. *Ducatus* Brunsvicensis *dividitur in* Gottingensem, Grubenhagensem, Wolferbitanum, Zellensem.

Ita divisus inter *Alberti* Magni filios in Ducatum *Gottingensem & Grubenhagensem*, & interdum in alios minores Ducatus pro multitudine Principum. Hodie dividuntur in familias, *Wolferbytanam, Zellensem & Hannoveranam.*

III.

III. *Prætendunt* jus *in Civitatem* Brunſvicenſem.

Prætenſio hæc conſiſtit in his, quod vetus vicus & *Saccus* Civitatis Brunſvici partes *oppignorata* tantum non *vendita* ſint à Ducibus Brunſvicenſibus civitati. Huic prætenſioni renunciavit *Iulius* Dux Brunſvic. Anno 1569. *Thuan. l.* 46. Sed ultima *tranſactio* inter civitatem & Duces facta fuit Anno 1616. Hinc aliquoties acerrimè obſeſſa fuit à Ducibus Brunſvicenſibus, imprimis Anno 1605. ab *Henrico* Julio. *Thuan. l.* 131. 133. A. 1606. à duce *Vlrico*. *Meter. lib.* 27. & à *Friderico* Ulrico A. 1615. ſed copiis Belgarum Confederatorum liberata ac Controverſiæ certis Conditionibus compoſitæ fuerunt *Meteran. l.* 25.

IV. *Obtinuerunt* Alternativam *hæreditariam Epiſcopatu* Oſnabrugenſi.

Idque per pacem Monaſterienſem A. 1648. articulo XIII.

LAVENBURG.

I. *Ducatus* Lavenburgicus *penes familiam* Alberti *Urſi remanſit.*

A *Iohanne* I. fratre Albert. II. Electoris Saxoniæ deſcendunt Principes *Lavenburgici*

gici qui se etiam vocant Duces *Westphaliæ & Angriæ*.

II. Magnus *fratri suo* Franciscо *bellum infert*.

Anno 1574. Causa fuit quod *Franciscus* pater, Ducatum in *Franciscum* filium, prætєrito *Magno* transtulisset. *Thuan*. l. 59.

POMERANIA.

I. Pomerania *inter* Suecos & Brandeburg. *divisa*.

POst obitum *Boguslai* XVI. ultimi Pomeraniæ Ducis, Elector *Brandeburgicus* jure hæreditario & successionis totam Pomeraniam obtinuit: sed Sueci pace Monasteriensi divisionem introduxerunt; ita ut Pomerania *Citerior* una cum *Stetino*, & insula *Rugia* esset Suecorum: *ulterior* Brandeburgicorum; hac conditione: ut *deficiente* lineâ *masculinâ* domus Brandeburgicæ, *ulterior* quoque Pomerania ad Suecos pertineat. *Instr*. Pacis, artic. X.

HOLSATIA.

I. Holsatia *fit* Ducatus.

SUb *Christiano* I. Regi Daniæ *Frideric*. III. Imper. Holsatiam ex Comitatu Ducatum fecit.

II. *Du-*

II. *Ducatus* Holſatiæ *eſt ſub* clientelâ *Danorum.*

Anno 1580. Duces Holſatiæ *Friderico* II. Regi Daniæ, *Ottoniæ* in Fionia homagium præſtiterunt fœdere perpetuo inito: ut *Danum* injuriarum vindicem agnoſcerent: ipſum in hoſtibus propulſandis bellove impetendis conſulerent: juſſi ſuppetias ferrent: quique *Holſato* hoſtis, idem *Danorum* eſſet.

III. *Holſatia dividitur.*

1. *Ioh.* I. Rex Daniæ Holſatiam cum fratre *Friderico* diviſit & huic præfecturas *Gottorf, Tritow, Tunderen, Oldenburg, Haderſleben, Plons, Tyls, Kyl, Steynburg, Strand,* attribuit. *Hamelman* parte 3. Chron. Oldenb. cap. 4.

2. Poſt obitum *Chriſtiani* III. Regis Daniæ, *Holſatia* iterum diviſa fuit inter *Fredericum* II. & *Adolfum.*

IV. Dithmarſia *expugnatur.*

1. *Dithmarſi* Chriſtiano I. per Fridericum III. in feudum traditi, pertinaciter libertatem ſuam armis tutati ſunt ac *Ioh.* I. Regem Daniæ ingenti clade profligarunt Anno 1500.

2. Tandem *Fridericus* II. Anno 1559. una cum Ducibus Holſatiæ ferocem gentem domuit: ita Holſatiæ acceſſerunt. *Thuan.* lib. 22.

V. *Con-*

V. *Controversiæ inter* Danos & Holſatos *componuntur.*

Controverſię erant de præfectura *Suaveſtede* aliiſque nonnullis quæ compoſitæ fuerunt nupero Bello *Dano*-Suecico.

V. *Prætendunt in partem* Norwegiæ.

Duces Holſatiæ prætendunt partem *Norwegiæ* ad ſe *hæreditatio* jure ſpectare, unde in titulis ſuis ſe appellant *hæredes* Norwegiæ.

VII. *Fiunt* Principes *à Regno Daniæ* exemti.

Inter alias Dano-Sueciæ pacis Roſchildianæ conditiones etiam hoc fuit: ut Duces *Holſatiæ & Sleſvici* impoſterum eſſent *exempti* à ſubjectione Regni Daniæ:

Et quia *Dani* in ſecundâ pacis tranſactione acriter ſe huic exemtioni oppoſuerunt, controverſia tandem amicabili tranſactione compoſita fuit.

SUEVIÆ.

I *Sueviæ Ducatus eſt* Wurtemberg.

ANno 1495. *Maximil.* I. Eberhardum VI. Barbatum in Comitiis Wormatiæ ex Comite Ducem Wurtenburgicum fecit. Is fundavit A. 1477. Academiam *Tubingenſem*.

II. Ul-

II. Ulricus *à fœdere* Suevico *pellitur.*

Anno 1522. Fœdus *Suevicum* pulso Ulrico, quod civitatem Imperialem *Reutlingam* expugnasset, Ducatum *Wurtenbergicum* occupavit. *Thuan.* lib. 6.

III. *Ducatus* Wurtenberg *ex feudo Imperii fit feudum* Austriacum.

1. Fœdus *Suevicum* Ducatum Wurtenbergicum *Carolo* V. obtulit; is *Ferdinando* fratri Archi-Duci Austriæ A. 1523. in Comitiis Augustanis.

2. Cum vero *Philippus* Landgr. Hessiæ frustra pro restitutione Ulrici precibus instaret, armis eum, pulso Ferdinandi exercitu, apud oppidum *Lauffen*, reduxit. Anno 1526. Unde inter *Vlricum & Ferdinand.* ita transactum: ut *utile* dominium Ducatus Wurtenburgici esset penes Ulricum: *directum* penes Ferdinandum. *Sleid.* lib. 9. *Rat.* Stat. pag. 3. cap. 2. f. 1.

IV. Fridericus *Comes* Mompelgardensis *fit Dux.*

1. Inter *Eberhardi* VII. filios ditiones ita divisæ, ut *Ducatus* maneret penes *Vlricum* VI. *Comitatus* Mompelgard. cederet *Georgio.*

2. Cum vero *Ludovicus* Christophori filius improlis obiisset A. 1593. Ducatus pervenit ad *Fridericum* Georgii filium Comitem Mompelgar-

pelgardensem, atque ita ditiones iterum conjunctæ fuerunt.

V. *Colloquium* Mompelgardense *irrito successu celebrat.*

A. 1586. Scopus erat conciliare Euangelicos inter se dissidentes, eo fine ut conjunctis animis armisque auxilia *Henrico*, Regi Navarræ, in Gallia, ferre possent, *Thuan*. l. 85.

VI. Nicrum *conatur reddere* navigabilem.

A. 1598. *Fridericus* Dux Wurtenb. legatis ad ordines federati Belgii missis pro libertate commerciorum, artifices sibi concedi petiit, qui *Nicrum* redderent navigabilem, ut inde secundo Rheno, merces ex *Wurtenberg* in *Hollandiam* deferri & referri possent: *Meteran.*

LOTHARINGIA.

I. *Ducatus* Lotharingiæ *à* Bullioneis *pervenit ad* Limburgenses.

L*otharingia* initio regnum amplissimum fuit, ita dictum à *Lothario* filio *Ludovici* Imp. & Regis Franc. Postea Impp. Germaniæ *Lotharingiam* occuparunt, ex quibus *Otto* III. *Carolum* Ducem Lotharing. creavit A. 977. Postea Ducatus pervenit ad *Gothofridum* Ducem Bullionis qui Anno 1099. factus est Rex *Hiero-*

Hierosolymæ. Cum vero *Gothofridus* Bulioneus & *Balduinus* Reges Hierosolymorum Ducatum Lotharingiæ quasi pro derelicto habuissent, *Henricus* Limburgi Comes eum ab *Henrico* IV. impetravit.

II. *Dividitur in* Superiorem & inferiorem.

Cum *Conradus* improlis obiisset *Henric*. V. *Lotharingiam* inferiorem *Gothofrido* I. Barbato Comiti Lovanii dedit, quæ imposterum *Brabantia* dicta.

Superior data *Wilhelmo* Gothofredi fratri, quæ sola nomen *Lotharingiæ* retinuit.

Eaque iterum subdivisa in Comitat. *Tullensem, Castrensem & Amaneanum*.

III. Guisia *ei accedit*.

Radulphus ducta *Mariâ* Guidonis Blesensis filia Comitatum *Guisiæ* obtinuit. Ab hoc nomen deducunt famosi illi Duces *Guisii*.

IV. *Pervenit ad familiam* Andegavensem.

Renatus Comes Andium, Cenoman. Provinciæ, ducta *Isabellâ*, filiâ *Caroli* Audacis, Ducis Lotharing. factus est Dux *Lotharingiæ*, & Rex *Neapolis*: sed eo mox iterum pulsus ab *Alphonso* Aragonio. Hinc *Renatus* Ander,

Pro-

Provinciam, Mainiam retinuit, ac *Ludovicum* XI. Regem Gall. heredem instituit, filio suo *Iohanni* Lotharingiæ Ducatum, jure materno dedit.

V. *Prætendunt in Regnum* Neapolis & Siciliæ.

Prætensio hæc dependet à familiæ Andeg. jure in *Neapolin & Siciliam*. Unde *Iohannes* Lothar. Dux regna illa recuperare frustra conatus. P. *Æmyl*. l. 10. *Comin*. 2. Com.

VI. *Comites* Vaudemonti *fiunt* Duces *Lotharing*.

Cum *Nicolaus* Venustus sine prole masculâ obiisset, *Lotharingia* pervenit ad *Fridericum* Comitem Vaudemonti qui sororem ejus duxerat.

VII. Prætendunt *in Ducatum* Geldriæ.

Prætensio in *Gelriam* nititur conjugio *Renati* Ducis Loth. cum *Philippa* filiâ Adolphi Ducis Geldriæ; unde post obitum *Guilhelmi* Ducis Gelriæ & Juliæ, Franciscus Ducem *Gelriæ* se vocavit.

VIII. Guisii *adfectant* Regnum *Franciæ*.

Declinante ad interitum *Valesiâ* stirpe, ex quâ

quâ ultimus Rex Gall. *Henr*. III. à Monacho confossus A. 1589. *Franciscus* Dux Guisiæ & caput *Ligæ* Sanctæ, Regnum Galliæ ambivit, duplici prætextu; quod *Henricus* Borbonius Rex Navar. propter hæresin regni esset incapax, & quod Domus *Lotharingica* ex masculâ stirpe Caroli M. originem traheret. In eum finem *Guisii* condiderunt famosam illam *Ligam*, de cujus facinoribus vid. *Thuan*. sed has improbas spes *Henr*. III. irritas reddidit; *Francisco & Ludovico* fratribus Guisiis, in Comitiis *Blesensibus* subito per satellites suos trucidatis.

GULICH, CLEVE, BERG.

Julia, Clivia, Berga, *Ducatus fiunt*.

IVlia 1359. à *Carolo* IV. in Comitiis Metensibus.

Clivia à *Sigismundo* in Concilio Constantiensi.

Berga à *Wenceslao*.

Varii *prætendunt in hos Ducatus*.

1. ANno 1609. mortuus fuit *Ioh*. Wilhelmus Dux *Iuliæ*, *Cliviæ*, *Mont*. Comes *Marcæ*, *&* *Ravensb*. Dominus in *Ravenstein* ultimus suæ familiæ. Quapropter varii Principes successionem illorum Ducatuũ prætendebant, quales fuerunt *Brandeburgicus*,

Neoburgicus, *Saxo*, *Bipontinus*, *Burgravius*, & præter hos Imp. *Rudolphus*, qui Ducatus hos, quod essent feudum Imperii masculinum ad Imperium devolutos dicebat, misso propterea cum Exercitu *Leopoldo*, Archi-Duce Austriæ.

2. Quibus autem rationibus & argumentis singulorum prætensiones fundatæ fuerint prolixè commemorat *Continuat.* Thuan. l. 2. summa est: *Brandeburgicus* nitebatur eo fundamento, quod ex *Leonora* sorore Joh. Wilhelmi, *majore* natu, ortus esset. *Neoburgicus*, quod ex sorore *Anna*, minore quidem natu, sed adhuc superstite natus. *Saxo* prætendebat antiquas donationes & pacta.

3. Tandem *Brandeburg.* & *Neoburg.* cæteris exclusis, primò *indivisim* rexerunt hos Ducatus, post *discordes* facti *lacerarunt*: ille Gallorum & Batavorum, hic Hispanorum auxilio; tandem divisio instituta Santensis, de qua jam supra actum.

POLONIÆ.

Poloniæ sunt *Curlandia* & *Prussia*.

CURLANDIA.

I. Gothardus *Ketler creatur primus* Dux *Curlandiæ* & *Semigalliæ*.

ANno 1561. *Sigismundus* Augustus Rex Polon. Livonicum Ordinem exstinxit, & *Gothar-*

Gothardum Ketlerum, postremum Ordinis Livoniç Magistrum *Curlandiæ & Semigalliæ* Ducem creavit. *Thuan*. l. 24. & 28.

II. *Imperator* Russiæ *jus in* Livoniam *prætendit*.

1. A. 1558. Joh. *Basilides* Magnus Dux Moscoviæ Livoniam bello aggressus, eam magna parte occupavit. *Thuan*. l. 21.

2. Deinde *Magnum* Holsatiæ Ducem creavit Ducem Livoniæ, qui postea A. 1519. à Russis ad Stephanum Polon. Regem defecit. *Thuan*. l. 69.

III. *Controversia de* Diœcesi *Curlandica inter* Danum & Polonum *componitur*.

A. 1585. Hac conditione ut pro 30000. Imper. Dano persolutis, à Rege Poloniæ in Georgium Fridericum Ducem Prussiæ transferretur. *Thuan*. l. 53.

PRUSSIA.

I. Prussia *fit* Ducatus.

1. ANno 1521. *Albertus* Marchio Brand. ex Magistro Ordinis Teuton. factus primus *Dux* Prussiæ à Sigismundo Rege Polon. *Thuan*. l. 1.

2. Quanquam vero Cæsares huic transa-

ctioni se opponerent, prætendentes Prussiam pertinere ad imperium adeoque *Magistros* Ordinis Teutonici *titulares* hodieque creent: nihilominus Prussia regno Poloniæ conjuncta mansit, secundum pacta inter *Casimirum* R. Polon. & *Ludovicum* ab Erlichhausen Ordinis Magistrum inita. *Thuan.* 5.

II. Osiandrismo *perturbatur*.

Osiandrismus initio fuit factio *Ecclesiastica*, ita dicta ab *Andrea* Osiandro Theologo: deinde extremâ ætate Alberti transiit in factionem *Politicam*, cujus capita erant *Paulus* Scalichius, *Ioh.* Funcius, *Horstius*, *Snellius* & *Steinbachius*. Desiit A. 1566. *Thuan.* l. 39.

III. *Duces Prussiæ novis* privilegiis *ornantur*.

Anno 1569. *Sigismundus* Augustus in Comitiis Lublinens. sancivit, I. Ut omnes *Prussi* confessionem *Augustanam* sequerentur. 2. Ne ad Regem, nisi in casibus reservatis, provocetur. *Thuan.* l. 46.

IV. *Alberto Friderico* Curator *datur*.

Anno 1577. Causa fuit quod *Albertus* Fridericus mente captus esset: unde ei *Curator* datus *Georgius* Fridericus Marchio Brandeb. à Stephano R. Polon. *Thuan.* l. 65.

ITA-

ITALIA.

I. Principes & Civitates *Italiæ subsunt* Imperio.

QUanquam enim exemtionem prætendant ex Constitutione *Frid.* I. de pace Constantiæ, ac titulo emtionis; tamen revera Imperio subesse debent *Venetia, Mantua, Parma, Ravenna, Mediolanum, Florentia, Pisa, Luca, Genua*, Carpz. de l. R. c. 7. f. 6. Sed hodie nullus *Princeps* aut *Civitas* Imperium revera agnoscit, præter Duces *Sabaudiæ*, *Mantuæ & Montisferrati*, *Parmæ & Placentiæ*, *& Modenæ*, Comitem, *Mirandulæ*, qui tamen & ipsi nihil ad onera conferunt.

II. *Ducatus sunt* Sabaudia, Mantua, Ferraria, Parma & Placentia, Modena, Genua, Venetiæ.

Omittimus Mediolanum & alios Ducatus regni Neapolitani tanquam Hispano subjectos & titulares potius quam veros.

SABAUDIA.

I. Sabaudiam *occuparunt Duces* Saxoniæ.

1. ANno 999. *Beroaldus* Hugonis Ducis Saxon. filius, Ottonis III. Imp. fratris propter occisam *Mariam* Aragoniam Ottonis

Avunculi impudicam Conjugem Germaniâ excedere coactus, *Sabaudiam*, consentientibus Bosone & Rudolpho Burgundiæ Regib. occupavit. Ideo Duces Sabaudiæ gloriantur se origine Germanos, adeoque Consanguineos Ducum Saxoniæ esse, quo titulo aliquoties Imperium adfectarunt.

2. *Hubertus* à Cæsare *Maurienn*æ Comes creatus fuit. Idem ducta *Adeliza*, Marchionatum Susæ obtinuit. *Hubertus* II. Tarantasiam adjecit. *Amedeus* II. *Sabaudiæ* Comes ab Henrico V. creatus. Idem ducta *Sibylla* Ulrici Comitis *Matisconensis* filiâ, Baſgeum Comitatum dotis loco accepit. *Petrus* I. cognomine *Parvus Carolus Magnus*, Vallem *d'Oste & Chablais* ditionibus annexuit, & primus gestavit annulum S. Mauritii eumque Sabaudiæ Principibus characterem Principatus tradi voluit. *Amadeus* IV. ducta Sibylla Comitatum *Bressæ* accepit. *Amadeus* VI. Ordinem Equitum Annunciationis Mariæ instituit.

II. *Fiunt* Principes Pedemontani *&* *Comites* Nizzæ.

Pedemontium vocatur Regio Italiæ Alpibus proximè subjecta, quam Principes Sabaudiæ Anno 1363. eripuerunt *Iohannæ* Comiti Provinciæ & Comitatum *Nizzæ* ac *Villæ francæ* eodem modo obtinuerunt, unde in hæc loca tanquam ad familiam Andegavensem & Provinciæ

vinciȩ Narbonensis jura spectantia prætendunt Reges Galliæ.

III. Sabaudia *fit* Ducatus.

Anno 1414. *Amadeus* VIII. à *Sigismundo* Imper. in Concilio Constantiensi primus *Dux* Sabaudiæ creatus fuit. Unde Duces Sabaudiæ hodieque Imperatorem agnoscunt Superiorem. *Carpz*. c. 7. s. 6. habentes *Seßionem & Votum* in Comitiis; sed ita ut ab omnibus oneribus exemti sint, nisi quod interdum contra Turcas aliquid auxilii mittant.

IV. *Dux* Sabaudiæ *est* vicarius *Imper. perpetuus per Italiam.*

Quemadmodum per Germaniam *Saxo, & Palatinus*, vacante Imperio, vicariatum exercent: Ita per Italiam Dux *Sabaudiæ* & *Mantuæ* de vicariatu inter se contendunt, sicut nuper post mortem *Ferdinandi* III. ubi tamen *Sabaudo* prælatus fuit Dux Mantuæ.

V. *Prætendunt in* Genevam, *ditionem* Bernensem, Montisferratum, Portugalliam, Cyprum & Jerusalem.

1. Prȩtensiones Ducis Sabaudiæ sunt in *Genevam*. Causas vide apud *Thuan*. l. 97. & 125. *Meter*. lib. 24.

2. In ditionem *Bernensem*; quippe A. 1535. *Bernenses* Helvetii Sabaudo ademerunt quic-

quid possidebat ad Septentrionales partes lacus Lemanni, quæ regio vocatur *Pays* de *Vaux*, cujus caput est urbs *Losanna*. Unde Anno 1612. *Bernenses* coram Camera Spirensi accusavit, sed qui illud judicium declinarunt. *Meter*. l. 33.

3. In Ducatum *Montisferratensem*; Unde 1614. bellum exortum inter Sabaudum & Mantuanum. *Meter*. l. 24. & 47. *Philibertus* Emanuel in regnum Portugalliæ prætendit, quia natus erat ex *Beatrice* altera filia Emanuelis Regis Portugal. *Thuan*. l. 65. Sed hac prætensione cessit in gratiam *Phil*. II. R. Hispan. Prætensio in *Cyprum* & Regnum *Hierosol*. nititur conjugio *Ludovici*, Ducis Sabaud. cum Anna Lusignana Cypri Regis filia.

VI. *Obtinet Marchionatum* Saluzzensem *& comitatum* Bobiensem.

Anno 1588. *Sabaudus* occupavit Marchionatum Saluzzi. *Thuan*. lib. 92.

1. Anno 1600. Controversia inter Regem Galliæ & Ducem Sabaudiæ de Marchionatu ita definita fuit: ut Rex *Galliæ* potiretur *Bressia*, Sabaudus *Saluzzam* retineret. *Thuan*. lib. 125. Prætensiones Sabaudi in Saluzzi Marchionatum prolixè commemorat *Thuan*. lib. 122.

2. Anno 1617. *Hannibal* Grimaldus Comes *Bobiensis*, quod se in clientelam Regis Gall.

Gall. dedisset, à Duce Sabaudiæ capite plexus, ejusque Comitatus in fiscum redactus fuit.

VII. *Inter* Sabaudum & Mantuanum *de præcedentia controvertitur.*

Controversia hæc mota fuit A. 1622. ac scriptis ab utraque parte disceptata.

MANTUA.

I. *Ex Principatu* Mathildis *oriuntur varii Ducatus.*

1. PRincipatus *Mathildis* sub *Henric.* IV. Imperatore per Italiam potentissimus fuit. Complectebatur *Spoletum*, *Mantuam*, *Parmam*, *Ferrariam*, *Atesten* & alia loca. Dictus Principatus *Mathildis* à *Mathilde* Vidua *Bonifacii*, quæ duxit *Guelphum* Ducem Bavariæ, sed eum ignominiose iterum expulit, quod in castris Veneris parum se strenuum præstitisset. Hæc Mathildis fuit intimæ admissionis apud Papam *Hildebrandum* sive *Gregorium* VII. Ideoque Papæ Rom. plurima oppida, imprimis *Ferrariam* donavit; Ita ex ejus Principatu dominia *Mantuæ*, *Atestes*, *Ferrariæ*, *Parmæ*, *Mutinæ*, *Rhegii*, emerserunt.

II. Mantua *fit* Ducatus.

I. Initio *Mantua* post mortem Mathildis libera facta & imperio subjecta mansit, usque

ad Annum 1220. quo Principatum ejus occupavit Sordellus.

2. Deinde Principatu Mantuæ potita fuit familia *Gonzagarum*, ex qua Joh. *Franciscus* ab Imp. Sigismundo Anno 1432. *Marchio*, *Fridericus* à *Carolo* V. Anno 1530. *Dux* creatus fuit.

III. *Potiuntur* Montisferrato.

Franciscus Gonzaga ducta *Margareta* Guilhelmi Palæologi filia, Marchionatum *Montisferrati* Anno 1535. post obitum Joh. *Georgii*, ultimi ex Palæologorum familia Marchionis, obtinuit & Mantuæ junxit. *Guilhelmus* Anno 1573. à Maximiliano II. Dux quoque *Montisferrati* creatus fuit frustra contradicente Sabaudo, de cujus prætensione in Montisferratum paulo ante dictum. vid. *Thuan.*

IV. *Ob successionem familiæ* Nivernensis *oritur bellum* Mantuanum.

Anno 1629. Mortuo *Vincentio*, Ducatus Mantuę & Montisferrati venit ad *Carolum* Ducem Nivernensem: Hic quia partibus Gallorum erat addictus, Rex *Hisp.* & *Ferdin.* II. Imper. eum possessione Mantuæ excludere voluerunt. Hinc bellum Mantuanum A. 1629. de quo vid. *Trutinam* Stat. Europæ discursu 7.

Meter.

Meter. lib. 47. Hujus belli Mantuani occasione, cum Imp. copias suas ex Germania in Italiam abduxisset, Rex Sueciæ Pomeraniam occupavit.

V. *Inter* Sabaudum & Mantuanum *controvertitur de* Montisferrato.

Unde perpetuus belli metus inter Mantuanum & Sabaudum esse solet, quod erupit Anno 1612. 1614. & sæpe ambiguis transactionibus compositum. Sed *Car.* V pro Mantuano pronuntiavit, illudque judicium *Maximil.* II. & *Ferdin.* II. comprobarunt.

VI. Mantuanus *designatur* Vicarius *Imperii per* Italiam.

Anno 1624. Ferdin. II. Ducem Mantuæ Vicarium Imperii per *Italiam* constituit, quod munus hactenus Sabaudo incumbebat.

FERRARIA.

MUTINA, REGIUM.

I. Ferraria *fit* Ducatus.

1. ANno 289 *Opizo* ex familia *Atestina* Ferrariam à Benedicto XII. *Vicariatus* nomine accepit; item *Mutinam* tenuit & Papæ quotannis 10. millia aureorum benificii loco tribuit. *Nicolaus* II. *Regium* Lepidi ditioni suæ adjecit. [illegible] Joh. Baptistam *Pignam*

in rebus gestis Atestinorum.

2. Primus Ferrariæ Dux *Borsius* à Friderico III. & Paulo II. creatus fuit. Ultimus *Alphonsus* II. Ducatum Ferrariæ libenter in Cæsarem Estensem transtulisset; sed obstitit Papa *Clemens* VIII. prætendens Cæsarem esse illegitimum, adeoque successionis incapacem. *Thuan*. l. 100.

II. *Ex eo oritur Ducatus* Mutinæ & Regii.

1. Post mortem *Alfonsi* II. Ducis Ferrariæ Papa ducatum Ferrarię tanquam ad Ecclesiam, deficiente prole legitima, relapsum, occupavit.

2. Cum ergo Cæsar Estensis, qui se pro hærede Ducatus Ferrar. gerebat, cedere *Ferrara* cogeretur *Mutinam & Regium* Lepidi Carpense oppidum, quæ ad Imper. spectabat, retinuit, & se ducem Modenæ imposterum scripsit, eandem Romæ prærogativam habens, quam olim Ferrariensis habuit. *Thuan* l. 119.

III. *Est* Vasallus *Ducis* Mantuani.

Propter castellum *Borselli*, cujus nomine par calcarium Mantuano præstat.

IV. Prætendit *in ditionem* Comacchio.

Eam Papa possidet, atque hinc Duci Mutinæ cum sede Romana controversia.

PAR-

PARMA & PLACENTIA.

I. Paulus III. *Papa* Parmam & Placentiam *confert* Farnesiis.

ANno 1544. *Paulus* III. Papa creavit filium suum, spurium, *Petrum* Aloysium, *Parmæ & Plac.* Ducem. *Thuan.* l. 4. & 8. De hujus Petri Aloysii immani Tyrannide & miserabili morte videatur *Sleidanus*. Unde *Ducatus* hic est *feudum* Papale. Sed in Placentiam Jus sibi vendicat R. Hispan. ratione Ducatus Mediolanensis.

II. Octavius *Cæsari reconciliatur*.

Anno 1556. Conditiones vide apud *Thuan.* lib. 16. Hic *Octavius* Uxorem habuit. *Margaretham*, filiam naturalem Caroli V. quæ fuit Gubernatrix Belgii ejusque filius *Alexander* Farnesius, Dux Parmensis, qui tantas res in Belgio gessit, de quibus Strada.

III. Papa *Ducatum* Castro *occupat*.

Papa Urbanus VIII. Ducatum *Castro* Duci Parmæ, ratione debitorum eripuit, tanquam feudum Ecclesiæ: unde bellum exortum & controversia tandem authoritate Ludov. XIV. Regis Galliæ Anno 1664. composita fuit, ut *Castro* Parmensi restituatur; ipse pecuniam Papæ exolvat.

GENUA.

I. Genua *fit* Ducatus.

1. G*Enuenſes* initio libertatis ſuæ ab Anno 1100. Præfectos habuerunt; deinde inſtituti Conſules vario numero à binis ad denos & 24. Senatores. Anno 1194. Prætor iis additus juſſu Frider. I. poſtea acceſſerunt Præfecti populi, ſinguli aut bini, & aliquando omiſſi mira fluctuatione.

2. Tandem compeſcendis factionibus, quæ inter Nobiles & plebem frequentes, Dux creatus Anno 1327. idque inſtitutum, ſemel tantum per triennium omiſſum, duravit uſque ad Annum 1390. Creatus Dux ex Nobilitate vel Plebe in Biennium.

II. *Potiuntur* Corſica.

Imperium per Liguriam & Inſulas maris Mediterranei extenderunt ſub Conſulibus, Corſicam hodieque tenent: Sardiniæ partem diu habuerunt; Capham in Taurica Cherſoneſo coloniam habuerunt: Chium, Lesbum, Peram acquiſita iterum amiſerunt. *Thuan*. lib. 63.

III. *Dedunt ſe Regibus* Galliæ.

Anno 1390. Propter factiones *Guelforum & Gibellinorum*, *Spinularum & Auriorum*, *Fliſcorum & Grimaldorum*, Genua ſe in fidem

dem Caroli VI. Regis Gall. dedit; deinde in Vice-Comitum Mediolanensium potestatem concesserunt, à quorum jugo liberati fuere A. 1444. virtute Simonis Buccanigri. *Thuan.* l. 61. Postea Ludov. XII. & Franciscus I. Genuam recuperarunt, sed non diu tenuerunt. Hinc Reges Galliæ hodieque in Genuam & Corsicam prætendunt, ac propterea Henr. II. Anno 1553. bellum iis intulit. *Thuan.* lib. 12. Corsi etiam Anno 1563. ad Gallos defecerunt. *Thuan.* lib. 16.

IV. *In* Libertatem *vindicatur.*

Anno 1522. Genua ab imperio Gallorum in libertatem per Carol. V. vindicata & nova Reipubl. forma Anno 1528. ab Andrea Aurea instituta fuit, qui propterea *Pater Patriæ* dictus. Creati Duces: eorum potestas biennio definita. Electio sorti commissa. Duci additi VIII. Gubernatores; totidem procuratores; Syndici V. Hæc forma Reip. usque ad Annum 1574. duravit, quo dissensiones inter populum & Nobilitatem extitere, quas Maximil. II. Imp. *Philip.* II. Rex Hisp. & Papa sustulerunt. *Thuan.* lib. 61.

V. *Conjurationes* Fliscana & Ciboina *Genuam perturbant.*

De his conjurationibus & quando ab Andrea Aurea oppressæ sint; vide *Thuan.* lib. 3.

VI. Ge-

VI. Genua *usuris atterit* Hispanum.

Opes Genuensium specie mutui sunt in manu Regis Hisp. quem tamen crebris usuris ita atterunt, ut præcipua Indiarum & Hispaniarum vectigalia oppignorata habeant; Sed Reges Hispan. aliquoties nimiam Genuensum avaritiam castigarunt A. 1575. 1596. *Thuan.* l. 117. iterum Anno 1627.

VII. *Periculum iis imminet à Regibus* Galliæ & Hispaniæ, *& Magno Duce Hetruriæ & Sabaudo.*

De Regni Galliæ in Genuam prætensionibus dictum. Hispanus iis suspectus ob Marchionatum Finalis. Magnus Dux Hetruriæ ob urbem Serezanam & Corsicam olim Pisani Juris. Sabaudus propter Savonam.

VIII. *Student paci.*

Ab eo tempore quo à Venetis exuti fuerunt imperio maris, lucro magis & paci quam bellis & finibus promovendis dediti fuere.

IV. *Propter Finalium cum Hispano controvertunt.*

Marchionatus Finalis Anno 1558. à Genuensibus occupatus fuit Alfonso Caracto ejecto, cui ab Hispanis Anno 1571. restitutum & iterum

iterum ab iis Anno 1602. ereptum fuit. Unde crebra inter Genuenſes & Hiſpanos diſſidia.

MARCHIONATUS.

Marchionatus ſunt Brandeburg, Baden, Burgau.

BRANDENBURG.

I. *Brandenburg in Bayreuth, Anſpach & Jagerndorf dividitur.*

1. MArchiones Brandeb. obtinent *Voytlandiam & Franconiæ* quaſdam partes. Voytlandia, cujus caput eſt *Hoff*, complectitur quoque ditionem Montanam, quæ vocatur, *das Marckgrafthum aufm gebirg*, ubi ſedes Principum *Baureuth vel Culmbach*; unde etiam Marchiones de *Bayreuth vel Culmbach* appellant.

2. In *Franconia* poſſident *Onoldsbachium* cum circumvicina ditione, quæ vocatur Marchionatus *Anſpach*.

3. Marchionatus *Iagerndorf* ſitus eſt in *Sileſia* & ad Domum Brandeb. jure emptionis pervenit.

II. *Prætendunt in Kitzingam.*

Inter Marchiones *Anſpachinos* & Epiſcopos *Wurtzburgenſes* controverſia fuit de Kitzingen,

gen, quæ A. 1628. judicio Cæsaris Ferdin. *II.* cessit Episcopo.

III. Albertus *juratus hostis Noribergensium & Episcoporum Bambergensis & Wurtzburg. fuit.*

1. Est *Marchionibus* antiqua lis cum Noribergensibus de *Burggraviatis* & aliis ad jurisdictionem spectantibus; unde crebra inter eos bella exorta fuerunt, maximè sub Alberto I. Casimiro & Alberto II.

2. Hic *Albertus* II. A. 1552. grave Noribergensibus bellum intulit; deinde in alias Imperii urbes arma ac furorem convertit, imprimis Episcopatibus, maximè Bambergensi & Wurtzb. terribilis fuit: undè exortum bellum Episcopale; donec tandem proscriptus omni ditione pelleretur. *Sleidan, l.* 24. & 25. *Thuanus l.* 12.

IV. Blassenburgum funditus evertitur & instauratur.

1. In hoc bello Noribergenses & socii *Blassenburgum* munitissimam Alberti arcem, imminentem oppido *Culmbach* A. 1554. expugnarunt & funditus everterunt, magna cum offensione & detrimento Brandeburg. Domus. *Thuan*. l. 16.

2. Quapropter exstincto Alberto coacti fuere Noribergenses judicio Imper. Ferdinandi I.

di I. arcem illam suis sumptibus instaurare.

BADEN.

I. *Baden dividitur in Durlach & Baden Hachberg.*

ITa inter filios Marchionis Badens. ditiones divisæ fuerunt; Dividitur in Superiorem & Inferiorem Marchionatum; Superior vocatur à sede Principum Baden & Hachberg: inferior Durlach.

II. *Fit obnoxius Electori Palatino.*

Carolus Marchio Badensis captus à Friderico I. Victorioso Electore Palatino, eâ conditione liberatus fuit, ut imposterum Marchiones Badenses essent obnoxii Electoribus Palatinis.

III. *Ernestus Fridericus integro Marchionatu potitur.*

A. 1556. Carolus Marchio Brandeb. Religionem Protestantium suscepit. *Thuan.* l. 17. Hujusque filius fuit EduardusFortunatus natus ex Cæcilia, Gustavi Regis Sueciæ filia, qui potiùs debuit dici Infortunatus. Nam, 1. defecit à Relig. Euang. 2. Ditiones suas pessimè administravit. 3. Denique Bruxellis ebrius de scalis prolapsus cervices fregit. Hic ergo Eduardus Fortunatus cum ditiones suas pessimè admi-

administraret, Ernestus Fridericus Marchio Durlacensis eas prætextu debitorum exfolvendorum occupavit Anno 1504. Thuan. l. 109.

IV. *Eduardi Fortunati heredibus superior Marchionatus adjudicatur.*

1. Cum Eduardus Fortun. Bruxellis lapsu exstinctus fuisset *Meter.* l. 22. Cæsar Ferdin. II. A. 1622. ejus heredibus superiorem Marchionatum adjudicavit. *Meter.* l. 42.

2. Quomodo verò controversiæ inter has duas lineas Baden & Durlach tandem in pace Monaster definitæ fuerint, vid. Instr. pac. Art. IV. §. de causa Badensi.

BURGAU.

I. *Machionatus Burggraviæ datur posteris Ferdinandi.*

FErdinandus Archi-Dux Austriæ, Landgravius Alsatiæ & Comes Tirolis duxit *Philippinam* Velsenam; Patritiam Augustanam; unde ejus posteri exclusi à successione in ditiones Austriacas, facti fuere Marchiones Burgaviæ. *Thuan.* l. 112. Posteritate hujus Ferdinandi ante paucos annos exstinctâ Burgavia iterum ad Tirolenses rediit.

II. *Prætendunt in ditiones Juliaco-Clivenses.*

Carolus Marchio Burgaviæ duxit *Sibyllam* Clivensem, unde prætensio ei nata in ditiones illas, *Meter.* l. 23.

LANDGRAVIATUS.

Landgraviatus sunt Hassia & Leuchtemberg.

HASSIA.

I. Landgraviatus unicus est Hassia.

1. NAm reliqui Landgraviatus, velut *Thuringiæ*, *Alsatiæ*, *Leuchtemberg*, vel exstincti sunt, vel in alios Principatus transmutati; ita ut sola hodie *Hassia* Landgraviatum constituat.

2. *Hassia* facta est *Landgraviatus*. A. 1024. deinde pervenit ad Henricum Magnanimum Ducem Brabantiæ, cujus filii ita ditiones diviserunt, ut Henricus Mansuetus Brabantiam, Henricus puer Hassiam obtineret.

II. *Dividitur in Superiorem & Inferiorem.*

Ita Philippus ditiones suas testamento divisit.

ſit. Superior dicitur Heſſen Darmſtat, Inferior Heſſen Caſſel.

III. *Potiuntur Comitatu* Catzenellenbogen.

A. 1557. Compoſita tandem fuit diuturna illa inter *Haſſos & Naſſovios* de Comitatu Catzenellenbogen controverſia, quæ annos pene 50. duraverat; ea conditione ut abrogata Cæſaris ſententiâ, quæ Naſſoviis Anno 1548. eum adjudicaverat, Comitatus ille Landgraviorum Haſſiæ eſſet: ita ut Naſſoviis ſolverent 600000. aureorum iiſque inſuper Comitatum *Dietz* pro 150000. florenorum millibus cederent; ac nihilominus titulum Comitum *Dietz*, ſicut Naſſovii *Catzenellenbogen* & arma gentilitia uſurparent. *Thuan.* lib. 5. & 19.

IV. *Controvertunt de* Marpurg.

Inter utramque Landgraviorum Haſſię domum controverſum fuit de Marpurgo & ditionibus ad Lanum: donec tandem Cæſar *Ferdinand.* II. Anno 1622. pro Darmſtadienſi pronunciaret. Ita *Marpurgum* cum annexis ceſſit Haſſiæ ſuperiori, uſque ad pacem Monaſter. ubi *Marpurgum* Haſſo-Caſſellanis adjudicatum art. XV.

Tumultum Marpurg. ob Reformationem Religionis Anno 1605. compoſuit Landgrav. *Mauritius, Meter.* l. 27. *Thuan.* l. 133.

V. *Ab-*

V. *Abbatia* Hirsfeld; *Præfecturæ* Schaumburg, Buckeburg, Saxenhagen & Statshagen, *Hasso-Cassellanis accedunt.*

Idque factum vigore pacis Monast. A. 1648. *Instrum.* pac. art. xv.

Hirsfeld olim *Abbatia*: nunc *Principatus* nomine censetur.

VI. *Inter* Hassos *&* *Electorem* Palatinum *controversum de jure* Ecclesiastico *præfecturæ* Umstat.

Hæc controversia A. 1662. mota ac paulo post composita fuit.

LEUCHTEMBERG.

Leuchtemberg *ad* Bavaros *venit.*

ANno 1646. defecit linea Landgraviorum in *Leuchtemberg*: quem *Landgraviatum* obtinuit Dux Bavariæ eumque filio juniori *Maximiliano* Philippo assignavit.

PRINCIPATUS.

Principatus sunt in Gallia *Sedan &* *Arausio*: in Germania *Anhald*, *Nassau*, *Ostfriesland*, *Mansfeld*.

In

In Tartaria *Tzerkassia & Dagestan.* In Turcia *Transylvania, Walachia, Moldavia, Sidon.* In Persia *Georgia, Abcassia, Mengrelia.*

IN GALLIA.

SEDAN.

Sedanensis *Principatus exstinctus est.*

1. PRincipatus *Sedanensis* initio fuit in potestate Comitis *Marcæ & Arembergæ. Iohannes* supremum Dominum Sedani primus se indigitavit A. 1460.

Hujus linea masculina exstincta fuit Anno 1588. in *Wilhelmo* Roberto, qui unicam filiam reliquit.

2. Hanc duxit *Henricus* Vicecomes *Turrius*; Ex hoc conjugio factus est Dux *Bulioneus* & Princeps *Sedanensis*. Cont. *Thuan.* l. 10.

3. Hujus filius fuit *Henricus*, qui propter conspirationem cum Hispanis Principatu Sedanensi exutus à Ludovico XIII. Reg. Gall. A. 1641. postea A. 1650. duodecies centena millia librarum Turonensium pro Principatu Sedanensi compensationis loco accepit.

ARAU-

ARAUSIO five ORANGE.

I. Araufionenfis *fupremus* Principatus *factus eft.*

1. PRincipatus *Araufion.* fitus in Provinciæ Comitatu. Initio fuit penes *Baufcorum* familiam circa A. 1242. deinde aliquoties in beneficiariam fidem à Provinciæ Comitibus receptus fuit.

2 A *Baufcis* jure conjugii pervenit ad familiam *Cabillonenfem* A. 1410. ex qua *Ludovicus* XII. Anno 1499. Johannem Principem Araufionum iterum *liberum* effe juffit; fed hanc gratiam *Francifcus* I. fub Philiberto revocavit.

II. *A* Cabilloniis *pervenit ad Naffovios.*

Philibertus Cabilonius fine liberis decedens, Renatum Naffovium heredem inftituit, qui cum partes Caroli V. fequeretur, *Madritianâ* pacificatione cautum fuit, ut *Araufionenfis* Principatus fummo Imperio gauderet, atque eo titulo A. 1559 reftitutus fuit *Wilhelmo* Naffovio Principi Auriaco, à quo pervenit ad *Philippum* filium; ab hoc ad *Mauritium*, *Fridericum* Henricum, *Wilhelmum* II. & qui hodie fupereft *Wilhelmum* III.

III. *Fiunt* Gubernatores *Fœderati Belgii, &* Marchiones *Veræ.*

Cum Belgæ ab Hispanis defecissent, familiam *Arausionensem* imprimis elegerunt, cui regimen provinciarum & militiæ, terrâ marique committerent. A. 1588. *Mauritius* creatus fuit Marchio Veræ in *Walachria* Zeelandiæ. *Thuan.* l. 89.

IV. *Potiuntur Comitatu* Meursensi.

Idque ex donatione facta Mauritio ab *Æmylia* Walpurgi, Comitissa Meursæ, frustra se opponentibus Clivensibus. *Thuan.* lib. 124. & 126.

V. *Donatur titulo* Celsitudinis.

A. 1630. *Ludovicus* XIII. R. Gall. *Fridericum* Henricum Princ. Arauſ. donavit titulo *Celsitudinis* sive *Hooghey d.*

VI. Ludovicus XIV. Principatum Arausion. *occupat.*

A. 1661. Sub *Wilhelmo* III. *Ludov.* XIV. R. Gall. Principatum Arausionensem occupaverat, castellum, quod natura & arte inexpugnabile erat, funditus evertit: sed hoc anno Principatum in libertatem restituit.

IN

IN GERMANIA.

Principatus, *Anhald, Mansfeld, Henneberg, Hohenzollern, Eggenberg, Lobkowitz, Salm, Dietrichstein, Nassau, Ostfriesland.*

ANHALD.

I. Principes Anhaldini *sunt Electores* Brandeburgici & Saxoniæ.

1. ALbertus Ursus Marchiam Brandeb. à *Conrado* III. Imp. impetravit ac Anno 1142. à *Friderico* I. Imp. *Marchio* Brandeb. inauguratus fuit. Idem ex Germania inferiori, præsertim *Flandria*, *Hollandia*, *Frisia*, *Westphalia*, Colonos in *Marchiam* bellis Vandalicis exhaustam, duxit; estque hæc causa, quare circa *Witebergam*, nomina *Cameraci*, *Neomagi*, Brugarum & alibi alia reperiantur. Huic *Alberto* Urso *Saxonia & Marchia* omnem ferè humanitatem debet.

2. A. 1180. in Comitiis Wurtzburgicis, exauthorato *Henrico* Leone Duce Saxoniæ & Bavariæ, *Bernhardus* Alberti Ursi filius *Dux & Elector* Saxoniæ à *Friderico* I. pronunciatus est. Insignia sunt *trabes* auratæ & nigræ cum *serto* rutaceo, quod inde accessit cum Imperator *Bernhardi* clypeo *corollam* Ruta-

ceam capiti suo detractam injecisset. Atque hinc *Ruta* domui Saxoniæ *Sacra* habetur.

II. Anhaldini *dividuntur in* Dessau, Bernburg, Plotzgo, Zerbst, Hatzgeroda, Kothen.

Henricus I. filius Bernhardi factus fuit à Friderico II. *Comes* Anhaldinus: Ejus duo filii ditiones diviserunt in *Dessau & Bernburg:* deinde cum plures essent heredes, in alios quoque Principatus *Coethen, Zerbst,* distracta fuit Regio.

III. Amittunt *Electoratum* Brandeburgicum & Saxonicum.

Filii *Ioh.* I. Principis Anhaldini pro *Marchia* Brandeburgensi acceperunt à Friderico Burggravio Noribergensi 60000. florenos.

A *Iohanne* fratre Alberti I. Electoris Saxoniæ descendunt Duces *Lavenburgici.*

IV. *Anhaldini* Saxoni *evocationem gratificantur.*

Casus *Specialis* accidit A. 1603. quo *Henricus* Donavius & *Laurentius* Bidermannus ab Electore Saxoniæ *Christiano* II. ex Anhaldinatu evocati ad causam dicendam, & quanquam hoc *mero* imperio Anhaldini repugnarent, nihilominus *gratificandi* studio passi fuere ut accusati cum reis in Saxonis ditione committerentur. *Thuan.* l. 130.

HEN-

HENNENBERG.

I. *Comitatus* Hennenberg *fit* *Principatus.*

1. HEnnenberg Comitatus initio nomen sortitus ab arce *Hennenberg*; in divisione hujus Comitatus alii dicti fuere Domini *Hartembergici*; alii in *Aschach*. Divisi etiam fuere in duas lineas *Rombildicam & Schleusingicam*.

2. Anno 1310. *Henricus* VII. Imp. *Bertholdum* Comitem creavit Principem in Comitiis Francofurtanis. Idem factus fuit *Provisor* regni Bohemiæ. Sub hoc Bertholdo Principatus Hennebergicus magna incrementa sumpsit. *Wolfgangus* Mollerius de vita & reb. gest. *Bertold*. Hennebergici.

II. Principatus *Hennenberg* exstinguitur.

1. Anno 1583. obiit *Georgius* Ernestus ultimus Principum Hennenb. cum quo extincta fuit prosapia illorum Principum.

2. Igitur ex pacto Confraternitatis initæ Anno 1554. inter Duces *Saxoniæ & Landgravios* Hassiæ Principatum Henneb. hæreditario jure inter se diviserunt. *Thuan*. l. 29. sedes communis Regiminis est *Meununga*.

MANSFELD.

I. *Comites* Mansfeld *creantur* Principes.

ANno 1595. *Carolus* Mansfeldius, *Petri* Ernesti filius creatus fuit Princeps Mansfeldiæ. *Thuan.* l. 114. *Mansfeld* Comitatus est antiquissimus sed incertæ originis Anno 1510. *Maximil.* I. Comitibus Mansfeld. titulum *Generosorum* & Jus Rubræ ceræ, cum hactenus viridi uterentur, tribuit.

II. *Islebia* Lutherum *orbi dedit.*

Anno 1483. parentibus *Iohanne & Mar-* [illegible] in Comitatu Mansfeld.

II. Hohenzollern, Eggenberg, Lobkowitz, Salm, Diedrichstein *sunt novi Principatus.*

Hi in gratiam Cæsaris Anno 1653. Principum titulum acceperunt, non absque gravibus Ordinum Imperii contradictionibus: sunt plerique Vasalli domus Austriæ: *Hohenzollern* Comes in Suevia; *Eggenberg* Comes *Gradiskæ* in Friaul. *Lobkowitz* Comes à *Storenstein* in Bavaria.

NAS-

NASSAU.

Nassavii *omnes præter* Sarbrug *facti sunt* Principes.

Lineæ Nassavienses sunt IV. *Hademar, Sigen, Beilstein, Sarbrug*, quarum tres priores A. 1653. in Principum ordinem relatæ, quanquam testentur, se jam tempore Adolphi Imperatoris Principes fuisse, sed eo titulo non usos.

SCHAUMBURG.

Schaumburg ad Hassos pervenit.

ERnestus Comes Schaumburg. primus titulum Principis obtinuit & Academiam *Rinthelensem* condidit Anno 1623. Eo mortuo, desiit hic Principatus alioque pervenit.

OSTERIESLAND.

I. Ostfrisia fit Comitatus.

1. Circa Anno 1350. passim per *Frisiam Transamasanam* familiæ *Nobiles* caput efferre & sub præfecturarum titulo varios Principatus sive Capitaneatus exstruere cœperunt. *Vbbo*. Emmius 14. histor. Frisiac. Tales *Capitaneatus* fuêre in *Rustringia*, *Ostringia*, *Wangria*, *Ievera*, *Kniphusa*, *Inhusa*, *Broecmeria*, *Auricana*, *Maricnhava*, *Embda*, *Greetseela*, aliisque plurimis locis.

2. Cum vero cæteræ familiæ mutuis cædibus & bellis paulatim attritæ fuissent, *Vlricus* Sircsena, Dynasta in *Gretsiel & Pilsum* creatus *Comes* Ostfrisiæ sive Embdæ à Frideric. III. Anno 1454. & decennio post Anno 1464. Embdæ proclamatus.

II. Edsardus *fit Dominus* Groningæ.

A. 1506. *Edsardus* Comes Embdæ à Groninganis Dominus factus fuit contra *Georg*. Saxoniæ Ducem; sed huic suo juri postea renunciavit, illudque in *Carolum* Ducem Gelriæ transtulit.

III. Enno II. *Religionem* Protestantem *recipit.*

In Ostfrisia Anabaptistæ, quos Mennonistas vocant, magno numero consederunt; deinde *Protestantes* liberum Religionis suæ exercitium impetrarunt.

IV. *Inter Comites* Ostfrisiæ & Embdanos *controversiæ oriuntur.*

1. Sub *Edsardo* II. urbs *Embda* ex confluxu peregrinorum imprimis Anglorum & Belgarum maxima incrementa sumsit.

2. Sed postea Anno 1595. inter *Comites & Vrbem* graves controversiæ exortæ fuerunt, quibus durantibus Embdani arcem Comitis diruerunt, & præsidium Belgicum receperunt.

Thuan.

Thuan. l. 114. Hæ turbæ aliquoties compositæ imprimis tractatu *Delfzylano*, frequenter iterum exarserunt & ad nostra usque tempora continuantur.

V. Ostfrisia fit Principatus.

Anno 1650. Imp. *Ferdin.* III. *Comites* Ostfrisiæ creavit *Principes*.

VI. Prætendunt in Jeveram, Ostringiam, Rustringiam, Wangriam.

1. Anno 1527. *Anna* Dorothea, Maria, Sorores, Dominæ Jeveræ, pacta de Successione cum *Ennone* II. Comite Ostfris. iniverunt, quorum pertæsæ Anno 1532. ditiones suas Carolo V. ut Duci Burgundiæ, feudatarias fecerunt.

2. Maria sola superstes *Iohan.* XVI. Comit. Oldenb. instituit heredem; atque ita hæ ditiones à *Frisia* avulsæ Anno 1575. Comitatui *Oldenburg.* annexæ fuêre. *Hamelman.* in Chron. Oldenb.

TARTARIÆ.

Principatus sunt Tzerkassia & Dagestana.

INter Russos & Persas siti sunt duo Principatus Tzerkassia & Dagestana, quorum prior subest Russorum Tzari: alter liber adhuc &

sui juris. De utroque Principatu Olearius in Itinerario. Reliquos ut partim cognitos omittimus.

TURCICI.

Principatus sunt in Europa, *Transsylvania*, *Walachia*, *Moldavia*: in Asia, *Sidon*, *Druscorum*, Phylarchæ *Arabum*.

TRANSSYLVANIA.

I. Transsylvania *fit principatus*.

OLim erat Provincia Hungariæ, postea peculiarem Principatum, sub *clienielâ* Tureæ constituere cœpit. Primus Transsylvaniæ *Princeps* fuit *Stephanus* Bathori, qui Poloniæ Rex creatus, successorem habuit fratrem *Christophorum*; hic *Sigismundum*: inde alii successerunt.

II. Cæsarem *bello invadunt*.

Primus Cæsari bellum intulit *Stephanus* Botzkai A. 1606. deinde *Betlen* Gabor Anno 1620. denique *Georg*. Ragotzy A. 1646.

III. Ragotzii *evertuntur*.

A. 1658. Causa fuit bellum Sueco-Polonicum,

cum, cui se temere & improvidè immiscuerat *Georgius* Ragotzy II. unde cæsus à Polonis, & à Turcis principatu pulsus fuit. Ei post varias mutationes successit *Iohannes* Kemeny: huic *Michael* Abaffi, qui hodieque Principatum obtinet.

WALACHIA.

Walachia *in Turcarum potestatem venit.*

ANno 1455. De ejus statu & rebellione *Ivoniæ*, vide *Thuan.* lib. 28. 58. 69. Walachiæ & Moldaviæ principatus inter Turcas, Tartaros, Polonos, ambigue fortuna perpetuo jactantur.

IN ASIA.

Sidon *&* Drusci *sunt.*

POstquam *Selimus* I. Imperium Mamalucorum Cercassorum in *Ægipto & Syriâ* evertit circa A. 1517. plures *Arabum* tribus, hæreditariis Subjectæ principum familiis, quæ tributum modicum solvebant hactenus, idem ab Ottomannicâ domo impetrarunt privilegium, ut exemti titulo à *Bassarum* præfecturis, reipsa servirent.

SIDON.

Fachreddinus *Phœnicen & Galileam tenet.*

OMnium ſub *Ottomannico* Imperio Principum potentia & authoritate primus cenſetur *Fachreddinus*, quem alii communi nomini *Emirum* Saidæ vel Principem Sidonis vocant: cujus familia longo ordine per *Phœnicen* & *Galileam* dominationem exercuit. *Ditio* ejus complectebatur *Galileam & Phœnicen*, cum oppidis *Barut*, *Saida*, *Sour*, Sancti Johannis *Dacre* (Ptolemaide) de hoc principatu illuſtri vide le *Voyage* de Levant à Paris 1632.

DRUST.

Druſi à *Turcis debellantur.*

DE principatu *Druſorum* in Syriâ ad montem Libanum ejuſque expugnatione *Thuan*. l. 84. & *Rauwolf* in Itin.

OLDENBURG.

I. *Comitatum* Oldenburg *inſtauravit* Huno *Glorioſus.*

1. HVno Glorioſus Comitatum Oldenburgicum ab Adelberto Epiſcopo Bremenſi, ſub *Henrico* IV in Comitiis *Goſlarienſibus*, virtute *Friderici* filii ſui recuperavit.

2. Ejus

2. Ejus familiâ extinctâ, Comitatus pervenit ad lineam *Potenbergicam.*

II *Dividitur in* Oldenburg & Delmenhorst.

1. Duo filii *Mauritii* diviserunt Comitatum; ac *Otto* A. 1247. arcem *Delmenhorst* extruxit, unde Comitatus ille nomen accepit. *Otto* III. Ann. 1360. cum Conrado I. Comit. Oldenb. fœdus iniit de Comitatibus *Oldenburg & Delmenhorst* non abalienandis, sed in familia conservandis. *Hamelman.* parte 2. Chron. Oldenb. cap. XI. Sed *Otto* V. Comitatum *Delmenhorst* Ecclesię *Bremensi* feudarium fecit, & certis conditionibus adjecit. Id. cap. 16. Quod feudum nuperâ pace Dano-Suecicâ abolitum fuit.

III. Delmenhorst *pervenit ad Episcopatum* Bremensem.

Nicolaus Comes Delmenhorst. Ann. 1421. electus Archi-Episcopus Bremensis, Comitatum *Delmenhorst* ex pacto Ecclesiæ Bremensi adjecit, sed mox *Diderico* Comiti Oldenburgico restituit. *Hamelm.* part. 2. c. 18.

IV. *Comites* Oldenburgenses *fiunt* Reges *Daniæ*, *Seciæ*, *Norwegiæ*, *&* Duces *Holsatiæ ac Slecvici.*

Anno 1448. *Christianus* V. Dives electus est Rex

Rex *Daniæ, Sueciæ, Norwegiæ* factusque Dux *Slefwici & Holsatiæ:* Unde fratri suo *Gerhardo* Animoso Comitatum *Oldenburg & Delmenhorst* dedit, qui etiam acceptis 40000. florenis juri suo in *Slefwick & Holstein* cessit.

V. Delmenhorst *ad Episcopatum* Monaster. *pervenit.*

A. 1482. *Henricus* Episcopus Monasteriensis & Administrator Bremensis, *Delmenhorstum* sibi subjecit. *Hamelm.* part. 3. c. 7. Sed hunc Comitatum A. 1547. recuperavit *Antonius.*

VI. Stadlandia, Butjada, Jevera, Ostria, Rustria, Wangria *Comitatui* Oldenb. *accedunt.*

1. *Iohannes* IV. *Stadlandiam & Butjadam* parte ejus emta ab Henrico Duce Brunswicensi. Anno 1523. Comitat. Oldenburgico adjecit.

2. Cum A. 1575. Maria Princeps *Ieveræ, Ostriæ, Rustriæ, Wangriæ,* obiisset, *Iohannes* VI. testamento hæres scriptus, eas ditiones obtinuit, frustra se opponente *Edsardo* Ostfrisiæ Comite.

VII. *Obtinent telonium* Visurgis *contra* Bremenses.

Antiqua inter *Oldenburgicos & Bremenses* lis

lis de telonio *Visurgis* fuit, donec tandem Cæsar *Ferdinandus* III. cum consensu *Electorum*, sententiam pro *Antonio* Gunthero Com. Oldenb. contra *Bremenses* pronunciaret, eique jus telonii in Visurgi adjudicaret. Hujus telonii in quemcunque vellet donatione & testamento transferendi jus A. 1662. à Cæsare *Leopoldo* obtinuit Comes Oldenburg.

VIII. *Comitatus* Oldenburg *ad Regem* Daniæ *& Duces* Holsatiæ *spectat*.

Ultimus familiæ suæ est *Antonius* Guntherus qui cum careat prole legitimâ jamque decrepitus sit; eo defungente Comitatus *Oldenburg* ad Regem Daniæ & Holsatiæ Duces tanquam proximos agnatos, spectat. *Delmenhorstum* legavit filio suo naturali.

IX. *Famosum est* Cornu *Oldenburgense*.

Hoc *Cornu* videtur esse ex ære *Corinthio*, quia potus per noctem infusus inde contrahit nauseam. Quomodo autem sub *Ottone* I. pervenit ad familiam Comitum Oldenburgensium, vide vel *historiam* vel *fabulam* apud *Hamelman*. part. 1. *Chron*. Oldenb. cap. 10.

CI-

CIVITATES.

Civitates sunt vel *Germanicæ* vel *Italicæ*.

GERMANICÆ.

Germanicæ *sunt vel* Hanseaticæ, *vel* Rhenenses, *vel* Suevicæ.

Civitates Germanicæ considerantur vel ut Fœderatæ, vel ut *Imperiales*. Si ut Fœderatæ, vocantur *Hanseaticæ* & tum non omnes, verum inferioris Germaniæ Civitates eo nomine continentur. Si ut *Imperiales*, tunc omnes etiam illæ quæ Hanseaticæ vocantur intelligi debent; atque hoc respectu in Comitiis Imperii dividuntur in duas Classes *Rhenensem & Suevicum*, etiamsi multæ extra circulum Rhenensem & Suevicum sint sitæ.

Rhenenses *sunt* XXXIV.

Ex quibus præcipuæ Aquisgranum, *Colonia*, *Francofurtum*, *Hamburgum*, *Lubeca*, *Argentoratum*, *Spira*.

1. Reliquas omittimus tanquam minores, quales sunt *Colmar*, *Dortmund*, *Goslar*, *Gottingen*, *Hagenau*, *Landau*, *Mulhausen*, *Sletstat*.

2. Sub

2. Sub nomine Civitatum *Rhenensium* continentur non tantum illæ quæ ad Circulum *Rheni* spectant, verum insuper *Saxonicæ & Vandalicæ*.

Suevicæ *sunt* XXXIX.

Præcipuæ Noriberga, Ratispona, Ulma, Augspurg, Hall, Nortlingen.

Ad Civitates *Suevicas* referuntur etiam *Franconicæ & Bavaricæ*.

CIVITATES HANSEATICÆ.

I. Hansa *Teutonica complectitur* Civitates *Fœderatas* LXXII.

ORigo civitatum Hanseaticarum perantiqua sed incerti ævi est. Cœperunt primò circa A. 1200. inclarescere. Numerantur communiter LXXII. sed numerus non adeo certus est, interdum enim plures, interdum pauciores in censum veniunt. Suntque Vandalicæ VI. *Lubeck, Hamburg, Rostock, Wismar, Stralsund, Lunenburg*. Pomeranæ VIII. *Stettin, Anclam, Gelnow, Gripswald, Colberg, Stargard, Stolpe, Rugewald*. Prussiacæ VI. *Colm, Thorn, Elbing, Dantzig, Coningsberg, Braunsberg*. Saxonicæ XIII. *Magdeburg, Braunsweig, Goslar, Einbeck, Gottingen,*

gen, Hildeshein, Hannover, Vlsen, Buxtehude, Staden, Bremen, Hamel, Minden. Westphalicæ X. *Munster, Osnabrug, Dortmund, Sost, Hervorden, Paterborn, Lemgo, Bileveld, Stippe, Rasveld.* Clivenses & Markenses VII. *Coln, Wesel, Duysburg, Emmeric, Warburg, Vnna, Hamm.* Geldricæ VII. *Nimmegen, Zutphen, Rurmünd, Arnheim, Venlo, Elburg, Harderwick.* Transisulanæ III. *Deventer, Campen, Zwol.* Frisiacæ III. *Groningen, Stavern, Bolswert,* suntque præterea adhuc XIV. civitates dubii juris.

II. *Dividuntur in* IV. *Societates*; Lubecensem, Coloniensem, Brunsvicensem & Dantiscanam, *quarum omnium caput Lubeca est.*

Omnes Hanseaticæ civitates comprehenduntur sub 4. civitatibus, *Lubeca, Brunswig, Dantzig, Coln. Lubeca* est primaria omnium reliquarum & complectitur sub se civitates *Vandalicas & Pomeranas. Colonia* complectitur *Clivenses, Markenses & Geldricas; Brunswiga* Saxonicas: *Dantiscum* Prussicas & & Livonicas.

III. Emporia IV. *& magna* privilegia *habuerunt.*

Emporia illa fuerunt *Londinum* Angliæ,

Brugæ

Brugæ Flandriæ (postea *Antwerpia* Brabantiæ) *Bergæ* Norwegiæ, & *Novigrad* Russiæ: unde primò *Revaliam*, mox *Narvam*, translata sedes mercaturæ; Sed hæc antiquis temporibus: nam postea variis casibus omnia hæc mutata, abolita & deperdita fuerunt invidiâ Regum & Principum erga mercatores.

IV. Privilegia *sua amittunt in Anglia & Norwegia.*

1. De controversiâ inter *Hanseaticas* Civitates & *Anglos* tempore *Elisabethæ* An. 1597. vide *Meteran. l.* 19. & *Thuan. privilegium* præcipuum erat, quod non penderent, nisi *centesimam* & ejus dodrantem pro Vectigali, quod ab eo tempore amissum, nunquam recuperare potuerunt.

2. Idem ipsis in *Norwegiâ* Bergis accidit sub *Frid.* II. ubi Nobilitas Daniæ privilegia Hanseatica ad se traxit; Ita ut hodie *Hansa* Teutonica sit corpus sine nervis, & singulæ civitates, ut possunt, sibi prospiciant.

V. Protectorem *volunt eligere.*

Primus Hansæ *Protector* fuit *Magister*. Ord. Teuton. in Prussiâ *Albertus* Brandeburgicus. Sed eo ad Polonos desciscente, desiit *Protectoratus*, frustra eum ambientibus Regibus *Sueciæ*, *Daniæ*, *Hispaniæ* aliisque.

VI. Fæ-

VI. Fœdus *ineunt cum Ordinibus Belgarum.*

Anno 1616. Civitates *Hanseat*. fœdus inierunt cum Ordinibus Belg. fœd. quanquam *Cæsar & Saxo* acriter se opponerent. Proportionem contributionum vide apud *Meter*.l.36. Et hoc fœdus non tam ad *mercaturam*, quam ad mutuam libertatis *defensionem* spectabat; quemadmodum ejus vigore Ordines Belgii civitatem *Brunswigam* obsidione liberarunt.

LUBECA.

I. Lubeca *est caput* Hansæ *Teutonicæ.*

INitio subfuit *Holsatis*; inde pervenit in potestatem *Henrici* Leonis Saxoniæ & Bavariæ Ducis; mox ad *Danos* & tandem sub *Frider*.II. ad Imperium.

II. Seditionibus *agitatur.*

Prima seditio plebis adversus Magistratum fuit Anno 1308. Inde crebræ successerunt.

III. Hamburgum *ab* Holsatis *liberatur.*

Holsatiæ Comites tanquam Stormariæ Domini Hamburgum initio habuere; postea argento libertatem redemere, eamque *Adolph*. IV. Comes Holsatiæ ratam habuit.

Reges

Reges Daniæ *in* Hamburgum *prætendunt.*

Cum vero Duces Holſatiæ regnum Daniæ obtinuiſſent, Vetus in Hamburgum Jus repetierunt, nunc bello, nunc tranſactionibus.

Brunſviga *à Ducibus* Brunſvicenſibus *divexatur.*

1. Mortuo Anno 1229. *Henrico* Electore Palatino & Domino Brunſvicenſi, *Brunſviga* pervenit ad *Ottonem* Ducem Brunſvicenſem.

2. Anno 1492. Ingens diſſidium exortum inter *Civitatem & Henricum* Ducem, ob bona quæ in agris poſſidebat civitas & vectigalia ac onera publica. Anno 1542. 1550. 1553. iterum obſeſſa fuit ab *Henrico* Juniore Duce, & denique Anno 1615. ab *Henrico* Julio acerrimè, ſed auxiliis fœderati Belgii liberata & tum certis conditionibus *homagium* præſtitit.

Aquiſgranum *privilegiis exuitur.*

Magnis motibus obnoxia fuit partim propter bellum *Belgicum*, partim propter *Religionem & privilegia*, quos motus ab origine exponit *Thuan.* lib. 133. Unde *privilegiis* exuta Anno 1589. & deinde, quanquam provocaret ad privilegia *vicariatus* Palatini A. 1614. à *Spinola* capta fuit cum Rex Hiſpan. tanquam Dux Brabantiæ Advocatiam prætenderet. *Me-*

ter-

ter. lib. 15. 26. 32. 34.

Ejus Advocatus *est Dux* Juliæ.

Quamvis hunc Protectoratum Rex *Hisp.* tanquam Dux Brabantiæ prætendat.

Consumitur incendio.

Anno 1657. Urbs *Aquisgranum* miserabili incendio tota consumpta fuit.

Francofurtum *est locus* Cęsarum *eligendorum.*

Idque duravit ab *Arnulpho* & in A. Bulla confirmatum fuit, ut si duo Cæsares eligantur apud Francofurtū teneantur pręlio decernere; Victor in urbem recipitur & Cæsar salutatur; Posterioribus tamen temporibus Electio Cæsarum etiam *Ratisbonæ* fieri cœpit.

Francofurti *tumultus à* Fettmitlch *excitatur.*

Anno 1614. vide *Meter.* lib. 34. Causa fuerunt Judæi, qui nimia usura populum premebant.

Colonia *fit Juris Germanici.*

Anno 949. *Otto* Coloniam Agripp. Galliæ ereptam Imperio Germ. adjecit. Estque primaria Imperialis civitas, ac in Comitiis inter Civitates primum suffragium fert. *Thuanus* lib 76.

Est

Est secunda ex Hanseaticis.

Anno 1481. Colonia accessit fœderi Hanseatico & secundum locum inter primarias IV. obtinuit: ei subsunt Civitates Clivenses, Markanæ & Geldricæ.

Archi-Episcopus *prætendit in* Coloniam.

Vid. supra in Archiep. Col. *Colonienses* armis libertatem vindicarunt contra Episcopos; ita ut Episcopo non liceat ultra *biduum* in urbe commorari.

Tremonia *ex* Comitatu *fit libera.*

Tremonia vulgo Dortmund Anno 1504. à Maximil. I. libertatem obtinuit & ex Comitatensi facta est libera *Civitas* Imperii.

NORIBERGA.

Noriberga *Burggraviatum à* Brandeburgiis *redimit.*

Vid. supra Elect. & Marchiones Brandeburg.

A Palatinis *multa* oppida *emunt.*

Noribergenses territorium suum ampliarunt in bello *Bavarico* Anno 1504. occupatis multis in *Palatinatu* superiori oppidis & arcibus. Cumque ea *Palatini* Principes repeterent, tandem

tandem Anno 1522 pro summa *pecunia* ea emerunt, de quo vide *Hubertum* Leodium in vita Frid. II. Com. Pal. Sed contra hanc emptionem cæteri Comites Palatini semper protestati fuerunt.

Aristocraticè *reguntur*.

Sunt apud eos familiæ XXVII. *Patritiæ*, ex quibus *supremi* Magistratus, *exclusis* reliquis, eliguntur.

AUGUSTA VINDELICORUM.

Confessioni *Augustanæ* nomen *dedit*.

ANno 1530. exhibita fuit *Augustæ* Vindel. *Carolo* V. *Confessio* fidei, quæ exinde dicta fuit *Confessio* Augustana, quam hodie dividunt in *Variatam & Invariatam*.

ITALIÆ.

LUCCA.

Lucca *est sub* clientela *Hispani*.

LVcensis Resp. Cæsarem agnoscit, sed quia ab eo parum præsidii exspectare possunt, in *clientela* Hispani acquiescunt. Initio hæc *Civitas* sub variis *tyrannis* jactata fuit. Ex quibus præcipui fuerunt *Castruccius*, cujus vitam scripsit Nic. *Machiavellus* & A. 1400. Paulus *Guinisius*, quo in carcere exstincto A. 1430. civitas

civitas libertatem recuperavit, eamque *sola* hodie incorruptam per Italiam tuetur.

Metuunt *Magnum Ducem* Hetruriæ.

Magnus D. Hetr. *Ius* sibi vendicat in *Luccam*, eo quod olim Reip. Pisanę subjecta fuerit. Sola ergo per totam Italiam superest hæc *Civitas* libera, reliquis omnibus in Principum potestatem redactis, & libertatem suam, non propriâ potentiâ, sed vicinorum æmulatione defendit, ita tamen ut in perpetuo metu versetur, ne *Magnus* Dux vetera sua jura repetat.

NOBILITAS.

I. Nobilitas *Germanica dividitur in* Suevicam, Franconicam & Rhenensem.

PEr *Nobilitatem* intelligitur *liber* & ab omni *Principum Civitatumque* dominio exemptus, solique *Imperio* subjectus *Ordo* Equestris, qui in sibi subjectos *merum* Imperium habent. Dividuntur in tres Classes, *Suevicam, Franconicam & Rhenensem*. Olim erant quatuor eorum Ordines, *Suevicus, Franconicus; Bavaricus & Rhenensis*; sed *Bavarica* Nobilitas hodie Principibus & Civitatibus subjecta est.

II. Principibus & Civitatibus *bellum movent.*

Primum bellum Nobilium contra Principes excitatum fuit à *Francisco* à Sickingem Anno 1521. de quo videatur *Sleidan. Secundum* à *Wilhelmo* Gumbach A. 1567. de quo supra in Ducibus Vinariensibus.

BELLI GERMANICI ORIGO,

Progressus atque exitus.

I.

BElli *Germanici*, quod atrocissimum nostra ætate accidit, miseranda omnes vidimus ac cognovimus mala, clades gentium, urbium ac oppidorum excidia, barbariem Christiano nomine indignam. Solæ ejus causæ tanquam pestilentissimi morbi in occulto abduntur. Quę palam partes pro veris causis diverso studio jactant, nonnisi initia atque occasiones fuerunt. *Romano*-Catholici hæresin, Protestantes *persecutionem*, utrique in adversario suo *ambitionem* ac rerum novarum studium accusant. Extant Apologiæ, criminationes, accusationes, sed ex quibus certi nihil statuere possis. Ut ergo in

go in totius tragœdiæ originem paulò altiùs penetremus, id præmittendum secernendam esse à veris causis *religionem*, quæ non nisi accessio ac consequens fuit. Ut verbo complectamur omnia, controversum fuit de *Monarchia* Hispanica. Nam ab eo tempore, quo *Hispani* cum *Austriacis* caput supra omnes reges & Principes efferre, eosque tanquam inferiores & in minori potentia despicere cœperunt: Illi junctis viribus crescenti dominationi sese opposuerunt, Principe factionis Rege *Galliarum*. Ita circa Annum 1519. tota Europa in duas factiones *Hispanicam & Contra*-Hispanicam divisa fuit. Initio ipsi *Pontifices* Romani, ac potior *Cleri* pars, *contra*-Hispani fuerunt, quod bella inter Carolum V. & Clementem VII. Pontificem, inter *Philippum* II. & *Paulum* III. declarant. Sed cum interea accessisset dissidium in *Religione*, & Principes *Protestantes* Contra-Hispanorum partibus sese adjunxissent, *Pontifices* Clerusque Romanus, metuens exterminationem potentiæ suæ per hæreticos, ut loquuntur, Hispanis sese adjungere, ac ex causa *Politica* negocium *Religionis* facere cœperunt. Primum belli Germanici. Successerunt longæ induciæ ab Anno 1560. ad 1612. cum Rex Hispaniæ bellis Gallicis, Anglicis & Belgicis impeditus, Imperatores verò German. pacifici atque alieni à violentis illis consiliis essent; quas præterea Turcica bella omni

M 2 illo

illo tempore, ne ſe commovere poſſent, diſtinebant.

II. Hunc *Europæ* ſtatum immutaverunt induciæ *Belgicæ*, quæ Anno 1609. in 12. annos pactæ. Ita univerſali per Europam pace, duæ hæ factiones quaſi per otium, altera in alterius exitium, conſultare cœperunt. Id præcipue agebatur qua ratione ſucceſſio *hereditaria* domus Auſtriacæ in imperio vel *impediri* vel promoveri poſſet. Præcipuus author fuit *Henricus* IV. Gall. Rex, qui ingentes animo complexus fuerat deſtinationes, ac jam fœdus iniverat cum omnibus per Europam Proteſtantibus pro moderandâ domus Auſtriacæ ambitione. Tantas ſpes repente parricidialis *Ravaillaci* culter abrupit Anno 1610. 14 Maji. Hoc capite ablato ceſſavit quidem præcipuum illud negocium, nihilominus tamen ex eo natum fuit bellum *Iuliacum*, quod in ſpecie pro ſucceſſione in *Ducatum* Cliviæ, Juliaci, ac Montium gerebatur, reipſa autem initium erat feralis illius congreſſus *Hiſpanorum* & *contra*-Hiſpanorum, & totius *tragœdiæ* primus quaſi actus. Ita A. 1610. *Hiſpanienſes* Wurtzburgi, *contra*-Hiſpanienſes Halæ Suevorum fœdera ſua confirmarunt: Illi ſub *Ligæ*, hi ſub *Vnionis* nomine, ac eodem tempore incendium in *Alſatia* erupit, iiſdem planè cauſis ac partium ſtudiis *Hiſpanienſes* erant, præter ipſum Regem Hiſpan. *Pontifex* Romanus, omnes

R. Ca-

R. Catholici *Iesuitisati*, Domus *Austriaca*, Dux *Bavariæ* & alii quidam Minores: ac Dux quidem *Bavariæ* non ullo erga Domum Austriacam singulari affectu, sed propter varia commoda, & quia Elector *Palatinus* ab altera parte erat, *Hispaniensibus* se conjunxit. *Contra*-Hispanienses, Regnum *Galliæ*, *Angliæ*, *Daniæ*, *Sueciæ*, Ordines *Belgii*, *Helvetii*, *Veneti*, ac multi Italiæ Principes, tum omnes per Germaniam *Protestantes*, Princeps Transsylvaniæ ac ipse Turcarum Imperator.

III. Ita cum utriusque factionis adulta esset potentia, & pares viribus, pares etiam spe successuum essent, cum amplius jure & legibus disceptari inter æquales non posset, res commissa armis ac bello fuit, eumque infensarum partium fervorem multum auxit ac maturavit declinans *Rudolphi* II. ætas, ac imperii neglectus; unde contemni à suis, ac à proprio fratre *Matthiâ* vivus vidensque spoliari regno *Bohemiæ & Hungariæ*, ac in Ordinem redigi: sperni quoque ab Ordinib. imperii cœpit. Cum eo Anno 1612. decimo Jan. *Pax* obiit ac sepulta fuit. Nam quamprimum *Matthias* frater ejus successit, invalidus corpore pariter & animo, totus ab arbitrio Hispanorum pendens, bellum hactenus utcunque pressum erumpere, ac perpetua motuum successione totam corripere Europam. Initium à *Bohemis* factum. Cum enim Domus *Austriaca* in tri-

bus tantum consisteret, *Matthia* ac *Leopoldo*, quibus nulla prolis supererat spes, ac *Ferdinando*: Satagere Hispani, qua ratione *Bohemiam*, regnum, ut vulgo credebatur, electivum, hereditario jure posset transferri, extinctis *Austriacis*, ad Reges Hispaniæ, ac jam scriptæ in eam rem fuerunt tabulæ solemnes. Nihil sperari poterat de Bohemorum consensu, qui non dissimulabant sese talem electuros regem, quem statui suo convenientissimum putarent. Unicum ergo huic exequendo consilio restabat remedium, ut nimirum quocunque prætextu commoto bello Bohemia in hereditariæ provinciæ formam redigeretur. Prætextus haud diu quærendi, divisa religionum studiis Bohemia. Igitur cum Prælatorum quidam destruxisset templum Protestantium tanquam illegitime structum, disceptare inter se partes: ac cum Imperator itemque Rex *Matthias* propter infirmitatem ab utrisque contemneretur, rem ad arma deducere, & vulgares titulos, *religionem* ac *libertatem* bello prætexere: & aucta fuerunt partium odia, cum *Ferdinand*. II. Anno 1617. Bohemiæ Rex plurium suffragiis creatus esset. Unde aucti Hispaniensibus animi, ac Ordines sub *utraque* & sub *una* apertè collidi, præsertim cum *Ferdinand*. II. literas *Majestatis*, quibus privilegia sub *Vtraque* continebantur, confirmare detrectaret.

IV. Ita Anno 1618. 13. Maji Gulielmus *Slaba-*

Slabada, Jaroslaus *Bacita* sive *Smirtsanski* & Secretarius *Philippus* Fabricius, proditores declarati, ac statim per fenestras ex curiâ præcipitati; & illico *Directores* creati, Jesuitæ proscripti, ac omnibus, qui literis *majestatis* adversarentur, bellum indictum. Inter hos motus *Matthias* 10. Martii 1619. moritur. In ejus locum 18. Augusti, nequidquam contradicentibus Bohemis, Imperator electus *Ferdinand*. II. cui etiam posteridie regnum abrogarunt, ac domum *Austriacam* in perpetuum ab eo excluserunt. Cum aliquandiu frustra disceptatum fuisset de novo Rege creando tandem *Fridericus* V. Elector Palatinus 26. August. Rex Bohemiæ creatur, ac 4. Novemb. Pragæ solemniter coronatur. Ita implacabili odio pugnatum, & Austriaca Domus in summas conjecta fuit repente angustias ac extremam desperationem, cum undique ingentibus oppugnaretur exercitibus. Mense Novembri *Correspondentes* (ita enim vocabantur, qui Friderico favebant) Norimb. *Ligistæ* sive *Austriaci* Herbipoli conventus habuerunt, ac ibi de ratione continuandi belli ab utrisque actum. Unicum jam momentum erat in Rege Galliæ, ut cujus ille accederet partibus, illius fortunam superiorem fore haud dubitaretur. Ad eum ergo certatim missæ legationes à *Ferdinando* & Frederico. Cæterum is medium sese gerere; magis invidia erga crescentem Fri-

derici Angl. domui innexi potentiam, quam ullo erga domum Austriacam studio. Interea *Spinola* cum Hispanicis turmis ex Belgio in Palatinatum irrupit, contra quem Ordines Belgii *Fridericum* Henricum Auriacum miserunt. Ab alia parte Elector Saxoniæ Silesiam, Lusatiamque; Bavariæ Dux Austriam, Bohemiam ac Palatinatum superiorem aggressi; donec tandem omnes exercitus ad *Pragam* in albo Monte convenirent, ubi 8. Novemb. 1620. commissum fuit atrox illud & fatale rebus Bohemorum prælium, quo uno totius belli fortuna sese circumegit, ac pro Ferdinando sententiam dixit. Fugatus *Fridericus* exulem ab eâ die vitam egit: Bohemi omnesque eorum partium Cæsari cum jacturâ & religionis & libertatis suæ sese in perpetuum submiserunt.

V. Anno 1621. 11. Jul. *executio* Pragensis cœpit, ac 27. nobilissimi Viri capitis supplicio jussu Cæsaris affecti. Hos inter præcipui Comes *Slickius*, Wenceslaus Baro à *Budowitz*. Reliquiæ Bohemici belli hinc inde superiori semper Ferdinandi fortuna protractæ, acri ad omnia, non Marte minus quàm arte, *Mansfeldio*, quo infensiorem hostem Domus Austriaca non habuit, & quem Germaniæ *Hannibalem* dicere possis: Sed desertus ab amicis *Fridericus*, proditus à suis, quid mirum, quod primo *Superatus* prælio toto bello succubuerit? Igitur 6. Septemb. 1622. *Heidelberga* imma-

immani barbarie à Tillio per vim expugnata, ac insignis illa *Bibliotheca*, cui parem tota Europa non habuit, monumentum victoriæ Romam translata. 24. Octob. secuta *Manhemii* deditio. Solum jam restabat *Francodalium* sedes belli, & fortior urbs, quam ut per vim expugnari posset. Eâ quoque ut potirentur Hispani, pacis Friderico spem fecerunt, promittentes se in gratiam *Iacobi* Britann. Regis omnia facturos. Ipse *Iacobus* bellandi rudis ac infelix pacis amator, cum terrore armorum suorum quasvis ab Hispano extorquere potuisset conditiones, ac sola interclusa in *Flandriam* navigatione, res eorum in apertum discrimen conjicere, quanquam innumera perfidiæ Hispan. haberet argumenta, sese tamen & generum suum decipi cum stupore totius Europæ passus fuit. Ita *Franckodalium* 9. Martii 1623. Hispanis traditum, tanquam fidei commissum quovis tempore Anglis restituendum.

VI. *Fridericus* vanis promissis omnibus exutus ditionibus ac copiis nequidquam ab eo tempore sive fidem soceri ac adfinis Anglorum Regum imploravit, seu amissa recuperare armis tentavit. Desertus ab omnibus infelix Princeps documentum mortalibus præbuit, magna negocia facilius incipi quam terminari: ac *consanguineos, fœderatos, socios*, inania nomina esse, nisi propriis quis instructus viri-

bus per se stare vel resurgere possit. Non tamen bellum in Germania cum Friderico finitum, ut satis liqueat eum solam atque unicam causam non fuisse. Est enim vulgi hæc atrox ac iniqua calumnia, qua omnium malorum causa perhibetur fuisse *Fridericus*, qui tamen nec primus bellum suscepit, nec ultimus terminavit. Sed quamdiu supererat *Mansfeldius* pacem Cæsar habere non potuit. Is à Friderico exauctoratus, privatum bellum Cæsari intulit, subministrantibus clam auxilia, quicunque Hispanis infensi erant. Igitur mense Jan. Anno 1623. in *Frisiam* Orientalem irrupit, ac ei se *Christianus* Dux Brunsvicensis vulgò *den dollen Hartogh*, magno cum exercitu adjunxit. His duobus accessit *Gabriel* Bethlem Trans-Sylvaniæ potentissimus Princeps, quos simul conjunctos *flagella* Domus Austriacæ & totidem *Attilas* dicere posses. Hi prætextum armorum suorum *Friderici* restitutionem habebant, cum interea *Iacobus* in Britannia speraret sese conjugio filii sui *Caroli* cum *Infanta* Hispan. totum hoc bellum componere posse. Quàm vero indigne cum illo suo conjugio habitus fuerit *Iacobus*, nisi recens adhuc memoria esset, vix fidem apud posteros reperiret.

VII. Jam totius Europæ intererat, ut crescenti Austriacorum potentiæ junctis viribus omnes obviam irent. Ergo *Mansfeldius* Anno 1624. ingens fœdus contra eos conflavit. Quippe *Vr-*

pe *Vrbanus* VIII. Pontifex, Reges *Galliæ*, *Angliæ*, *Daniæ*, *Sueciæ*, Resp. *Veneta*, Ordines *Belgii*, Dux *Sabaudiæ*, *Brunſvicenſis*, ac alii multi ſimul conſpirarunt. Creatus contra Cæſarem ſummus exercituum Imperator *Chriſtianus* IV. Rex Daniæ, miles ac pecunia à fœderatis collatus. Occaſio belli erat liberatio circuli *Saxonici* à milite Cæſareo, & cum *Chriſtianus* Rex exercitum ſuum ad Viſurgim deduxiſſet, profeſſus fuit nihil ſe adverſus Cæſarem moliri, ſed libertatem *Saxonicam* velle defendere. Hoc bellum *Saxonicum* appellatur, quod omnes ad *Albim*, *Viſurgim*, & Mare *Balthicum* provincias miſerrimè adflixit. Menſe Octobri 1624. fœdus inter *Angliæ*, *Daniæ* & *Sueciæ* Reges ac *Ordines* Confederati Belgii in 15. annos pro gerendo contra Hiſpanum bello renovatum. Totus Annus 1626. inter mutuas clades extractus, ac denuo *Gabriel* Bethlem à *Mansfeldio* excitatus, arma in Cæſarem induit, ac ruſtici in Auſtria ſupra *Oenum* graviſſimum Cæſari bellum intulerunt, cui occaſionem præbuit *Adamus* Comes Herberſteinius, cum ruſticos juberet aut *Ieſuitam* aut *Carnificem* eligere. Eodem anno duo implacabiles Cæſaris hoſtes *Chriſtianus* Dux Brunſvicenſis & *Erneſtus* Comes Mansfeld. uterque veneno ut ferunt, ſublati ſunt, eoſque mox ſecutus Joh. *Erneſtus* Dux Wimarienſis, quæ mortes incredibile dictu quàm exhilararint

factionem Hispanicam. Interea Rex Daniæ desertus à Sociis & Confederatis suis in majores à Cæsareanis angustias fuit redactus, ita ut Anno 1627. & 28. universam *Stormariam*, *Holsatiam*, ac *Slesvikiam* paucis exceptis, amitteret. Jamque Cæsar cunctis ad mare *Balthicum* provinciis ac universâ Saxoniâ potiebatur eratque miserrimus *Protestantium* status, neque spes ulterior. Quippe eodem tempore in Galliâ eruperat bellum *Rupellense*: ac commissi inter se Reges *Angliæ* & *Galliæ*, cum nullas Regi Daniæ suppetias ferrent, communem causam deseruerunt. Neque ullum in Rege Sueciæ præsidium, qui acerrimo contra Polonos bello implicabatur. Actum videbatur de ipsâ *Daniâ*, cum repente fortuna mutare, ac florentissimas *Austriacorum* res in novas conjicere difficultates cœpit.

VIII. Quippe Rex Galliæ, confecto Rupellensi bello, totis jam viribus accingebatur, ad liberandam Germaniam. Occasionem bello præbebat controversia *Mantuana*. Nam extincto Duce Mantuæ, provincia illa ad Carolum Ducem Nivernensem hereditario jure devolvebatur. Huic, quod natione *Gallus* esset, sese opponere Hispani, eumque per summam injuriam Italiâ excludere. Cæsar Ducatum illum tanquam feudum imperii ad se relapsum dicebat. Rex Galliæ videns Vasallum suum per manifestam Tyrannidem opprimi, defen-

tionem ejus palam suscepit, ac statim per Alpes in Italiam Cardinalis *Richelius* penetravit: fusi Hispani, *Spinola* obsidione Casalis depulsus. Ergo Cæsar, cum jam debellare Regem *Daniæ* posset, tumultuariam pacem cum eo mense Majo Anno 1629. confecit, ac cuncta quæ ipsi ademerat, restituit, eo tantum fine, ut traducere in Italiam copias, ac ibi contra Gallos bellum gerere posset. Quod consilium haud dubiè salutare fuit German. & Austriacæ Domus potentiam paulò post destruxit. Interea Cæsar passim per ditiones suas *Euangelicos* proscribebat. *Tillius & Fridlandiæ* Dux *Saxoniam* ingenti tyrannide opprimebant, ac quod omnium indignissimum fuit, ejectis Ducibus *Meclenburgensibus*, eorum ditiones *Alberto* Fridlandiæ Duci donatæ, qui *Pomerania* quoque occupatâ, jam classes struere, deprædari *Sueciam* ac sese Maris *Balthici* Archithalassum inaudito titulo scribere. Non poterant hæc diutius tolerari. Ergo Principes Germaniæ, excusso negligentiæ suæ veterno, cum omnibus paria imminere viderent, quæ *Friderico* Palatino ac Ducibus *Megapolitanis* contigerant, externa iterum circumspectare auxilia, ac *Suecos* clam evocare cœperunt. Hinc natum bellum *Sueco*-Germanicum.

IX. Rex *Sueciæ* pactis cum *Polono* in 6. annos induciis Anno 1630. hostem declaravit *Ferdin.* II. Causæ & occasiones belli hæ fuerunt,

runt, 1. quod *Imperator* Arnhemium Ducem suum cum valido exercitu in *Borußiam* sub expansis imperii aquilis contra *Suecos* pro *Polono* militatum misisset. 2. quod Duces *Megapolitanos* regi Sueciæ sanguine junctos, ditionibus illis in *Fridlandium* translatis, in exilium pepulisset. 3. quod mare *Balthicum* navesque *Suevicas* piraticâ vexarit. 4. quod *Stralsundam*, quæ sese in fidem Reg. Suec. commiserat, obsideret, ac universam *Pomeraniam* violenter opprimeret. Mox *Sueci* in *Rugiâ* exscensionem fecerunt, ac admirabili rerum successu intra breve tempus universâ Pomeraniâ Cæsareanos ejecerunt, *Boguslao* Pomeraniæ Duce *Stetinum* ultro Regi tradente. Tres notabiles hujus belli periodi fuerunt. I. ab adventu Regis Sueciæ usque ad ejus mortem. II. ab ejus morte ad Pacem *Pragensem*. III. à Pace *Pragensi* ad pacem *Monasteriensem*.

PERIODUS PRIMA.

X. Cum Cæsar obstinate urgeret *decretum* de restituendis bonis *Ecclesiasticis* omnes partium Protestantium in Germaniâ, conventu Lipsiæ habito apertè partibus *Suecorum* sese adjunxerunt, qui continuo victoriarum cursu præter *Pomeraniam*, *Marchiam*, ac plerasque Saxoniæ provincias juris sui fecerant. Ita maximi illius belli initium factum, ac primam Militis Cæsareani rabiem *Magdeburgum* floren-

rentissima Saxoniæ urbs sanguine suo satiavit, funditus, velut altera Troja, eversa 10. Maji A. 1631. in qua 36000. hominum perierunt. Hoc terrore acrius inflammata odia, ac *Protestantes* Hamburgi, Ligistæ Dunckelspielii fœdera sua confirmarunt. Actum *Francofurti* ad Mœnum de pace fuit, sed irrito conatu. Cumque interea *Tillius* universam occuparet *Saxoniam*, ac *Elector* Joh. Georgius nimis serò deprehenderet secum perinde agi à Cæsare ac cum Friderico Palatino, amissis fere omnibus, Regi Sueciæ sese conjunxit, ejusque exemplum *Brandeburgicus* secutus; Statim summo certatum prælio ad Lipsiam 7. Sept. 1631. Nunquam majori clade prostrata *Liga* fuit, ac una illa longè maxima victoria Germaniæ libertatem peperit. Ita *Magdeburgo* pari clade Cæsareanorum parentatum fuit. Statim recepta cum reliquis urbibus *Lipsia*, ac Euangelici totâ passim Germania plus quàm humanâ felicitate *Ligistas* contundere, ut Cæsar de rebus suis desperaret. Ita ante finem A. 1631. universa, quàm latè patet, *Germania* usque ad Danubium Suecis concessit, quorum res formidabilem indies acquirebant potentiam, confluentibus undique, quos vel Cæsaris odium, vel *Religionis* defendendæ ardor, vel ipsa prædæ cupido ad communem causam excitabant. Francofurti *Fridericus* Bohem. Rex Sueciæ Regem convenit, recepturus ab eo amissas ditio-

ditiones. Secuta in *Bavariam* expeditio, in quam, *Augusta* Vindelicorum 10.Apr. 1632. captâ, penetratum fuit, ac 7. Maji *Monaccium* Bavari sedes deditum. Illâ æstate bellum ad *Noribergam* hæsit, ubi *Fridlandus & Suecus*, vicina habuerunt castra. Rex Sueciæ cum urbem deserere nollet, magnam ibi exercitus sui jacturam partim pestilentiâ partim fame fecit, ac frustra oppugnatis Cæsareanorum castris 17. Octob. exercitum in Saxoniam reduxit. Ibi 6. Nov. memorabile illud prælium propè pagum *Lutzen* duobus Lipsia miliaribus commissum fuit, in quo victores Sueci, sed amisso *Rege* suo, qui fraude suorum an hostili manu ceciderit, variè refertur.

PERIODUS SECUNDA.

XI. *Mors* Regis magnam Austriacæ domui spem præbuit dissidiorum inter Euangelicos, ac recuperandi amissa. Utrumque fefellit. Nam & Euangelici arctiori fœdere se obstrinxerunt, & fortuna belli haud quaquam mutata fuit. Successit in imperio exercituum *Bernhardus* Vimariensis Dux, ac belli sacri director *Axelius* Oxenstiernus Regni Sueciæ Cancellarius constitutus fuit. Secuta Cæsareanorum strages ad *Hameliam* in Westphaliâ, repetita 28. Jun. ad *Alendorffium* oppidum. Interea *Lotharingiæ* Dux nova Cæsareanis auxilia tulit, hostis propterea à Reg. Gall. declaratus, ac à

Par-

Parlamento Parisiatâ sententiâ omnibus ditionibus spoliatus. 4.Nov. *Ratisbona* à Bernh. Wimariense expugnata. Ita variè pugnatum usque ad prælium *Nordlingense*, quod mense Aug. 1634. in *Sueviâ* commissum ingenti Euangelicorum strage, quorum ibi ad 15000. cæsa, captusque *Gustavus* Horn, ac secuta *Ratisbonæ* & *Schenckianæ* munitionis expugnatio Austriacam fortunam ad summas iterum spes extulit. Euangelici animo perculsi paulatim deficere, respectare Cæsarem, denique pacis consilia admittere, quæ iniquissimis conditionibus inter *Electorem* Saxoniæ & *Cæsarem* mense Augusto 1635. inita fuit, exclusis Suecis, exclusâ etiam stirpe *Friderici* Palatini.

PERIODUS TERTIA.

XII. Sueci contra hanc pacem protestati, cùm ab omnibus sociis desererentur, solum reperiunt *Wilhelmum* Hassiæ Landgravium, qui in fide perstaret, ac quamlibet fortunam subire mallet, quàm inhonestam pacem amplecti. Tum temporis Rex *Galliæ*, qui hactenus à bello palam abstinuerat, Suecorum res fatiscentes totis regni sui viribus confirmare cœpit, ac *Hispanis* bellum indixit. Sueci universâ pulsi German. in insulâ *Usidomiâ* novis aucti viribus, Duce *Bannerio* fœdâ internecione repulerunt Cæsareanos. Nota sunt prælia ad *Wer-*

wenam,

wenam, ad *Witſtokium* & alibi commiſſa. Ita paulatim receptis urbibus ac provinciis in *Moraviâ*, *Sileſiâ*, *Bohemiâ*, *Saxoniâ*, *Franconiâ*, *Thuringiâ*, *Weſtphaliâ*, tantis incrementis res ſuas conſtabiliverunt, ut Cæſareani deſperarent de ulteriori ſucceſſu. Non minimum tamen periclitatæ res Suecorum poſt obitum *Bannerii*, ingenti quorundam perfidiâ ſcelere concepto. Ei ſuffectus *Torſtenſonius* tribus magnis præliis, *bis* ad *Lipſiam*, ſemel in *Bohemiâ* propè *Thabor* Cæſareanos profligavit. Interea R. Daniæ paulò infenſiorem Suecis ſe præbebat, quàm ut amicus haberi poſſet. Eorum deprædari naves, victoriis invidere, denique clandeſtinum fœdus de iis German. pellendis cum Cæſare percuſſiſſe dicebatur. Ergo A. 1644. menſe Jan. *Torſtenſonius* nec opinantem oppreſſit, ac adjuti Belgarum claſſe Sueci cum terra marique victores eſſent, Danos pacis conditiones amplecti coëgerunt. *Torſtenſonio* ſucceſſit *Guſtavus* Wrangel, qui cum feliciter in *Auſtriam & Bavariam* irrupiſſet, ac Cæſareanos paſſim debilitaret, primò ad inducias, deinde ad pacem rem deduxit, quæ *Monaſterii*, *Oſnabrugis*, & tandem *Noribergæ* A. 1648. & 1650. inita & perfecta fuit. Hic belli finis.

ORBIS

ORBIS POLITICI
PARS TERTIA,
COMPLECTENS
MEMORABILIA TOTIUS
MUNDI,
Ab Orbe Condito ad
noſtra Tempora,

ORBIS POLITICI
PARS TERTIA,
COMPLECTENS
MEMORABILIA TOTIUS MUNDI.
Ab Orbe Condito ad nostra Tempora.

MEMORABILIA HISTORIÆ UNIVERSALIS.

Memorabilia *Historiæ Universalis sunt Casus & eventus maximè illustres omnium populorum, ab orbe condito ad nostra tempora.*

1. QUemadmodum Astronomi ex innumerabili illa stellarum multitudine, non nisi maximè conspicuas seligunt: ita in vastissimo Historiæ Universalis Oceano illustres tantum casus & memorabiles notandi sunt.

2. Omissis quæ ante diluvium acciderunt; postdiluviana Historia in *Veterem & Recentiorem* distinguitur. *Vetus* complectitur præcipuè quatuor, ut vocantur, *Monarchiarum*

atque

atque insuper *Scytharum*, *Indorum* & *Æthiopum*, si quæ supersunt, res memorabiles.

MEMORABILIA HISTORIÆ VETERIS ASSYRIACÆ.


Nno Mundi 2000. NINUS fundator Imperii Assyriaci, *Niniven* quæ & *Ninus* urbem struxit: in exercitu suo peditum, *decies septies centena millia*: currus falcatos *decem* mille & *sexcentos* habuit: vicinos longè lateque domuit. Periit sive in oppugnatione Urbis, sive *fraudibus Vxoris* suæ Semiramidis.

A. M. 2048. SEMIRAMIS uxor Nini, marito nefariè interfecto in exercitu *ter decies centena millia* peditum, *quinquaginta millia* equitum, currus plures centum millibus ducens, Urbem *Babylonem* rebellem expugnavit, ejus muros struxit, cum *Indis* infeliciter bellum gessit: tandem à filio *Ninya* interfecta fuit.

A. M. 2090. *Ninyas* pacem bello prætulit, otium laboribus. Inde longa series, sed incerta & inutilis usque ad

A. M. 3233. *Phul Assur*, cujus res describuntur in Sacris Scripturis.

A.M.

A.M. 3237. SARDANAPALUS Homo effœminatissimus, cum perpetuo inter pellices desideret, & omnem Imperii curam negligeret, conspiratione *Arbacis* Medorum & *Belesis* Babyloniorum præfecti, victus, & in urbe *Ninive* obsessus, ex desperatione se & *omnes divitias, incendio consumpsit*. Hic fuit *ultimus* Imperator Assyriorum. Post eum diviso Imperio, *Medi*, *Babylonii*, *Assyrii* regnarunt: *quos inter præcipuus*,

A. M. 3287. SENACHERIB, cujus res exstant in Sacris Literis; ejusque meminit *Herodotus* II. Cum Ægyptum invasisset, habenas & *lora scutorum* à muribus noctu corrosa: unde maximâ acceptâ clade in fugam ab Ægyptiis actus fuit. Quapropter positâ in Ægypto Statua in quâ ipse rex alterâ manu murem tenebat, cum hac inscriptione:

In me quis intuens, pius esto.

A. M. 3356. *Saracus* sive *Chynaladanus*. Sub hoc Urbs Ninive sive *Ninus*, à Babyloniis & Medis eversa fuit, A. M. 3378.

A.M. 3397. NEBUCHADNEZAR, de quo in Sacris Scripturis præcipuè Daniele. Hic amplissimum illud Imperium *Babylonicum* condidit, & ipsam urbem *Babylonem* magnificè instauravit structo muro, & aliis splendidis operibus. Nihil certius est quam hujus *Nebuchadnezaris* res à profanis Scriptoribus fuisse attributas *Nino*, & matris ipsius *Nitocris* Semira-

miramidi. Ninus igitur idem eſt cum Nebuchadnezare, & Semiramis cum Nitocri. Poſt hunc celebris eſt *Balthaſar*, Herodoto *Labynitus*. Ultimus Babyloniorum Rex, ſub quo *Cyrus* Perſarum rex Babylonem expugnavit, ac Imperium ad Perſas tranſtulit.

ÆGYPTIACA.

Ex priſcis Ægyptiorum *rebus memorabilia hæc ſunt.*

ANno Mundi 2179. *Paſtores* nomine *Hycſos*, Ægypto à *Thethmoſi* Rege pulſi, cum ducentis quadraginta millibus in Syriam venerunt, & ejus littore occupato, *Phœnices*, ſive *Palæſtini* dicti ſunt.

A. M. 2494. *Amenophis* Rex Ægypti, afflicto variis modis populo Iſraelitico, cum per Moſen à Deo viciſſim afflictus, & magnis miraculis, ad Populum ejus liberandum excitus, illum jam dimiſſum perſequeretur, divino miraculo ſubmerſus cum exercitu in mari rubro periit.

A. M. 2500. Floruit in Ægypto *Hermes* cognomento Triſmegiſtus ſive *ter maximus*, author & inventor litterarum & omnis Philoſophiæ, cujus ſectatores hodieque appellantur *Hermetici*.

A. M. 3033. *Seſak* aliis *Sethoſis*, & notiori nomine *Seſoſtris*, expeditione ſuſceptâ magnam

gnam Asiæ & Africæ partem domuit, ac amplissimum Imperium condidit. Ita quidem, ut Ægyptii, tum temporis Coloniam in Sina reliquisse videantur. Nam multa argumenta sunt, quibus probari potest *Sinenses* ab Ægyptiis originem trahere. Hanc expeditionem Sesostris *Tacitus* 11. *Annalium* sub nomine *Rhamsis* describit.

Hic *Sesostris* à quatuor captivis Regibus in curru Triumphali vehebatur, quorum unus crebro respectans ad rotas currentes, à tergo eum *fortunæ* volubilis admonuit.

Inde regnavit in Ægypto *Rampsinitus*, sub quo ingeniosissimum furtum factum fuit.

A. M. 3334. *Psametichus* magnam Syriæ urbem *Azotum* diuturnâ 29. annorum obsidione expugnavit.

A. M- 3388. *Necos* frustra molitus fuit, ex Nilo ad Arabicum sinum fossam ducere: perierunt in eo opere centum viginti millia hominum. Sub eo *Africa* primùm circumnavigata fuit, ita ut naves è sinu Arabico solventes, post triennium per columnas *Herculis* in Ægyptum redierint.

A. M. 4120. *Apries* regnat, quem Ægyptii propter Tyrannidem strangularunt.

A. M. 3435. Ei successit *Amasis*: contra quem *Cambyses* Persarum Rex bellum suscepit, sub cujus initium *Amasis* mortuus successorem habuit.

A. M. 4189. *Psammenitum*, qui ultimus Ægypti Rex fuit, victus & occisus à Cambyse. Ita Ægyptus in Persarum potestatem venit.

MEMORABILIA
ÆTHIOPIÆ.

ANno Mundi 3063. *Zerach* Rex Æthiopum cum exercitu 100000. ab *Asa* Rege Judæorum deletus est.

A. M. 3277. *Sabacon* Æthiops, captum in bello Bochorin Regem Ægypti vivum cremavit, ejusque loco in Ægypto regnavit.

A. M. 3299. *Thirhaca* Rex Æthiopum potentissimus contra Senacheribum Regem Assyriæ bellum gessit, & fines Imperii sui longè latéque extendit. Hunc Strabo *Tearkonem* Æthiopem vocat, & usque in Europam ad Herculis columnas progressum refert.

A. M. 3480. Rex Æthiopum *Macrobiorum* sive Longævorum, contra Cambysen Persarum regem bellum gessit, eumque arenarum cumulis & fame ab Æthiopiâ fugavit.

MEMORABILIA
SYRIÆ.

REzin Regnum Damascenum in Syria fundavit, cognomine *Adadi* assumpto, quod posteri ejus, ad decimam usque generatio-

tionem, retinuerunt. Ex hac familiâ regnarunt *Benhadadi*, potentissimi Syriæ reges, quorum maxima contra Israelitas Bella in Sacris Litteris describuntur.

MEMORABILIA
LYDORUM.

ANno Mundi 3269. *Candaules* Rex Lydorum, cum uxorem quam habebat pulcherrimam, satelliti suo *Gygi*, nudam spectandam exhibuisset, ab eo, uxore instigante, quam tantâ ignominiâ irritaverat, obtruncatus est. Sic Regnum Lydiæ ad *Gygen* pervenit, qui dicitur habuisse *annulum* ea virtute, ut quoties vellet, invisibilem se redderet: unde adagium *Gygis annulus*.

A. M. 3442. *Crœsus* Lydorum ultimus Rex fuit, cujus tantæ divitiæ, ut proverbio locum fecerint: Hic *Crœsus* tota Asia minori intra *Halyn* fluvium potitus fuit.

Habuit in aula sua præstantissimos Græciæ Philosophos, quos inter *Æsopus* ille celebris fabularum author, & *Solon* Atheniensium Legislator. Cumque *Crœsus*, divitiarum suarum & fortunæ fiduciam omnium se mortalium *beatissimum* existimaret, ac ex Solone quæreret, quem beatiorem arbitraretur? Respondit Solon:

ultima semper

Expectanda dies homini, dicique beatus
Ante obitum nemo supremaque funera debet.

Id quod etiam *Crœsus* paulò post re ipsâ verum deprehendit: Quippe, captus in bello à Cyro, & ardenti rogo impositus, ut ignibus vivus cremaretur, ter miserabili voce inclamavit, *O Solon! Solon! Solon!* Miratus ignotam sibi vocem Cyrus quid ea sibi vellet, interrogavit: Crœsus, quæ olim ex Solone audiverat, retulit, ac propterea à Cyro non modo vitæ gratiam obtinuit, verum etiam ad intimam ipsius amicitiam admissus fuit.

MEMORABILIA
PERSARUM.

ANno Mundi 3468. CYRUS Persarum regnum condidit, cujus tota vita plena miraculorum fuit. *Nativitas* ejus miris somniis avi *Astyagis* Medorum regis prædicta fuit, quæ *Chaldæi* sive *Magi* ita interpretabantur, ut supremum Asię Imperatorem nasciturum prędicerent. Quare *Astyages*, metuens sibi, nepotem Harpago interficiendum commisit. Is, misericordia tactus, pastori eum exponendum, vel feris objiciendum dedit. Sed neque pastor tantæ crudelitatis minister esse voluit. Quare domum suam delatum, inter reliquos liberos suos eum educavit. Ita inter pastores adolescens Cyrus,

Cyrus, mox præclara & originis ſuæ & virtutum ſpecimina dedit: Creatus à pueris colluſoribus *Rex*, quæ regis erant, fecit, & in contumaces verberibus ac plagis animadvertit. Quod, cum parentes puerorum, moleſtè ferrent, Cyrum coram Aſtyage accuſarunt. Perductus in Regis conſpectum Cyrus, quanquam etiamnum puer, haud quaquam ad tantæ majeſtatis conſpectum expalluit, rogatuſque, qua fiducia auſus fuiſſet in liberos pueros animadvertere? Intrepidè reſpondit: *Regem ſe fuiſſe & regis munere functum*. Aſtyages admiratione captus, cum ſimul in memoriam nepotis ſui rediiſſet, ſuſpicari cœpit, hunc puerum non paſtoritio ſed nobiliori ſanguine creatum: Denique re diligenter examinata, cum *Harpagus* fateretur, ſe ipſum non necaſſe, ſed paſtori enecandum dediſſe, agnoſcitur *Cyrus*, & ab Avo in gratiam recipitur. Sed *Aſtyages* hanc in Harpago inobedientiam ut ulciſceretur, filium ipſius coctum patri comedendum propoſuit. Diſſimulavit dolorem pro tempore *Harpagus*, donec occaſione data Cyrum ad rebellionem contra Aſtyagem impuliſſet, & milites ſibi concreditos ipſi tradidiſſet. In eo bello captus à Cyro fuit Aſtyages, & regno ſpoliatus. Maximas inde Res *Cyrus* geſſit. *Crœſum* ſuperavit: *Babylonem* cepit, & tandem in expeditione contra *Scythas*, perit. Quippe *Tomyris* Scytharum Regina pellectum in montium angu-

angustias, cum toto exercitu, ex insidiis, trucidavit. Caput Cyro præcisum, & in utrem humano sanguine plenum conjectum fuit, cum hac exprobratione crudelitatis: *Satia te sanguine, cujus sitiens & insatiabilis semper fuisti.*

A.M. 3475. *Cambyses* secundus Persarum Rex, crudelitate, ebrietate, insania & furore infamis fuit. In Ægyptum profectus, victo ultimo ejus rege Psammenito & haustu cruoris taurini ad mortem adacto impiè in Deos & Templa, flagitiose & immaniter in homines grassatus fuit. Ex Ægypto in Africam interiorem profectus 50000. millia arenarum molibus obruta amisit: cæteri, cum præ nimia fame decimum quemque devorassent, re infecta in Ægyptum reversi sunt. Hac clade in furorem actus *Cambyses* fratrem Smerdin, quem habebat unicum, necat: Sororem prius à se incestu pollutam ictu calcis, prægnantem interficit; *Prexaspis* filium, à quo propter ebrietatem reprehensus fuerat, sagitta conficit, ipsiusque cor exsectum patri ostendit. Ac vix *Crœsus* ejus iracundiam, neci destinatus, evasit. Hæc omnia Cambyses eo prætextu egit, quod adulatores dicerent, *Legem esse apud Persas, quâ quicquid rex faciat*, justum esse videatur. Inter hæc atrocia, unum illud laude dignum, quod *Sisamni* injusto judici, pellem detraxit, eamque tribunali instravit, cui Sisamnis filium

lium *Othanem* imposuit, patris supplicio admonitum, ut in jure dicendo integer esset. Post hæc *Cambyses* cum Persię regnum à quodam tenebrione occupatum intellexisset, furibundus equum conscendens, evaginato forte gladio, in femore vulneratus, obiit.

A. M. 3482. *Magi* occupato per fraudem regno Persiæ, quendam pro fratre Cambysis Pseudo-Smerdin subornarunt, qui cum applausu, velut legitimus regni successor susceptus, per septem menses pro vero rege fefellit. Tandem fraude detectâ, septem nobilissimi Persarum proceres contra hunc impostorem conjuratione initâ, eum non absque gravi periculo in regia interfecerunt. Ita cum nemo ex regiâ stirpe Cyri superesset, interregnum in Persia cœpit, ac diu inter septem proceres de formâ Reipublicæ deliberatum; cum alii *Democratiam*, alii *Aristocratiam*, alii denique *Monarchiam* commendarent, quæ ultima sententia tandem prævaluit, ac cum electio inter virtute meritisque pares difficilis & invidiosa esset, placuit rem casui & sorti permittere; ut ille Rex esset, cujus *equus* orienti soli primus adhinnivisset.

A. M. 3483. *Darius* Hystaspis filius calliditate *Oebaris* equisonis sui, qui pridie equum ad hinniendum assuefecerat, Rex Persarum creatus fuit. Cujus magnæ ac præclaræ res circumferuntur. Primo enim *Babylonios*, qui

rebellione motâ, ut annona prolixior foret, proprias Uxores strangulaverant, fidelitate Zopyri superavit. Is *Zopyrus* labia sibi naresque & aures præscidit: ita à Dario simulans se mutilatum in Urbem ad Babylonios transfugit, & ab ipsis veluti Dario ob tam insignem injuriam infensissimus, Dux creatur. Cumque aliquoties feliciter contra Persas fugam simulantes, pugnasset, tandem & exercitum & Urbem Dario prodidit. Cujus fidem miratus *Darius:* tot sibi *Zopyros* optavit, quot *grana* essent in malo punico. Post hæc bellum *Scythis* Europæis intulit exercitu septingentorum millium trans Danubium in eorum regiones traducto. Sed Scythæ ad interiora se recipientes, nihil nisi solitudinem & inopiam, velut insuperabilem quendam murum, Dario objecerunt: unde amissis octuoginta millibus, re infectâ, trepidus in Thraciam revertitur, missisque ad Macedonum Regem legatis terram & aquam, quæ spontaneę deditionis erant argumenta, sibi dari jussit. Sed illos, quod impudicè fœminas in convivio attrectassent, Alexander Regis filius, per subornatos puellarum habitu adolescentes, obtruncavit. Inde *Darius* ad Græcos Asiaticos subigendos sese confert, quibus cum opem tulissent Athenienses, tantam contra eos iracundiam concepit, ut quotidiè *ter* sibi per famulum acclamari juberet: *Here, memento Atheniensium.* Quare cum exercitu sexcento-

rum

rum millium in fines Atticæ penetravit duce *Dati*, ubi in campo Marathonio prælium illud famosum commissum fuit. Quippe Athenienses, duce *Miltiade*, cum exiguis copiis ingentem Persarum multitudinem interfecerunt, & plures adhuc naufragio perierunt. In eo prælio *Cynegiri* militis Atheniensis monstrosa & incredibilis fortitudo celebratur; qui ambabus jam præcisis manibus, morsu & dentibus, navem Persicam onustam retinuisse dicitur; ut eum probè dentatum, vel capacissimi oris fuisse necessum sit. Post hanc cladem *Darius* in novo belli contra Græcos apparatu, cum *Xerxen* filium minorem natu fratri majori in regno prætulisset, obiit.

A.M. 3519. *Xerxes* bellum longe maximum Græciæ infert; ejus innumerabilis fuit exercitus; *decies septies centena millia* peditum, equitum *octuaginta*; ut non injuria dictum sit, *flumina* ei non suffecisse ad potum. *Pythium*, àquò immensis donis affectus fuerat, dissecto ejus filio, crudeliter remuneratus fuit. Quatuor omnino præliis certavit. Primo ad *Thermopylas* in ipsis montium claustris & angustiis, ubi *Leonidas* Spartanorum Rex, post ingentem Persarum cædem, pro patriâ cum suis, gloriosè occubuit. Deinde duo navalia certamina, unum ad *Artemisium* Eubϙæ promontorium, ubi ambigua fortuna pugnatum: Alterum ad Insulam *Salaminem*, in quo

ducentæ Persarum naves depressæ. Eo in prælio in primis eminuit virtus *Artemisiæ* Halicarnassi Reginæ. Xerxes tot jam damnis acceptis cum Athenas incendisset, trepida fuga se ex Græcia in Asiam recipit relicto cum trecentis millibus, qui bellum persequeretur, Mardonio. Sed & is cruento ad *Plataeas* prælio superatus, & cum toto penè exercitu deletus universam Græciam opibus & divitiis implevit. Eadem die qua prælium ad Platæas commissum, Græci in Asia quoque navalem victoriam ad montem *Mycalen* de Persis reportarunt, in quo quadraginta ipsorum millia ceciderunt. In eo prælio res miranda accidit, quod cum Persæ matutino tempore ad *Plataeas* victi fuissent; meridianis horis, per tot terras mariaque, id in Asia, incertum quo authore, intellectum fuerit. Ita ingens ille Xerxis apparatus evanuit. *Xerxes* vero ipse reversus in Persiam, incestu & parricidiis sese polluit, ac universam regiam horrendis cædibus & flagitiis implevit. Ita omnibus exosus, conspiratione *Artabani*, Patrui sui obtruncatus, anno regni vigesimo periit.

A M. 3531. *Artaxerxes*, cognomento *Longimanus*, quod manum dextram haberet sinistra longiorem, initio regni *Artabanum*, à quo ad fratris Darii necem impulsus fuerat, interfecit, ac *Themistoclem*, cujus inprimis ductu Xerxes à Græcis superatus fuerat, Athe-

nis

nis profugum, humaniter excepit, consilio ipsius & opera contra Græcos usurus. Præcipuum ejus bellum contra Ægyptios fuit, qui ab Imperio Persico defecerant, quos non absque gravi labore subegit. Inde à Græcis navali bello multoties superatus, pacem cum ipsis iniit, qua omnes per Asiam Græcorum civitates libertate donavit, ac imperio maritimo ipsis cessit; Nam Græci durissimas conditiones Persis præscripserunt; ne trium dierum itinere interius ad mare descenderent: Ne intra insulas *Cyaneas & Chelydonias*, longam navem vel rostratam haberent. Reliquum vitæ Artaxerxes in pace transegit ac anno regni 44. obiit.

Xerxes secundus, primo imperii anno, cum ebrius esset, à fratre *Secundiano* sive *Sogdiano* interficitur. Sed & hic paulò post à fratre suo *Ocho* captus & in ardentes cineres conjectus, necatus fuit. Ita regnum ad Darium Nothum pervenit.

A. M. 3581. *Darius* Nothus cum Lacedæmoniis contra Athenienses auxilia tulisset, domi pacificè regnavit. Uxor ipsius erat *Parysatis*, fœmina crudelissima, & altera seculi sui Medea.

A. M. 3600. *Artaxerxes* cognomine *Mnemon*, Rex Persarum factus, Cyrum fratrem suum maximo ad Babylonem prælio superavit: deinde à Rege Spartanorum Agesilao in Asia magnis cladibus affectus, tandem belli

pertæsus, perpetuam cum Græcis pacem inivit, quæ pax *Antalcidæ* dicta fuit, ab *Antalcida* navarcho Spartanorum, qui eam promovit. Ita pacato regno Artaxerxes perpetuis & matris & uxorum & filiorum quoque facinoribus miserum in modum afflictus fuit. Quippe mater ejus *Paryſatis*, in quoſvis atrociter ſæviebat. Eadem, *Statyram* uxorem Artaxerxis, ſuamque nurum, veneno mira fraude interfecit. Quippe cultellum altero latere veneno infecerat, & diſſecta in convivio avicula rhyntace eam partem Statyræ exhibuit quæ veneno attacta erat. Pellicem habuit Artaxerxes *Aſpaſiam*, omnium virtutum exemplar ac ſpeculum, ſed quæ magnis malis poſtea occaſionem præbuit. Quippe *Darius* filius ipſam in Uxorem poſtulavit, & paulo poſt, quod ea ſibi negata fuiſſet, in patris vitam conſpiravit. Accuſato à patre & condemnato ad mortem in Principum conſilio, caput novacula abſciſſum fuit. Ita *Artaxerxes* ſenectutem ſuam multis calamitatibus domeſticis afflictam, cum ad nonageſimum annum perveniſſet, morte tandem terminavit.

A. M. 3644. *Artaxerxes* Ochus Rex factus, atrociter in cognatos ſæviit, patruum cum centum amplius filiis ac nepotibus, veluti ſcopum quendam, jaculis confixit: *Ægyptios* rebelles in ordinem redegit; *Sidonios* obſeſſos ad tantam deſperationem adegit, ut ſeſe cum

omni-

omnibus opibus suis quadragesies amplius mille, concremarint. Tandem *Bagoas* eunuchus, cum sibi à crudelissimo hoc rege metueret, veneno eum necavit; demortui cadaver felibus lacerandum objecit, & ex ossibus ejus manubria gladiorum ac cultrorum fecit, ut qui vivus perpetua cæde hominum delectatus fuerat, ultra mortem quoque sævire posset. Ei in regno suffectus est filius.

A. M. 3666. *Arses* vel *Arsames*, sed & ipse cum triennium regnasset, nullâ re memorabili gesta, ab eodem Bagoâ veneno sublatus fuit. Ita regiâ familia Darii Hystaspis apud Persas extincta regnum translatum fuit ad *Darium* Codomannum.

A. M. 3368. DARIUS *Codomannus* Persarum rex, quem *Alexander* magnus tribus præliis superatum, imperio, *Bessus* satrapa vita spoliavit.

MEMORABILIA
SCYTHARUM.

ANno Mundi 3370. *Cimmerii* à Scythis pulsi, in Asiam transierunt: quos insecutus *Indathyrsus* sive *Madyes* Scytharum Rex, cum potentissimo exercitu, superatis Medis, Universam penè Asiam usque ad Ægyptum domuit & per viginti octo annos tributariam sibi ac vectigalem reddidit. Cumque alia ratione

tione quam fraude superari non possent Scythæ, *Cyaxares* Medorũ Rex præcipuos ipsorũ convivio excepit, ac inebriatos immissis percussoribus, ad unum omnes interfecit. Sic Asia servitute Scythica liberata fuit. Qui hanc cladem evaserunt eos Cyaxares venationibus & pueris in arte equestri instituendis, præfecit. Cumque asperè & acerbè tractarentur, unum quos docebant puerorum trucidarunt, & coctum Cyaxari pro ferina apposuerunt, quo facinore patrato, ad *Halyatten* Lydorum Regem transfugerunt: unde Bellum inter *Medos & Lydos* quinquennale, quos tandem cum jam utraque in procinctu ad prçlium acies staret conspecta Solis eclipsis, die noctescente, ita perterruit, ut pacem inirent. Reliqui Scytharum in antiquam Patriam reversi, cum à servis suis bello exciperentur armisque parum contra eos proficerent, tandem sumptis flagellis eos veluti mancipia suæ iterum potestati subjecerunt. Hujus *Servilis* belli hodieque memoria apud Moscovitas superest.

MEMORABILIA
INDORUM.

DE *Indorum* vetustis rebus nihil ferè constat nisi quod *Staurobatis* Regis Indorum, qui contrà Semiramidem bellum gessit, mentio apud Diodorum Siculum. Postea usque ad

que ad *Alexandri* Magni ætatem inaccessa Persis pariter ac Græcis, adeoque incognita mansit India.

MEMORABILIA

GRÆCORUM.

POsteri *Herculis*, dicti *Heraclidæ*, Peloponnesum recuperarunt, eamque in varia regna, nimirum *Spartanum*, *Corinthium*, *Messenium*, & alia divisere.

Codrus ultimus Rex Atheniensium se in bello pro patriâ devovit, & castra hostium mutato habitu ingressus, rixisque cum milite motis, ab eo confossus, victoriam suis peperit. In eo desiit Regnum Atheniensium: quia in posterum non *Reges* sed *Principes* sibi præfecerunt. Paulo post secuta fuit *Migratio* Ionica. Quippe magna Atticæ juventutis multitudo, Ducibus Codri filio aliisque in Asiam trajecere, ac littoribus illius occupatis, claras Urbes, *Ephesum*, *Miletum*, *Smyrnam* aliasque condiderunt, ac totam regionem *Ioniam* appellarunt.

A. M 3205. cœpit bellum *Messenium* inter Messenios & Spartanos, quod inter omnia Græcorum antiquissima, maximè memorabile est, multisque casibus illustre: *Messenii* tandem victi desertâ regione campestri, se in altissimum montem *Ithomen* recepere, ibique diutur-

diuturnam obsidionem sustinuere. Cumque oraculum virginem immolandam iis præcepisset, reliquis abnuentibus, *Aristodemus* rex filiam suam obtulit, ac sua manu interfecit. Cumque obsidio diuturna esset, Spartani, Juvenes quosdam prolis gratia Spartam misecrunt, ex quorum cum ipsorum Uxoribus concubitu nati fuerunt illi quos *Parthenios* vocarunt, id est illegitima soboles, à quibus celeberrima Italiæ urbs *Tarentum* condita fuit. Tandem anno belli 20. *Aristodemus*, Rex Messeniorum, spectro filię, quam immolaverat, perterritus, se ad tumulum ejus interemit, ac monte *Ithome* à Spartanis expugnato, reliqui in servitutem redacti sunt: Ex qua post quadraginta annos *Aristomenes*, juvenis acerrimus eos liberavit, ac bellum contra Spartanos incredibili audacia, ac plusquam heroica fortitudine instauravit.

Hic est ille *Aristomenes* qui una die centum Spartanos sua manu interfecit: qui ter captus & mirabiliter iterum liberatus fuit. Inprimis tum cum à Spartanis in *Ceadam*, id est speluncam subterraneam immensæ profunditatis & asperrimis undique rupibus confragosam, pręcipitatus fuisset. Cæteris enim Saxorum allisu confractis ac toto corpore collisis, solus Aristomenes illæsus ad fundum descendit, & inter fætentia mortuorum cadavera per aliquot dies, nullo patente exitu, versatus, miserrimumque

vitæ

vitæ exitum expectans, tandem in tenebris visus sibi fuit animalculum quoddam deprehendere. Erat autem vulpecula, quæ per exiguam quandam & obscuram rimam illapsa, cadavera depascebatur. Silentio igitur, ejus *Aristomenes* caudam apprehendit ac ab ipsa profuga ad foramen illud, per quod ingressa fuerat, deductus fuit. Ita angustias illas manibus & nisu totius corporis dilatavit, ut ex spelunca salvus ad suos evaderet. Mox irruptione in agrum & urbem Spartanam facta, novis cædibus ostendit se vivere, se evasisse. Miraculi hoc instar Lacedæmoniis erat, qui dudum extinctum crediderant Aristomenem. Ita in multos adhuc annos, Messenii bellum contra Spartanos ejus ductu continuarunt, arce belli in monte *Ira* constituta, donec tandem, noctu proditione expugnarentur. Tum vero *Aristomenes* per medios hostes viam sibi ferro aperuit, ac primo in *Siciliam*, deinde *Cretam* se contulit. Reliquiæ Messeniorum in Sicilia struxerunt Urbem *Messenam*, quæ hodieque celeberrima est.

A. M. 3417. *Solon* Atheniensium legislator *Cyrrham* urbem post diuturnum obsidium helleboro expugnavit. Quippe hellebori radices in aquam, quam obsessi bibebant, injecit, unde alvi fluxu correpti, urbem dedere coacti sunt.

Anno Mundi 3460. In Sicilia regnavit *Phalaris* Agrigentinorum tyrannus famosissimus.

mus. Hic est ille qui æneum habuit taurum ab *Perillo* artifice ita formatum, ut ei inclusi homines, cum subjectis prunis torrerentur, mugitum bovis instar ederent. Sed *Phalaris* Perillum primum omnium bovi huic inclusit ac *ipse suum* dixit, *imbuat author opus*. Eodem ferè tempore *Pisistratus* Athenis Tyrannidem invasit, cum se à potentioribus male verberibus mulctatum coram populo simulasset, à quibus eo prætextu, Satellitium, velut ad corporis custodiam impetravit, quo paulò post, arce occupata Imperium totius Civitatis ad se transtulit.

A. M. 3500. *Sibaris* potentissima Italiæ urbs à *Crotoniatis* excisa fuit duce *Milone* famoso illo athleta, qui bovem pugno interfecit, & solus una die devorâvit. Idem *Milo* jam senex vires suas exploraturus, cum annosam quercum divelleret, ab ea iterum coeunte ambabus manibus interceptus, & cum se inde liberare non posset, à supervenientibus lupis devoratus fuit. *Sibaritæ* effæminatissimi, propter nimias opes fuerunt, unde adagium: *Sibaritæ per plateas*, quo de illis utimur, qui in publico ambulantes jactatione brachiorum integram ferè plateam occupant & nulli de via decedunt. Iidem Sybaritæ equos suos saltare consuefecerant, id quod ipsis exitio fuit. Nam in prælium progressi cum tubæ concinerent, equi saltare cæperunt, ac tota conturbata acie faci-

facilem viam hostibus conciliarunt.

A. M. 3483. *Democedes* Crotoniata Medicus à Persis captus cum *Darium & Athossam* uxorem ejus curasset, ut bellum Græcis inferret, subdolè laudatâ mulierum elegantiâ, persuasit. Missi igitur à Dario per universam Græciam exploratores, & cum illis *Democedes* Medicus, qui Crotonam reversus, ibi *Milonis* athletæ filiam uxorem duxit.

A. M. 3503. *Athenienses* Ionibus viginti naves auxilio contra Persas miserunt, quæ omnium deinceps bellorum inter Græcos & Persas origo fuerunt.

A. M. 3514. *Athenienses* Duce *Miltiade* Persas in campo *Marathonio*, magno prælio superant.

A. M. 3524. Græci maximis præliis ad *Thermopylas*, *Artemisium*, ad *Salaminam*, ad Plateas, ad montem Mycalem, Persas vincunt, de quibus supra in rebus Xerxis.

A. M. 3526. *Athenienses* urbem *Sestum* obsident obsessis tanta fame laborantibus, ut funibus lectorum elixis vescerentur.

A. M. 3530. *Pausanias* Rex Spartanorum, quod cum Persis contra Libertatem Græciæ conspirasset, fame in templo necatur, cujus fores cum lapidibus obstruerentur, primum lapidem mater Pausaniæ attulit. Hujus conspirationis particeps fuisse putatur *Themistocles* Atheniensis, qui supplicio Pausaniæ perterri-

territus ad *Xerxen* in Persiam fugit, & ab eo maximis honoribus exceptus, cum nollet Bellum contra Patriam gerere, hausto taurino sanguine, se ipsum interfecit.

A. M. 3533. *Cimon* Atheniensium Dux in Asia feliciter contra Persas bellum gerit.

A. M. 3559. *Herodotus* omnium historiographorum qui extant, antiquissimus, Libros suos Athenis magno cum applausu legit.

A. M. 3562. Per totum ferè terrarum orbem alta *pax* erat.

A. M. 3564. Insula *Samos* gravi bello concutitur ab Atheniensibus, qui abrogata Aristocratia, *Democratiam*, per vim instituebant.

A. M. 3573. Exortum fuit ingens illud bellum *civile* inter Græcos, quod *Peloponnesiacum* dicitur. Ejus authores fuerunt, *Athenienses & Spartani*. Duravit per viginti octo annos & tandem exitio Atheniensium terminatum fuit. Causa ejus fuit crescens Atheniensium Potentia, quæ invisa & suspecta erat Spartanis. Prętextus varii arripiebantur. Athenienses vehementer ad bellum impulit *Pericles*, cujus tanta fuit eloquentia, ut tonare, fulminare, & permiscere Græciam diceretur. Cum enim *Pericles* ærario Atheniensi præfectus, rationes reddere non posset, suasu *Alcibiadis*, nepotis sui adhuc admodum juvenis, bello patriam implicuit.

A. M. 3374. Secundo anno belli Peloponesia-

nesiaci erat horrenda pestis primum in Æthiopiâ orta, inde reliquum orbem pervagata, tandem Athenas crudelem in modum exhausit. Eam graphicè describit Thucydides lib. II. Curavit illam Hippocrates medicus, luculentis per totam urbem ignibus incensis: cui propterea statua erecta aurea fuit. Anno tertio belli urbs Plataeæ à Spartanis per biennium obsessa, occisis contra pacta omnibus civibus, solo æquatur. Anno belli quinti Corcyræi gravissima seditione laborarunt, in qua optimates, sive *Aristocratici* à plebe sive *Democraticis* miserabiliter necati sunt. Anno belli septimo Spartani multis cladibus fracti, pacem ab Atheniensibus, sed frustra, petierunt. Anno undecimo pax inter Spartanos & Athenienses in quinquaginta annos sancita est, quæ pax Niciæ dicitur: Sed paulo post iterum fracta. Tum temporis Athenis inclaruit *Alcibiades* Socratis discipulus, Juvenis petulantissimæ & dissolutissimæ vitæ, ac ingenio adeò versatili, ut & pessimus & optimus esset. Hic Athenienses iterum exitiabili bello involvit. Paulo post variorum scelerum accusatus ad Spartanos defecit, & ipsis felicissimam operam contra patriam navavit. Anno belli decimo nono, Athenienses ingentem cladem duce Nicia in Sicilia acceperunt, amisso toto exercitu; unde res ipsorum ad ultimam desperationem adductæ. sunt Anno belli vigesimo primo *Alcibiades* desertis Spar-

Spartanis iterum ad Athenienses se contulit & res patriæ penitus collapsas suâ audaciâ & felicitate in integrum restituit. Hujus ductu Athenienses terra marique Spartanos superant, ita ut hi denuò pacem peterent. Tantis rebus gestis *Alcibiades*, plus quam divinis honoribus affectus, Athenas rediit. Sed paulo post, cum Legatus ipsius infeliciter se absente pugnasset, iterum patria pulsus in Thraciam fugit, ubi tandem à Spartanis in domo quadam vivus concrematus fuit. Anno belli 26. *Spartani* ab Atheniensibus ad insulas *Arginusas* ingenti prælio navali superantur. Ahenienses vero inaudito facinore quindecim Duces suos damnatos ultimo supplicio affecerunt, quod tempestate impediti naufragis non tulissent suppetias, nec cæsos sepeliissent. Anno belli vigesimo septimo *Lysander* Spartanorum Dux universam Atheniensium classem ad *Ægos* potamos, oppressit, statimque *Athenas* undique cum exercitu obsedit. Anno belli 25. *Athenæ* ex Academia oppugnatæ deditionem Lysandro faciunt, hac conditione ut *Mœnia* urbis diruerentur; & omnes reliquæ *naves*, duodecim exceptis, traderentur. Hunc finem habuit bellum Peloponnesiacum, in quo florentissimum Atheniensium Imperium penitus eversum fuit. *Lysander* abrogata *Democratiâ*, triginta *Tyrannos* civitati & præsidium arci, imposuit. Ab his crudeliter in

victos

victos sævitum. Paulo post triginta tyranni à *Thrasybulo* Athenis pulsi sunt & civitati libertas restituta. Hic est ille *Thrasybulus*, qui primus *amnestiam*, id est oblivionem præteritarum injuriarum, introduxit, quo saluberrimo instituto, omnia fere civilia bella, hodieque terminari solent. Post hæc Lacedæmonii, feliciter aliquandiu in Asia ductu *Agesilai* contra Persas bella gessere, quæ pace *Antalcidis* terminata sunt.

Secutum fuit gravissimum inter *Thebanos & Lacedæmonios* bellum. *Thebanorum* dux fuit *Epaminondas*, à quo Lacedæmonii, duobus magnis præliis, ad *Leuctra* & ad *Mantineam*, profligati sunt. Sed in hoc ultimo prælio, ipse *Epaminondas*, cum immortali nominis sui gloria occubuit. Non diu post bellum *sacrum* in Græcia ortum est, contra *Phocenses*, qui sacrilego ausu templum Delphicum spoliaverant. Huic sese immiscuit *Philippus* Macedoniæ Rex, & victis Phocensibus, dominatum Græciæ, ipsis inter se discordantibus, mira calliditate paulatim invasit, ac victis ad *Cheroneam* Athenienfibus, totius Græciæ Dux & belli Persici Imperator *Corinthi* creatus est. Sed in ipso expeditionis hujus apparatu, dum nuptiis filiæ indulget, à *Pausaniâ* Satellite suo interficitur.

A. M. 3669. *Alexander* Philippi filius, à rerum gestarum magnitudine Magnus cognomina-

minatus, regnum Macedoniæ cum Ducatu *Græciæ* & bello Persico suscepit: cumque se ipsi *Thebani* opponerent, captam Urbem funditus delevit, occisis Thebanorum nonaginta millibus. Inde cum exercitu triginta millium in Asiam trajecit ac *Darium* Codomannum tribus magnis præliis, ad *Issum*, ad *Arbella* sive *Gangamela*, superavit, & fulguris instar horribili celeritate, universam Asiam perdomuit, & amplissimam Monarchiam, quæ *Macedonica* sive *Græca* dicitur, condidit. Obiit anno ætatis tricesimo secundo, Imperii duodecimo, veneno necatus à *Cassandro*. Post ejus excessum, *Philippus* Aridæus frater, aliquandiu Imperio præfuit: sed titulo tantum, omni penes exercituum duces potestate. Inde constituti liberorum Alexandri tutores, *Perdiccas*, *Pithon*, *Antipater & Polysperchon*, sub quibus totum Imperium Macedonicum, civilibus bellis exhaustum & confusum fuit, in quibus ferè omnes Duces, una cum *Olympiade* matre, *Roxane* uxore, *Hercule*, *Alexandro & Cleopatrâ*, liberis Alexandri perierunt: Ita omni ejus posteritate deleta, Imperium in amplissima regna, *Asiæ*, *Ægypti*, *Syriæ*, *Thraciæ & Macedoniæ* dilaceratum fuit.

Verum regnum Asiæ & Thraciæ mox destructum fuit, ut tria tantum remanserint *Ægypti*, *Asiæ & Macedoniæ*.

MEMO-

MEMORABILIA
REGUM SYRIÆ.

ANno Mundi 3639. Regnum *Syriæ* condidit *Seleucus* Nicator, cujus successores communi nomine *Seleucydæ* dicuntur. Hic plurimas urbes in Oriente condidit, quarum præcipuæ fuerunt *Antiochia* ad fluvium Orontem & *Seleucia* ad Tigrim; fuit hic omnium Alexandri ducum felicissimus, sed tandem anno ætatis septuagesimo quarto in prælio à *Ptolemæo* Cerauno Rege Macedoniæ obtruncatus, perit. Ei successit filius *Antiochus* qui novercam suam *Stratonicam*, uxorem duxit, arte & suasu *Erasistrati* medici. Cum enim *Antiochus* insano Stratonices amore correptus letaliter decumberet, *Erasistratus* ex pulsu arteriarum aliisque indiciis cognovit, ipsum animo, non corpore ægrotare: quapropter suasit *Seleuco*, ut si salvum vellet filium, *Stratonicam* ei cederet. Omnium Syriæ Regum maximus fuit *Antiochus* Magnus, qui contra Romanos, suasu Hannibalis formidolosum bellum gessit, in quo victus à Scipione, omnem cis *Taurum* montem Asiam amisit. Post illum *Antiochus* Epiphanes Judæos gravissimè afflixit. Reliqui Syriæ Reges, mutuis bellis & cædibus & defectione populorum ita exhausti & attriti sunt, ut Syri tantorum

malorum pertæsi, ipsis exclusis *Tigranem* Armeniæ Regem evocarent, quo per Cn. *Pompejum* victo, Romani Syriam in provinciæ formam redegerunt.

MEMORABILIA
REGNI MACEDONIÆ.

REgnum Macedoniæ *Cassander* fundavit, qui occisa *Olympiade* Alexandri M. matre, ejusque liberis, post gravia cum sociis Regibus gesta bella morbo pediculari à vermibus corrosus, periit. Post eum Macedonia aliquandiu, non modo vicinorum, verum etiam Gallorum præda reddita. Intra breve tempus varios reges habuit, ex quibus *Demetrius* Antigoni Regis Asiæ filius, à *Seleuco* Nicatore Rege Syriæ, victus in carcere periit. *Lysimachus* Thraciæ Rex à Seleuco, *Seleucus* à Ptolemęo Ceranno vincitur. Hic cum perfidè *Arsinoes* Sororis ejusdemque uxoris, filios necasset, à Gallis, duce *Belgio* occisus, periit. Ita post varias Regum & Dominorum mutationes, tandem *Antigonus* Gonatas, aliquoties à Pyrrho Regę Epiri, pulsus, eo cæso, Macedoniam obtinuit, Cui successit *Demetrius* secundus, qui occupato etiam regno *Cyrenaico*, jussu Berenices sponsæ, interfectus fuit, relicto impubere filio *Philippo* sub tutela *Antigoni* Dosonis, qui ex Tutore Regem se fecit. Eo mortuo *Philippus* omnium

omnium Macedoniæ regum maximus, successit, qui *Aratum* Sicyonium veneno sustulit, & à Romanis, duce Tito *Flaminio* consule, ingenti prælio victus fuit: In extrema senectute, domesticis quoque calamitatibus, pressus. Quippe filium *Demetrium* per calumniam à fratre *Perseo*, proditionis accusatum, occidit, & paulo post ex animi dolore, obiit. Ultimus Macedon. Rex fuit *Perseus* à P. Æmilio Consule Romano victus & triumphatus. Ita *Macedonia* à Romanis in Provinciæ formam redacta fuit.

MEMORABILIA
REGNI ÆGYPTI.

REgnum *Ægipti* condidit *Ptolemæus* Lagi filius, qui post maxima bella, regno se abdicavit, illudque vivus in filium *Ptolemæum* Philadelphum transtulit. Hic omnis Literaturæ amator & remunerator maximus, ingentem Alexandriæ Bibliothecam constituit ac Sacra Biblia ex Hebræo Sermone in Græcum, per septuaginta Interpretes verti curavit. Sub eo Ægyptus adeo floruit, ut triginta octo urbes numeraret. Post hunc *Ptolemæus* Evergetes, ob cędem sororis suæ *Berenices* Seleucum *Callinicum* & Antiochum *Hieracem* Syria ejecit. *Ptolemæus* Philopator, victo Antiocho Magno rege Syriæ, Judæos crudeliter oppressit, uxo-

rem Eurydicen & ſororem occidit, ac tandem veneno ſublatus fuit. *Ptolemæum* Philometorem Romani contra Antiochum Epiphanem per Popilium Lænatem defenderunt. Hic eſt ille *Popilius* Lænas qui Antiochum baculo circumſcripſit & dixit: hinc non egredieris, antequam reſponſum dederis, amicus an hoſtis Populi Romani eſſe velis: qua vocis conſtantia perterritus *Antiochus* Ægypto cum exercitu exceſſit. Hinc monſtrum illud *Ptolemæus* Phyſcon regnavit, qui ductâ Sorore *Cleopatrâ*, ei filium epulandum appoſuit, mox & ipſam occidit ac regno propter crudelitatem pulſus omnia turbis implevit. Ejus ſucceſſor *Ptolemæus* Lathyrus triginta millia Judæorum ſecus Jordanem occidit, & ſuperſtites, cæſorum carnibus veſci coëgit. Poſt hunc *Ptolemæus* Auletes, quem regno pulſum Cn. *Pompejus* reſtituit. Hujus filius *Ptolemæus* Dionyſius Pompejum occidit, & in bello contra Julium Cæſarem, aquis in loricâ aureâ ſubmerſus periit, fuitque ultimus Ægyptiorum rex. Ei ſucceſſit Soror *Cleopatra* famoſum illud ſcortum, quæ Marco Antonio nupſit, & ab Auguſto ad *Actium* Epiri promontorium navali prælio victa ac capta, ſeipſam morſu aſpidum, ne viva in triumpho duceretur, interfecit. Ita Ægyptus ab Auguſto in Provinciæ formam redacta fuit.

Hæc fuerunt præcipua Græcorum poſt Alexan-

xandrum magnum regna. Erant & minora aliquot, ut *Pergamenum*, quod & Asiæ minoris, *Bithyniæ*, *Cappadociæ*, *Ponti*, *Armeniæ*, omnium autem amplissimum & potentissimum *Parthorum* fundatum à quodam *Arsace*, cujus Successores communi nomine *Arsacidæ* dicebantur, quorum perpetua contra Indos, Syros & postea Romanos fuerunt bella. Ex his celebriores fuerunt, *Mithridates* Arsaces qui Regnum Parthorum ab *Indiâ*, usque ad fluvium *Euphratem* promovit: *Orodes* qui Marcum Crassum cum toto Exercitu Romano delevit, & maximis contra Romanos bellis gestis à Ventidio victus, & ex dolore in furorem versus, à filio *Phraate* occisus fuit. Inde Arsacidarum domi res, intestinis collisæ dissidiis, *Parthorum* Imperium cædibus, ac confusione impleverunt; & is fere rex erat, quem Romani dederant, vel defendebant. Ultimus ex hac familiâ fuit *Artabanus*, quo obtruncato, *Artaxerxes* Persa Imperium à Parthis ad Persas transtulit. Cujus successor fuit *Sapor*, qui Imperatorem *Valerianum*, captum excoriavit. Postquam nonus ordine *Sapor* secundus, ingentibus bellis res Romanas attrivit. Inde inprimis celebrantur *Cosroes* primus & secundus, quorum res gestæ amplissimæ fuerunt. Ultimus fuit *Ierdegid*, quo victo, Saraceni Arabes, Imperium Persicum in suam potestatem redegerunt.

MEMORABILIA ROMANORUM.

ROMA fuit condita à Romulo. Hic *Romulus* cum fratre *Remo* in infantia expositus, & à Lupa admotis uberibus, id est à scorto quodam lactatus, juventutem inter prędones latrocinio exercuit, & tandem vir factus Urbem *Romam* condidit, ejusque primus Rex creatus fuit. Ut vero novam Urbem suam civibus impleret, Asylum constituit. Ita confluentibus undique Sceleratis, brevi Urbs impleta hominibus fuit. Cumque uxores tantæ multitudini deessent, institutis ludis consualibus, septingentas virgines *Sabinas* rapi jussit, unde bellum, & in media urbe cum raptarum parentibus, atrox prælium; sed mox utramque aciem raptis intercursantibus & hinc parentes, inde maritos inclamantibus diremptum ac pace terminatum. Ita *Romulus* aucta urbe sua & vicinis aliquot oppidis expugnatis, cum centum *Patres*, veluti Senatum legisset, ab illis clam interfectus, & in minutas particulas dissectus periit, & abolendo hoc parricidio, sparsus rumor tempestate & turbine in cœlum raptum. Ei in Regno successit Numa Pompilius, qui perpetua pace Rempublicam legibus & religione exornavit. Tertius Rex *Tullus* Hostilius, sub quo celebris illa pugna ter geminorum.

rum. Cum enim bellum inter Romanos & *Albanos* grave & diuturnum flagraret, utrique parti visum, ter geminos fratres eligere, qui de summa imperii inter se decertarent. Favit Romanis fortuna & ab ipsorum parte solus superstes *Horatius* præclaram patriȩ victoriam conciliavit, quam tamen mox parricidio Sororis contaminavit. Ita ex pacto *Alba* diruta, cives Romam traducti, quorum Rex Metius *Suffetius*, cum proditionem moliretur, jussu Tulli Hostilii equis distractus & dilaceratus fuit. Ipse vero *Tullus*, paulò post, cœlesti fulmine cum familia conflagravit. Quartus Rex *Ancus* Martius, urbem Aventino & Janiculo, montibus amplificavit, ac Coloniam ad *Ostiam* Tiberis deduxit. Quintus *Tarquinius* Priscus, dolo filiorum Anci Martii interemptus fuit. Sextus Servius Tullius urbe auctâ, civibus in classes distributis, censu habito perfidia filiæ suæ *Tulliæ* inaudito scelere trucidatus fuit, à *Tarquinio* Superbo genero suo. Septimus & ultimus Regum Romanorum hic ipse *Tarquinius* Superbus, multis victoriis Romam ornavit: Cætera tyrannus atrox. Hujus inventum fuit, eminentia *papaverum* capita decutere, quo innuebat, præstantissimos quosque cives necandos, quo reliqua multitudo, servitute premi possit. Hic *Capitolium* Romæ condidit & fatidicos libros à Sibylla Cumæa anu, emit.

Tandem cum filius ipsius *Sextus* Stuprum honestissimæ Matronæ *Lucretiæ* intulisset, eaque se, impatientiâ tanti flagitii cultro confodisset, à Lucio Junio Bruto & aliis Romanis Regnum ipsi abrogatum fuit, & cum frustra restitutionem suam armis & auxiliis vicinorum *Porsennæ* Regis Hetruriæ, quæsivisset, exul obiit.

A. M. 3500. Imperium *Consulum* cum libertate in Rep. Romana cœpit, sub quibus plurima & perpetua ferè bella, eaque vel externa vel civilia. Inter externa celebriora fuerunt:

I. *Hetruscum* contra Regem *Porsennam*, Tarquinios reducentem, pro libertate, gestum: In quo *Mutius* Scævola & *Horatius* Cocles insignia fortitudinis exempla ediderunt.

II. *Hetruscum* quod Clade *Cremerensi*, in qua trecenti *Fabii* cæsi sunt, memorabile est.

III. *Gallicum*, in quo Romani ad *Alliam* fusi: *Roma* capta, *Capitolium* obsessum & à *Camillo* liberatum est, ac Galli internecione deleti.

IV. *Latinum* secundum, in quo *Titus* Manlius, filium, quod extra ordinem pugnasset, securi percussit.

V. *Samniticum*, in quo Romani ad *Furcas* Caudinas, sub jugum missi & tandem *Samnites* à Lucio Papyrio planè debellati sunt.

VI. *Hetruscum* tertium, in quo *Publius* Decius

cius Mus ſe pro exercitu devovit.

VII. *Tarentinum*, in quo *Pyrrhus* Rex Epiri Romanos ad fluvium *Lyrin*, terrore *Elephantorum* vicit, & ab iis poſtea aliquoties victus, cum nec eloquentiâ *Cyneæ* Senatum, nec pecuniâ *Fabricium*, aut *Curium* corrumpere potuiſſet, Italiâ pulſus & paulò poſt in Græcia occiſus fuit.

VIII. *Punicum* primum, quod Romani contra Carthaginenſes totis viginti tribus annis pro *Siciliâ* geſſerunt, in quo poſt varias clades *Marcus* Attilius *Regulus* à Carthaginenſibus captus & miſerè excarnificatus: *Carthaginenſes* vero ad Inſulas *Ægates* victi, & omnibus inter *Italiam & Africam* inſulis ſpoliati ſunt.

IX. *Punicum* ſecundum, cujus occaſio fuit *Saguntus* ab Hannibale deleta, in quo *Hannibal* Romanos quatuor ingentibus præliis ad *Ticinum*, ad *Trebiam*, ad *Thraſymenum* & ad *Cannas* profligavit Romanam tamen rem *Fabius* cunctando, *Scipio* pugnando, confirmarunt. *Hannibal* cum Romam capere poſſet, maluit ſe *Campaniæ* deliciis enervare. Eventus belli fuit, quod *Hannibal*, cum jam ſedecim annis Italiæ incubaſſet, à *Scipione* in Africâ victus, & pacem petere coactus fuit.

X. *Macedonicum*, in quo *Philippus* Rex Macedoniæ ad *Cynoſcephalas* à Flaminio victus eſt, & libertas Græciæ reſtituta. Poſtea

cum id bellum *Perseus* Philippi filius renovaret, ab Æmilio victus, captus & triumphatus fuit, ac Macedonia in Provinciæ formam redacta.

XI. Syriacum, in quo *Antiochus* Magnus Rex Syriæ à *Scipione* Asiatico ad montem *Sipylum* victus, & omni cis Taurum montem, Asiâ, spoliatus est. Hujus belli fax, Hannibal fuit.

XII. Punicum III. Cujus *Marcus* Cato *Suasor* dissuadente Publio *Cornelio* Nasicâ, in quo *Carthago* à Scipione Africano minore expugnata, & incendio septendecim dierum deleta est.

XIII. *Achaicum*, in quo *Corinthus* à Mummio *deleta* est.

XIV. *Hispanicum*, in quo *Viriatus* Dux Lusitanorum Romanos multis cladibus affecit, donec eum emptis percussoribus, interimerent.

XV. *Numantinum*, quod totos viginti annos duravit, in quo quatuor Numantinorum millia Romanos inauditis cladibus affecerunt, & consulem Mancinum ad turpissimam pacem adegerunt: tandem à Scipione Africano fame constricti se cum totâ urbe combusserunt.

XVI. *Iugurthinum*, in quo *Iugurtha* Rex Numidiæ, callidus, perfidus, simulque fortissimus, quod fratres suos necasset, à Metello & Mario.

Mario victus, triumphatus & in carcere ſtrangulatus eſt.

XVII. *Cimbricum*, in quo Cimbri à C *Mario* deleti, & eorum Uxores ad deſperationem adactæ ſunt.

XVIII. *Mithridaticum*, *quod* Romani contra *Mithridatem* Regem *Ponti totos* 30. annos geſſerunt, in quo *Mithridates* poſt maxima facinora à *Sylla* Lucullo tandemque C. *Pompejo* debellatus, & à filio ſuo *Pharnace* obſeſſus, cum ſe veneno interimere non poſſet, à ſervo confoſſus eſt.

XIX *Parthicum*, in quo M. *Craſſus dives*, à Parthis captus & occiſus inque rictum oris ejus aurum liquidum infuſum eſt.

XX. *Servile* quod *Eunus* quidam, ſimulato *furore* excitavit, in quo *Servi* tumultuantes debellati ſunt.

XXI. *Spartacum* ſive Gladiatorium, in quo *Spartacus* gladiatores & ſervos armavit, & tandem cum ſuis ad deſperationem adactus eſt.

XXII. *Sertorianum*, quod Sertorius à Syllâ proſcriptus in Hiſpania ſuſcitavit; & multis fortiter feliciterque geſtis tandem perfidè à ſuis in cœna interfectus periit. Hæc fuerunt præcipua bella externa.

Sequuntur jam Civilia ſive interna. I. *Marſicum* ſive *Italicum*, quod *Itali* pro jure civitatis contra *Romanos* geſſerunt, & in quo tandem debellati ſunt.

II. *Marianum* ortum propter imperium belli *Mithridatici* inter *Syllam & Marium*, in quo *Sylla* Romam occupavit; *Marius* ex Minturnensi carcere elapsus, eam recepit, & horrendas cædes cum *Syllâ* in urbe patravit. Tandem *Sylla* prævaluit ac cædibus & proscriptione in adversarios immaniter sæviit.

III. *Catilinarium*, in quo *Catilina* qui contra Remp. conjuraverat à *Cicerone* Consule urbe pulsus, à C. *Antonio* victus cæsusque in prælio fuit.

IV. P*ompejanum*, in quo Cn. P*ompejus* Magnus à *Iulio* Cæsare Italiâ pulsus & in P*harsalicis* campis victus in *Ægyptum* fugit, ac ibi, jussu P*tolemæi* Dionysii Regis interfectus est, ejusque partes ab *Antonio & Octavio* Augusto planè deletæ sunt.

Fuerunt & *Seditiones* aliquot *Civiles* veluti *Siciniana*, Virginiana, C*ornuleiana*, *Liciniana*, *Gracchana*, *Saturnina*, *Drusiana*, pleræque inter *plebem & nobilitatem*, ob honorum communionem gestæ.

Abrogatâ *Libertate* IMPERATORES summam potestatem Romæ ad se transtulerunt, authore *Iulio* Cæsare, qui oppressa *Libertate* Imperium *Dictatoris* nomine invasit & in Curia à *Marco* Bruto, *Cassio* aliisque conjuratis 23. vulneribus iuterfectus est.

A. M. 3977. *Octavius* Augustus cum percussores Cæsaris omnes neci dedisset, Sexto Pom-

Pompejo apud Siciliam oppresso, enecato Lepido, interfecto Antonio, supremum & legibus solutum Imperium à Senatu Romano accepit ac feliciſſimè adminiſtravit, unica tantùm memorabili clade in Germania ab Arminio accepta. Cæterum domi infelix, propter uxoris impotentiam, filiæ & neptis impudicitiam, nepotis Agrippæ atrocitatem: unde omnibus, quos Imperio destinaverat prænatura morte amiſſis, Tiberium privignum Succeſſorem declarare coactus fuit, & cum ejus facti pœnitentia ductus Agrippam nepotem suum ab exilio revocare meditaretur, detecto illo consilio, ab Uxore Livia veneno necatus fuit.

III. Tiberius simulator & diſſimulator maximus cum Germanicum fratris sui filium ampliſſimæ spei Juvenem, cum tota familia nefariè necaſſet, & asperrimam tyrannidem in omnes exercuiſſet, *Capreis* ebrietati, libidini, crudelitati indulgens, oppresso *Sejano*, in extrema senecta pulvino à *Macrone* suffocatus summa populi lætitia periit.

IV. *Caligula* prodigalitate & immanitate plusquam monstrosa equum suum consulem Romanum designat, & perpetratis ingentibus sceleribus conspiratione militum interficitur.

Anno 41. V. *Claudius*, homo stolidus, non tamen omninò peſſimus, multa moderatè & feliciter, multa stultè & crudeliter agit, Uxorem

rem *Messalinam* impudicissimam, quæ ipso vivo, alii nubere ausa fuerat, interficit,& ducta Agrippina ab eadem veneno tollitur.

Anno 54. VI. Nero primo quinquennio optimus, postea pessimus *Caligulam* imitatur, matrem *Agrippinam*, præceptorem *Senecam*, & optimum quemque interficit: Tandem rebellantibus passim exercitibus, se ipsum jugulat.

VIII. *Sulpitius* Galba ob avaritiam occiditur à militibus. Iterum anno 68. *Sylvius* Vitellium tribus præliis vincit, quarto victus se ipsum odio Civilium bellorum interfecit. Eodem IX. Aulius *Vitellius* Capitolium cremat, miserrimè necatur.

Anno 69. X. *Flavius* Vespasianus Germanos, duce *Civili* Batavo, tumultuantes reprimit, magna tributa exigit, per *Titum* filium *Hierosolymam* solo æquat.

Anno 79. XI. *Titus* Vespasianus clementiâ & liberalitate excellit.

Anno 81. XII. *Domitianus* crudelissimus Tyrannus secundam persecutionem contra Christianos movet, muscas configit, occiditur.

Anno 96. XIII. Coccejus *Nerva*, optimus Princeps Trajanum adoptat.

Anno 98. XIV. *Vlpius* Trajanus Armeniam, Assyriam, Mesopotamiam subigit, *Decebalum* vincit.

Anno 119. XV. *Adrianus* in Britannia

murum

murum ſtruit, contra irruptiones Scotorum & Pictorum, Judæos ingenti clade debellat.

Anno 138. XVI. *Antoninus* Pius, Germanos, Dacos, Judæos, contundit.

XVII. *Antoninus* Secundus Parthos coercet, Marcomannos precibus Legionis Chriſtianæ fulminatricis vincit.

Anno 180. XVIII. *Commodus*, monſtrum hominis Britannos domat, ab *Vxore & Narciſſo* interficitur.

Anno 193. XIX. *Pertinax* octuageſimo quinto die Imperii occiditur: Eodem anno Didius *Iulianus* Imperium emit, juſſu Senatus occiditur. Eodem anno vigeſimus primus *Septimius* Severus Princeps ſuſpicax & crudelis Peſcennium Nigrum, & Albinum Britanniæ & Syriæ Cæſares vincit; Britannos domat, murum contra Scotos ſtruit, Chriſtianos perſequitur.

Anno 211. XXII. *Antoninus* Caracalla fratrem Getam in ſinu matris occidit, *Iulia* matre pro uxore utitur: hæc eſt illa *Iulia* quæ dixit: *Si libet licet, an neſcis te Imperatorem eſſe & leges dare non accipere?*

Anno 217. XXIII. *Opilius* Macrinus, à militibus interficitur.

Anno 218. XXIV. Varius Antoninus *Heliogabalus*, homo turpiſſimus & luxurioſſimus, miſerum exitum habet.

Anno 222. XXV. Alexander *Severus*, Princeps

ceps bonus Parthos vincit, Moguntiæ cum matre occiditur.

Anno 234. XXVI. Julius *Maximus*, homo ferox Gordianos opprimit, ac ad Aquilejam cum filio pulcherrimo, interficitur.

Anno 237. XXVII. *Gordianus* Junior in Persia occiditur.

Anno 244. XXVIII. *Iulius* Philippus Arabs Christianismum amplectitur, in conflictu cum Decio occiditur.

Anno 251. XXIX. *Decius* cum Gothis pugnat: occiditur.

Anno 252. XXX. *Vibius* Gallus, fedus cum hoste ignominiosum facit, ab Æmiliano vincitur.

Anno 256. XXXI. *Æmilianus* à militibus eligitur & occiditur.

Eodem anno XXXII. Licinius Valerianus à Sapore Persarum Rege captus, miserrimè tractatur, & tandem vivus excoriatur.

Anno 260. XXXIII. *Gallienus* impius in patrem Valerianum cum obsideret Mediolanum occiditur: ejus tempore 30. Tyranni Imperium Romanum miserè dilacerarunt.

Anno 267. XXXIV. *Claudius* Dalmata Alemanos vincit, cum Scythis acre bellum gerit.

Anno 169. XXXV. Valerius *Aurelianus* Marcomannos vincit, *Zenobiam* Palmyrenorum reginam triumphat.

Anno

Anno 276. XXXVI. *Claudius* Tacitus Scythas repellit. Hiſtoriam Cornelii Taciti magni facit.

Anno 277. XXXVII. *Aurelius* Probus Germanos & Sarmatas contundit, *Saturninum* Anti-Cæſarem amovet.

Anno 283. XXXVIII. Marcus Aurelius *Carus* Carinum & Numerianum filios Cæſares appellat.

Anno 284. XXXIX. *Diocletianus* Charinum vincit, Maximianum & Valerium Cæſares creat, Chriſtianos acerrimè perſequitur, Imperio ſe abdicat.

XL. Flavius *Conſtantinus* Chlorus, Maximianum interficit: *Eboraci* in Britannia moritur.

Anno 306. XLI. *Conſtantinus* Magnus, *Maximianum* Socerum ſtrangulat, *Maxentium* in Tiberi ſuffocat, *Licinium* opprimit, Chriſtianam Religionem abrogata gentilium Idololatria introducit, Sedem Imperii, relicta *Româ*, Conſtantinopolim transfert.

Hactenus de Imperio Romano indiviſo, jam diviſum ſequitur. Nam *Conſtantinus* Magnus Imperium in *Occidentale & Orientale* diviſit.

IMPE-

IMPERATORES
OCCIDENTIS.

I. Constantinus II. 3. Imperii anno occiditur.

II. *Constans* Athanasium defendit, fraudulenter interficitur. His interfectis solus *Constantinus* factus est Imperator & Orientis & Occidentis.

Magnentium victum ad mortem adegit, de *Gallo* crudeli Cæsare supplicium sumpsit, *Iulianum* Socium ascivit, sed ab eo perfidè desertus fuit.

Anno 361. *Iulianus* Apostata, Ethnicam & Judaicam Religionem, abolito unà cum templo Hierosolymitano Christianismo restituere frustra conatur. In bello Persico ab ignoto equite, vel sagitta cœlo demissa occiditur.

Anno 363. *Iovianus* cum *Sapore* Rege Persarum pacem ignominiosam facit, fœtore prunarum suffocatur.

Anno 364. *Valentinianus* primus cum fratre Valente imperium dividit. *Valens* à Gottis comburitur.

Anno 375. *Gratianus* Theodosium collegam adsciscit, Alemannos magno prȩlio vincit.

Valentinianus II. Maximum anticæsarem, per Theodosium vincit, fraude *Arbogastis* strangulatur.

Anno

Anno 379. *Theodosius* Gottos comprimit, *Eugenium* tyrannum debellat, *Honorium* & *Arcadium* filios, Imperatores creat. Ita iterum alii in *Oriente*, alii in *Occidente* Imperatores fiunt.

IN OCCIDENTE.

I. ANno 393. *Honorius* Alaricum Gotthorum Regem Italia pellit, *Stiliconem* occidit, ab *Alarico* Ravenna obſidetur. Sub eo Gotti, Vandali & aliæ gentes Scythicæ ac Germanicæ Imperium Romanum miſerrimè vaſtarunt.

II. Anno 408. *Valentinianus* III. maximis cladibus exercetur, ob impudicitiam occiditur. Sub eo *Attila* Rex Hunnorum Italiam vaſtavit, & *Anglo-Saxones* contra Scotos evocati in Britanniam venerunt. Poſt eum Imperium Occidentis planè à Barbaris deſtructum fuit, & tunc nova illa regna *Franciæ*, *Angliæ*, *Hiſpaniæ*, *Italiæ*, *Longobardiæ*, *Hungariæ* & alia conſtituta ſunt. Ultimus Imperator in Occidente fuit *Romulus* Momyllus *Auguſtulus*, in quò fatale utrumque nomen & Romuli & Auguſti occurrebat, poſt quem defecit Series Imperatorum uſque ad tempora *Caroli* Magni per quadringentos ferè annos.

IMPE-

IMPERATORES ORIENTIS SIVE CONSTANTINOPOLITANI.

I. A*Rcadius* Rufinum & Eutropium opprimit.

II. *Theodosius* II. Persas vincit.

III. *Martianus* ab iis iterum vincitur.

IV. *Leo* V. Zeno & alii longo ordine, ex quibus celebriores fuerunt.

Anno 537. *Iustinianus* primus, qui per *Bellisarium* Africam à Vandalis recepit, per *Narsetum* Gottorum Regnum in Italia destruxit, *Corpus* Juris per Tribonianum promulgavit.

Mauritius avaritia fœdus, qui cum milites captivos exiguo ære redimere nollet, à *Phocâ* miserè cum totâ familiâ trucidatus fuit.

Anno 602. P*hocas* Bonifacium III. Episcopum Romanum declarat, *Caput* Ecclesiæ, ab *Heraclio* præcisis manibus pedibusque comburitur.

Anno 610. *Heraclius* Persas vincit: sub eo exortus est Muhamed in Arabia falsus P*ropheta*, qui imperium Saracenicum condidit. Ab eo tempore perpetua inter Imperatores Orientis & Saracenos bella fuerunt.

Anno

Anno 716. *Leo* Isaurus Saracenos ingenti prælio vincit, imagines templis proturbat.

Irene Imperatrix Imperium Occidentis *Carolo* Magno concedit: ab eo tempore iterum Imperatores *Occidentis* esse cœperunt.

Sub eo Imperium *Orientis* magis magisque à Saracenis & Turcis ita debilitatum est, ut universam Asiam Græci amitterent, donec tandem *Latini* sive Occidentales Anno 1204. Imperio Orientis potirentur, quorum primus Imperator fuit *Balduinus* Flandriæ Comes. Sed hi aliquandiu, post à Græcis iterum ejecti fuerunt, quemadmodum etiam Saraceni, Syriam & Hierosolymam à Christianis recuperarunt, tandem Imperium Orientis omninò à Turcis destructum fuit. A. 1453. Qui *Machomet* secundus Turcarum Imperator, Urbem *Constantinopolim* expugnavit, & ultimum Imperatorem Græcorum Constantinum Paleologum interfecit.

HISTORIA NOVA SEU RECENS.

I. HISTORIA *recentior est vel Orientalis, vel Occidentalis, vel Australis.*

II. *Orientalis, vel Scythica, vel Æthiopica, vel Chataica.*

patriæ ſeſe limitibus continuerunt. Celebriores Reges hi fuerunt.

Anno 1102. *Nicolaus*, à Slesvicenſibus ad templi portum occiſus.

Anno 1160. *Valdemarus* primus, qui *Rugios*, *Obotritos*, *Roſtochienſes*, *Stetinenſes*, *Wolgaſtanos* acerrimè oppugnavit & titulum Regis *Vandalorum* propterea ſuſcepit. Ab hoc florentiſſima Pomeraniæ Urbs *Iulinum* funditùs deleta fuit.

Anno 1202. *Valdemarus* II. *Hamburgum* recuperavit.

Anno 1333. *Valdemarus* III. Cognomine *Reprobus*, quanquam Regnum glorioſo bello vindicaſſet, nihilominus, nobilitati exoſus, variis tum rebellionibus ſuorum vexatus, tum criminibus & calumniis oneratus fuit; Hujus filia & ſucceſſor, fuit Margaretha, quæ ob rerum geſtarum magnitudinem Semiramis Danorum dicitur. Hæc tria Regna Septentrionalia Alberto Rege Sueciæ capto, perpetuo fœdere, & Unione conjunxit, ſancita lege, ut ab uno impoſterum Rege gubernarentur. Ab hac adoptatus Ericus *Pomeraniæ* Dux, tria regna, ſed infeliciter adminiſtravit, ac tandem *Suecorum* Danorumque ſeditionibus fatigatus, relictis regnis, in Pomeraniam ſuam receſſit.

Succeſſorem habuit Anno 1438. *Chriſtophorum* Comitem *Palatinum*, qui cum & ipſe

Impro-

Improlis obiisset; Dani *Christianum* primum Comitem Oldenburgensem regem crearunt, cujus hodieque posteritas regno præest.

Anno 1448. Hic varia cum *Sueciæ* subinde ab unione deficientibus, bella gessit & fundamenta Academiæ *Hafniensis* posuit. Eadem *Iohannis* filii ipsius fortuna, quem Sueci perpetuis bellis exercuerunt, sed imprimis memorabilis est infelix ejus contra *Ditmarsos* expeditio, in quâ à paucis *rusticis* validissimus exercitus, miserabili nobilitatis strage profligatus fuit.

Huic successit Anno 1513. *Christianus* II. quo majorem *tyrannum* Septentrio nunquam vidit, qui regno *Sueciæ* recuperato, contra fidem datam, horribili cæde in quosvis grassatus, eâ immanitate Danorum pariter & Suecorum animos ita exacerbavit, ut tribus regnis dejectum, ad perpetuos insuper carceres condemnarint, in quibus per *viginti septem* annos miserabilem vitam traxit. In ejus locum ordines suffecerunt *Fridericum* I. Holsatiæ Ducem, qui *Lutheri* Doctrinam publicè recipi jussit. Quo defuncto cum nihil non molirentur amici *Christiani* II. quo eum præstituerent; *Haffniâ* arctissimè obsessâ, tamen omnes eorum conatus irriti fuêre, & Regnum *Christiano* III. Friderici filio, mansit, qui Princeps laudatissimus fuit.

Ei successit A. 1559. *Fridericus* II. qui &

Ditmarsiam hactenus insuperabilem domuit & septennale idque gravissimum cum *Erico* Sueciæ rege bellum gessit.

Ejus filius *Christianus* IV. Anno 1585. puer decennis ad regnum pervenit, maximis contra *Suecos & Imperatorem* bellis, celebris.

A. 1648. Cui nuper filius *Fridericus* III. successit, qui hodieque regnat & regnum hæreditarium fecit.

MEMORABILIA

NORVEGIÆ.

Norvegia antiquissimis seculis in complura regna divisa, multis regibus, inter se discordibus subjecta fuit. Donec tandem circa annum Christi 878. *Haraldus*, cognomine *Harfagerus* sive *Pulchricomus*, cæteris pulsis *Monarchiam* constituisset, cujus familia usque ad annum 1388. continuâ successione regnavit; Famosissimæ fuere *Normannorum* (ita enim *Norvegi* circa annum 800. appellabantur:) in Universam Europam excursiones, quam immanem in modum deprædati, horrendam urbium pariter ac hominum stragem passim ediderunt. Unde publicis precibus hæc formula fuit addita. *A Furore* Normannorum *Libera* nos Domine.

Anno 900. *Islandia* à Norvegis primum habitata fuit, & ex eâ quidam Ericus Rufus Colo-

Coloniam in *Gronlandiam* duxit: Unde postea Reges *Norvegiæ*, jus sibi & Imperium in utramque regionem vendicarunt.

Olaus Haraldi Harphageri nepos primus fidem *Christianam* Norvegis & *Islandis* tradidit. Magna inde *Norvegiorum* potentia fuit, qui non modo *Orcades* verum etiam *Hiberniam* sceptro suo subjecerunt. Ultimus ex familiâ *Harphagerorum* Norvegiæ rex fuit *Hacquinus*, qui ductâ Margarethâ Daniæ *Semiramide*, de qua supra, Daniam *Norvegiæ* perpetuo fœdere conjunxit: ab eo tempore potentia Norvegorum admodum sub alio sceptro declinavit.

MEMORABILIA

SUECIÆ.

Regum Sueciæ fabulosa series à *Magogo* Japheti filio, Noachi nepote, deducitur. Primam hujus regni mentionem facit Tacitus. Post eum iterum altum silentium usque ad Annum Christi 800. Quo tempore sicut Sueciæ *Christiana* fides à Sancto Anschario Bremensi Episcopo: ita Christianis Suecia propius innotuit. Ab eo tempore hi celebriores reges commemorantur.

Anno 1150. *Ericus* Sanctus, qui magnifico *Upsaliæ* templo exstructo, *Finlandos* ad fidem Christianam convertit.

Ditmarsiam hactenus insuperabilem domuit & septennale idque gravissimum cum *Erico* Sueciæ rege bellum gessit.

Ejus filius *Christianus* IV. Anno 1585. puer decennis ad regnum pervenit, maximis contra *Suecos & Imperatorem* bellis, celebris.

A. 1648. Cui nuper filius *Fridericus* III. successit, qui hodieque regnat & regnum hæreditarium fecit.

MEMORABILIA

NORVEGIÆ.

Norvegia antiquissimis seculis in complura regna divisa, multis regibus, inter se discordibus subjecta fuit. Donec tandem circa annum Christi 878. *Haraldus*, cognomine *Harfagerus* sive *Pulchricomus*, cæteris pulsis *Monarchiam* constituisset, cujus familia usque ad annum 1388. continuâ successione regnavit; Famosissimæ fuere *Normannorum* (ita enim *Norvegi* circa annum 800. appellabantur:) in Universam Europam excursiones, quam immanem in modum deprædati, horrendam urbium pariter ac hominum stragem passim ediderunt. Unde publicis precibus hæc formula fuit addita. A *Furore* Normannorum *Liberà* nos Domine.

Anno 900. *Islandia* à Norvegis primum habitata fuit, & ex eâ quidam Ericus Rufus

Colo-

Coloniam in *Gronlandiam* duxit: Unde postea Reges *Norvegiæ*, jus sibi & Imperium in utramque regionem vendicarunt.

Olaus Haraldi Harphageri nepos primus fidem *Christianam* Norvegis & *Islandis* tradidit. Magna inde *Norvegiorum* potentia fuit, qui non modo *Orcades* verum etiam *Hiberniam* sceptro suo subjecerunt. Ultimus ex familiâ *Harphagerorum* Norvegiæ rex fuit *Hacquinus*, qui ductâ Margarethâ Daniæ *Semiramide*, de qua supra, Daniam *Norvegiæ* perpetuo fœdere conjunxit: ab eo tempore potentia Norvegorum admodum sub alio sceptro declinavit.

MEMORABILIA

SUECIÆ.

Regum Sueciæ fabulosa series à *Magogo* Japheti filio, Noachi nepote, deducitur. Primam hujus regni mentionem facit Tacitus. Post eum iterum altum silentium usque ad Annum Christi 800. Quo tempore sicut Sueciæ *Christiana* fides à Sancto Anschario Bremensi Episcopo: ita Christianis Suecia propius innotuit. Ab eo tempore hi celebriores reges commemorantur.

Anno 1150. *Ericus* Sanctus, qui magnifico *Upsaliæ* templo exstructo, *Finlandos* ad fidem Christianam convertit.

Ditmarsiam hactenus insuperabilem domuit & septennale idque gravissimum cum *Erico* Sueciæ rege bellum gessit.

Ejus filius *Christianus* IV. Anno 1585. puer decennis ad regnum pervenit, maximis contra *Suecos* & *Imperatorem* bellis, celebris.

A. 1648. Cui nuper filius *Fridericus* III. successit, qui hodieque regnat & regnum hæreditarium fecit.

MEMORABILIA
NORVEGIÆ.

Norvegia antiquissimis seculis in complura regna divisa, multis regibus, inter se discordibus subjecta fuit. Donec tandem circa annum Christi 878. *Haraldus*, cognomine *Harfagerus* sive *Pulchricomus*, cæteris pulsis *Monarchiam* constituisset, cujus familia usque ad annum 1388. continuâ successione regnavit; Famosissimæ fuere *Normannorum* (ita enim *Norvegi* circa annum 800. appellabantur:) in Universam Europam excursiones, quam immanem in modum deprædati, horrendam urbium pariter ac hominum stragem passim ediderunt. Unde publicis precibus hæc formula fuit addita. *A Furore* Normannorum *Libera* nos Domine.

Anno 900. *Islandia* à Norvegis primum habitata fuit, & ex eâ quidam Ericus Rufus

Colo-

Coloniam in *Gronlandiam* duxit: Unde postea Reges *Norvegiæ*, jus sibi & Imperium in utramque regionem vendicarunt.

Olaus Haraldi Harphageri nepos primus fidem *Christianam* Norvegis & *Islandis* tradidit. Magna inde *Norvegiorum* potentia fuit, qui non modo *Orcades* verum etiam *Hiberniam* sceptro suo subjecerunt. Ultimus ex familiâ *Harphagerorum* Norvegiæ rex fuit *Hacquinus*, qui ductâ Margarethâ Daniæ *Semiramide*, de qua supra, Daniam *Norvegiæ* perpetuo fœdere conjunxit: ab eo tempore potentia Norvegorum admodum sub alio sceptro declinavit.

MEMORABILIA
SUECIÆ.

Regum Sueciæ fabulosa series à *Magogo* Japheti filio, Noachi nepote, deducitur. Primam hujus regni mentionem facit Tacitus. Post eum iterum altum silentium usque ad Annum Christi 800. Quo tempore sicut Sueciæ *Christiana* fides à Sancto Anschario Bremensi Episcopo: ita Christianis Suecia propius innotuit. Ab eo tempore hi celebriores reges commemorantur.

Anno 1150. *Ericus* Sanctus, qui magnifico *Upsaliæ* templo exstructo, *Finlandos* ad fidem Christianam convertit.

IMPERATORES ORIENTIS SIVE CONSTANTINOPOLITANI.

I. *Arcadius* Rufinum & Eutropium opprimit.

II. *Theodosius* II. Persas vincit.

III. *Martianus* ab iis iterum vincitur.

IV. *Leo* V. Zeno & alii longo ordine, ex quibus celebriores fuerunt.

Anno 537. *Iustinianus* primus, qui per *Bellisarium* Africam à Vandalis recepit, per *Narsetum* Gottorum Regnum in Italia destruxit, *Corpus* Juris per Tribonianum promulgavit.

Mauritius avaritia fœdus, qui cum milites captivos exiguo ære redimere nollet, à *Phocâ* miserè cum totâ familiâ trucidatus fuit.

Anno 602. P*hocas* Bonifacium III. Episcopum Romanum declarat, *Caput* Ecclesiæ, ab *Heraclio* præcisis manibus pedibusque comburitur.

Anno 610. *Heraclius* Persas vincit: sub eo exortus est Muhamed in Arabia falsus P*ropheta*, qui imperium Saracenicum condidit. Ab eo tempore perpetua inter Imperatores Orientis & Saracenos bella fuerunt.

Anno

Anno 716. *Leo* Isaurus Saracenos ingenti prælio vincit, imagines templis proturbat.

Irene Imperatrix Imperium Occidentis *Carolo* Magno concedit: ab eo tempore iterum Imperatores *Occidentis* esse cœperunt.

Sub eo Imperium *Orientis* magis magisque à Saracenis & Turcis ita debilitatum est, ut universam Asiam Græci amitterent, donec tandem *Latini* sive Occidentales Anno 1204. Imperio Orientis potirentur, quorum primus Imperator fuit *Balduinus* Flandriæ Comes. Sed hi aliquandiu, post à Græcis iterum ejecti fuerunt, quemadmodum etiam Saraceni, Syriam & Hierosolymam à Christianis recuperarunt, tandem Imperium Orientis omninò à Turcis destructum fuit. A. 1453. Qui *Machomet* secundus Turcarum Imperator, Urbem *Constantinopolim* expugnavit, & ultimum Imperatorem Græcorum Constantinum Paleologum interfecit.

HISTORIA NOVA SEU RECENS.

I. **Historia *recentior est vel Orientalis, vel Occidentalis, vel Australis.***

II. *Orientalis, vel Scythica, vel Æthiopica, vel Chataica.*

III.

III. *Scythica, vel Germanica, vel Hunnica, vel Sclavonica.*

IV. *Germanica, vel Gothica, vel Francica, vel Anglo-Saxonica.*

V. *Gothica est vel Normandica, vel Vest-Gotica, vel Ost-Gotica.*

VI. *Normandica, vel Scandica, vel Sicula.*

VII. *Scandica, vel Danica, vel Norwegica, vel Suecica.*

VIII. *Vest-Gotica, vel Asturica, vel Navarraea, vel Arragonica, vel Castiliana, vel Portugallica.*

IX. *Francica, vel Germanica, vel Gallica.*

X. *Hunna, vel Vngarica, vel Turcica, vel Tartarica.*

XI. *Slavonica, vel Dalmatica, vel Sarmatica.*

XII. *Dalmatica, vel Croatica, vel Servica, vel Rascica, vel Bosnica, vel Bulgarica.*

XIII. *Sarmatica est vel Bohemica, vel Polonica, vel Rußica.*

XIV. *Æthiopica est vel Arabica, vel Africana, vel Indica.*

XV. *Cataica est vel Sinensis, vel Coreana, vel Iaponica.*

XVI. *Occidentalis est vel Mexicana, vel Peruana.*

XVII. *Australis est incognita.*

ME-

MEMORABILIA HISTORIÆ GERMANICÆ.

Circa Annum Christi quadringentesimum, cum *Majestas* Imperii Romani paulatim collaberetur, *Germanicæ* nationes ex Septentrione immenso variarum nationum diluvio omnem ferè Occidentem inundarunt. Ex quibus præcipui fuerunt *Gothi, & Franci, & Saxones*. A *Gothis* originem traxere regna *Daniæ, Norvegiæ, Sueciæ, Siciliæ, Hispaniæ & Italiæ*.

MEMORABILIA DANIÆ.

Regnum *Daniæ* ad fabulosam usque antiquitatem origines suas ostentat. Certior ejus memoria in Caroli Magni ætatem incidit. A quo tempore res Septentrionales propiùs innotuerunt, imprimis postquam fatales illę *Normanorum* in Universam Europam invaluerunt excursiones. Fidem Christianam susceperunt A. 960. Inde Sueno Anglia potitus, florentissimum imperium filio suo Canuto secundo, A. 1014. neque tamen diuturna illa potentia, quippe mox iterum Anglia pulsi, in posterum

patriæ ſeſe limitibus continuerunt. Celebriores Reges hi fuerunt.

Anno 1102. *Nicolaus*, à Sleſvicenſibus ad templi portum occiſus.

Anno 1160. *Valdemarus* primus, qui *Rugios*, *Obotritos*, *Roſtochienſes*, *Stetinenſes*, *Wolgaſtanos* acerrimè oppugnavit & titulum Regis *Vandalorum* propterea ſuſcepit. Ab hoc florentiſſima Pomeraniæ Urbs *Iulinum* funditùs deleta fuit.

Anno 1202. *Valdemarus* II. *Hamburgum* recuperavit.

Anno 1333. *Valdemarus* III. Cognomine *Reprobus*, quanquam Regnum glorioſo bello vindicaſſet, nihilominus, nobilitati exoſus, variis tum rebellionibus ſuorum vexatus, tum criminibus & calumniis oneratus fuit; Hujus filia & ſucceſſor, fuit Margaretha, quæ ob rerum geſtarum magnitudinem Semiramis Danorum dicitur. Hæc tria Regna Septentrionalia Alberto Rege Sueciæ capto, perpetuo fœdere, & Unione conjunxit, ſancita lege, ut ab uno impoſterum Rege gubernarentur. Ab hac adoptatus Ericus *Pomeraniæ* Dux, tria regna, ſed infeliciter adminiſtravit, ac tandem *Suecorum* Danorumque ſeditionibus fatigatus, relictis regnis, in Pomeraniam ſuam receſſit.

Succeſſorem habuit Anno 1438. *Chriſtophorum* Comitem *Palatinum*, qui cum & ipſe

Impro-

Improlis obiisset; Dani *Christianum* primum Comitem Oldenburgensem regem crearunt, cujus hodieque posteritas regno præest.

Anno 1448. Hic varia cum *Sueciæ* subinde ab unione deficientibus, bella gessit & fundamenta Academiæ *Hafniensis* posuit. Eadem *Iohannis* filii ipsius fortuna, quem Sueci perpetuis bellis exercuerunt, sed imprimis memorabilis est infelix ejus contra *Ditmarsos* expeditio, in quâ à paucis *rusticis* validissimus exercitus, miserabili nobilitatis strage profligatus fuit.

Huic successit Anno 1513. *Christianus* II. quo majorem *tyrannum* Septentrio nunquam vidit, qui regno *Sueciæ* recuperato, contra fidem datam, horribili cæde in quosvis grassatus, eâ immanitate Danorum pariter & Suecorum animos ita exacerbavit, ut tribus regnis dejectum, ad perpetuos insuper carceres condemnarint, in quibus per *viginti septem* annos miserabilem vitam traxit. In ejus locum ordines suffecerunt *Fridericum* I. Holsatiæ Ducem, qui *Lutheri* Doctrinam publicè recipi jussit. Quo defuncto cum nihil non molirentur amici *Christiani* II. quo eum præstituerent; *Haffniâ* arctissimè obsessâ, tamen omnes eorum conatus irriti fuêre, & Regnum *Christiano* III. Friderici filio, mansit, qui Princeps laudatissimus fuit.

Ei successit A. 1559. *Fridericus* II. qui &

Ditmarsiam hactenus insuperabilem domuit & septennale idque gravissimum cum *Erico* Sueciæ rege bellum gessit.

Ejus filius *Christianus* IV. Anno 1585. puer decennis ad regnum pervenit, maximis contra *Suecos & Imperatorem* bellis, celebris.

A. 1648. Cui nuper filius *Fridericus* III. successit, qui hodieque regnat & regnum hæreditarium fecit.

MEMORABILIA

NORVEGIÆ.

Norvegia antiquissimis seculis in complura regna divisa, multis regibus, inter se discordibus subjecta fuit. Donec tandem circa annum Christi 878. *Haraldus*, cognomine *Harfagerus* sive *Pulchricomus*, cæteris pulsis *Monarchiam* constituisset, cujus familia usque ad annum 1388. continua successione regnavit; Famosissimæ fuere *Normannorum* (ita enim *Norvegi* circa annum 800. appellabantur:) in Universam Europam excursiones, quam immanem in modum deprædati, horrendam urbium pariter ac hominum stragem passim ediderunt. Unde publicis precibus hæc formula fuit addita. *A Furore* Normannorum *Libera* nos Domine.

Anno 900. *Islandia* à Norvegis primum habitata fuit, & ex ea quidam Ericus Rufus

Colo-

Coloniam in *Gronlandiam* duxit: Unde postea Reges *Norvegiæ*, jus sibi & Imperium in utramque regionem vendicarunt.

Olaus Haraldi Harphageri nepos primus fidem *Christianam* Norvegis & *Islandis* tradidit. Magna inde *Norvegiorum* potentia fuit, qui non modo *Orcades* verum etiam *Hiberniam* sceptro suo subjecerunt. Ultimus ex familiâ *Harphagerorum* Norvegiæ rex fuit *Hacquinus*, qui ductâ Margarethâ Daniæ *Semiramide*, de qua supra, Daniam *Norvegiæ* perpetuo fœdere conjunxit: ab eo tempore potentia Norvegorum admodum sub alio sceptro declinavit.

MEMORABILIA

SUECIÆ.

Regum Sueciæ fabulosa series à *Magogo* Japheti filio, Noachi nepote, deducitur. Primam hujus regni mentionem facit Tacitus. Post eum iterum altum silentium usque ad Annum Christi 800. Quo tempore sicut Sueciæ *Christiana* fides à Sancto Anschario Bremensi Episcopo: ita Christianis Suecia propius innotuit. Ab eo tempore hi celebriores reges commemorantur.

Anno 1150. *Ericus* Sanctus, qui magnifico *Upsaliæ* templo exstructo, *Finlandos* ad fidem Christianam convertit.

Anno 1024. *Ericus* Secundus, sub quo propter agrorum fertilitatem, aureum dicunt fuisse seculum.

Anno 1218. *Iohannes* præmatura morte sublatus, cum prolem nullam suscepisset, alternationem illam quæ hactenus multorum in Suecia malorum causa fuerat, substulit. Quippe duæ antehac familiæ *Erici & Suercheri* alternis regnaverant.

Anno 1250. *Waldemarus* urbem *Stocholmum* condidit.

Anno 1252. *Birgerus* bello contra Moscovitas inclytus, domi ob fraterna dissidia infelix, quos in turrim conjectos fame necavit.

Anno 1319. Magnus *Smech* Norvegiâ quoque potitus, cum totum sese libidinibus daret, adjutore & authore omnium scelerum uxore *Blancâ*, quæ proprium filium *Ericum* veneno necaverat, ab altero filio *Haquino* in carcerem conjectus, moxque dimissus ad *Waldemarum* Daniæ regem confugit, ac conjugii inter filiam ejus Margaretham Semiramidem & Haquinum auctor fuit. Ex quo secuta trium regnorum Septentrionalium conjunctio, sicut supra de Margaretha diximus. Inde eosdem Suecia quos & Dania reges habuit, usque ad Annum Christi 1448. Quo Sueci externorum imperiorum pertæsi, designarunt Carolum Canuti, eumque regem elegerunt. Qui deinde in exilium pulsus iterumque revocatus ambigua fortu-

fortuna regnavit. Sueci ab eo tempore Danorum imperium aversantes, primo quidem Gubernatores,

Stenonem Sture, deinde *Suantonem & Stenonem* Sture juniorem constituerunt, quo in acie cæso, *Christiernus* Secundus Suecico Regno potitus, propter immanem tyrannidem eo paulò post exutus fuit, ut supra dictum.

Anno 1523. Inde, *Sueci* ex familia *Trollorum* Reges sibi elegerunt, quorum primus fuit *Gustavus*, qui Regnum Sueciæ à Tyrannide Christierni vindicavit, ope inprimis *Lubecensium*. Hic doctrinam *Lutheri* introduxit.

Anno 1561. *Ericus* XIV. qui bellum Septennale cum *Friderico* Secundo Daniæ rege gessit & tandem propter multa facinora, in carcere periit.

Anno 1568. *Iohannes* primus, qui *Livoniam* Moscovitis & Polonis eripuit.

Anno 1593. *Sigismundus* Poloniæ Rex, à Suecis, paulo post, quod Religionem introductis Jesuitis perturbarit, regno ejectus.

Anno 1606. *Carolus* magna bella, sed non admodum feliciter, cum Polonis, Moscovitis & Danis gessit.

Anno 1611. *Gustavus* Adolphus Magnus, qui omnium gloriam rebus in Germania gestis superavit, & tandem in prælio ad *Lucenam* cæsus occubuit.

Anno 1632. *Christina*, quæ bello in Germania

mania continuato pacem tandem inivit, ac regni pertæsa, eo se sponte abdicavit.

Anno 1654. Cui deficiente mascula prole successit *Carolus* Gustavus Comes Palatinus ducta *Sophia* Friderici Holsatiæ Ducis filia.

MEMORABILIA
SICILIÆ.

EX *Normandiâ* Galliæ quidam *Tancredus* vir fortis cum numerosâ prole in Italiam militatum concessit, tanto successu, ut ex posteris ejus *Rogerius* Siciliæ Regnum obtineret A. 1130. Ei successit

Anno 1153. *Guilhelmus* Malus, qui magna contra Græcos Imperatores bella gessit. Huic,

Anno 1166. *Gulielmus* Bonus, sub quo ingens terræ motus *Siciliam & Apuliam* concussit, ita quidem ut in Catana urbe eversis omnibus ædificiis quindecim hominum millia perirent. Hujus filia *Constantia* Henrico sexto Imperatori & Duci Sueviæ nupsit, eoque titulo Regnum Siciliæ ad familiam Ducum *Sueviæ* pervenit. Ita in Sicilia post Henricum Sextum gloriosissimè regnavit *Fridericus* Secundus Imperator. Hic ex Constantiâ jam quinquagenariâ natus fuit, quem etiam, ne fœtus videretur suppositiitius, palam sub tentorio Siculis inspectantibus enixa est. Cum vero Pontifices Romani *Friderico* Secundo infestissimi

essent,

essent, regnum Siciliæ ejus posteris nullo jure ablatum ad Ducem Andegavensem Carolum transtulerunt. Qui etiam armata manu illud expugnavit. Supererat in Germaniâ nepos Friderici *Conradinus* Dux Sueviæ, qui Avitum regnum recuperaturus cum exercitu inItaliam contra Carolum contendit. Conradinus proditus à quodam Piscatore una cum *Frederico* Duce Austriæ captivus ad Carolum ducitur. Consultus à Carolo Clemens IV. Pontifex, quid faciendum cum captivo censeret, inclementem hanc sententiam protulit: *Vita* Conradini *mors* Caroli, *Mors* Conradini, *vita* Caroli. Quapropter Conradinus publicè in foro Neapolitano manu carnificis capite truncatur 29. Octobris Anno 1268. Initium à *Friderico* Duce Austriæ factum, cujus cruentum *caput* amplexus Conradinus atque exosculatus, *quoniam*, inquit *jus meum in hoc mundo obtinere non possum*, ad Tribunal *Iesu Christi* provoco, ut ibi rationem hostes mei factorum suorum reddant, simulque jacta in altum Chirothecâ Petrum *Arragoniæ* Regem Siciliæ hæredem instituit, atque ita decollatus fuit, & in ipso reges Siciliæ ex Imperatoria Sueviæ Ducum familia defecerunt. Reliquiæ exercitus Suevorum quendam *fabrum ferrarium* cui nomen erat Schticho Regem crearunt, ejusque ductu per medios hostes in Germaniam ferro viam sibi aperuerunt. Sed novus hic Rex Schticho

malleum & incudem coronæ & ſceptro prætulit, ac neglecto regno ad officinam ferrariam reverſus eſt.

Igitur Petrus Aragoniæ Rex, ut innocentem Conradini Sanguinem ulciſceretur, clandeſtina conſpiratione cum Siculis inita anno 1282. 30. Martii hora tertia veſpertinum ad ſonum *Campanæ*, omnes *Gallos* duarum horarum ſpatio per totam Siciliam obtruncari juſſit.

Hæ ſunt famoſæ illæ *Veſperæ* Siculæ, quæ etiam proverbio locum dederunt.

In hac *Lanienâ* octo Gallorum millia interfecta, tanta immanitate, ut etiam prægnantes ex Gallorum concubitu diſſecarent, ne quid Gallici ſanguinis in Sicilia ſupereſſet; Unicum tantum repertum fuit oppidum *Sperlinga*, cui tantum facinus diſplicuit & quod à cæde Gallorum abſtinuit. Unde portis ejus hæc verba inciſa: *Quod* Siculis *Placuit* tantum *Sperlinga* negavit. Hoc perpetrato facinore *Petrus* Aragoniæ Rex tota Sicilia potitus fuit, & *Carolum* Caroli filium in freto Siculo cepit, qui etiam ultimo *ſupplicio* in ultionem *Conradini* deſtinatus fuit, & dies, quâ decollaretur conſtituta quæ *Paßioni* Chriſti Sacra eſſe ſolet. Cumque *Carolus* magnâ patientia mortem expectaret, dicens *ſe læto* animo eâ die *periturum* qua tanta pro *ſalute* generis humani tuliſſet *Ieſus Chriſtus*, hac ejus pietate ita permoti fuerunt hoſtes, ut dicerent: Ergo ſe & ipſi vitam

pro-

propter Christum condonaturos. Ita dimissus Carolus regnum Neapolitanum obtinuit. Nam in posterum Galli tenebant regnum Neapolitanum, Arragonii vero Siciliam. Ex posteritate hujus Caroli duæ fuerunt Johannæ monstrosæ libidinis & immanitatis fœminæ, quæ horrendis sceleribus regnum Neapolitanum implexerunt. Quippe Johanna prima, maritum suum Andream Hungariæ Regem suasu Philippæ Catanensis de fenestra suspendit. Hæc est illa *Philippa* Catanensis, quæ ex *Lotrice* ad summam potentiam provecta universum regnum Neapolitanum pro arbitrio instar Sejani rexit, & tandem horribili cum totâ familiâ supplicio affecta pœnas luit. *Iohanna* cum Urbem *Avenionem* Pontifici Romano vendidisset, nihil intermissis prioribus sceleribus à *Carolo* rege Hungariæ, qui ignominiosam *Andreæ* mortem vindicabat capta & pulvillo ori injecto suffocata est Adoptaverat *Iohanna* ante obitum *Ludovicum* Ducem Andegavensem, unde diuturna illa & gravissima inter *Gallos* & Aragonios pro *Neapolitano* regno bella perfluxerunt, & hæc dissidia auxit *Iohanna* Secunda, *Scortum* impudicissimum, quod exitiabili inconstantia modo *Alphonsum* Arragoniæ Regem, modo *Ludovicum* adoptabat: Hinc bellum atrox, in quo tandem Superiores fuerunt *Arragonii*, ac pulsis toto regno Gallis Neapoli potiti sunt, subinde per inter-

valla jus antiquum repetentibus. Quippe *Carolus* Octavus Rex Galliæ A. 1494. maxima in Italiam expeditione susceptâ regnum *Neapolitanum* expugnavit, cumque paulò post id recepissent Arragonii, *Ludovicus* duodecimus Gallorum & *Ferdinandus* Catholicus Hispaniarum Reges facta *Conspiratione*, & diviso inter se regno *Fridericum* ultimum ex *Arragoniis* facilè oppresserunt. Sed nec diuturna inter Socios concordia. Quippe Hispani sub ducatu *Consalvi*, qui magnus Dux appellatus fuit, Gallos universo Regno Neapolitano exuerunt eoque soli potiti sunt A. 1504. ita hodieque penes Hispanos regnum *Neapolis & Siciliæ* manet. Famosa est duplex illa rebellio *Neapolitanorum*. Prima quidem ann. 1570. de qua *Thuanus*; altera nostrâ ætate ann. 1647. ductu *Piscatoris* cujusdam, cui nomen erat *Thomas* sive Mas *Aniello*, cujus historia & res gestæ plenæ miraculorum sunt.

MEMORABILIA
OST-GOTHORUM.

OSt-*Gothi* ex Pannonia profecti, debellato *Odoacro Rege Herulorum*, Italiam occuparunt.

Primus *Ost-Gothorum* in Italia Rex fuit *Theodoricus*, qui sedem novi Regni ex urbe Roma *Ravennam* transtulit, *Romam* ipsam mag-

magnificè exornavit. Princeps laude dignissimus, nisi quod *Arianâ* impietate infectus fuit. Cumque *Symmachum & Boëtium* viros clarissimos interfecisset, post octiduum cum ipsi appositum esset caput *piscis* eo furore correptus fuit, ut crederet id esse caput *Symmachi* ultionem minantis, cujus innocentissima cæde frustra deplorata, paulo post expiravit. Dum autem in carcere *Ticini* detinetur *Boëtius* elegantissimum illum libellum de consolatione *Philosophicâ* conscripsit.

IV. *Ost-Gothorum* rex fuit *Vitiges*, qui Roma toto anno obsessa, in oppugnatione ejus una die triginta suorum millia amisit, & postquam *Octuagies* novies certatum esset, obsidionem deserere coactus fuit. Contra hunc jussu *Iustiniani* Imper. bellum gessit famosus ille *Bellisarius*, à quo *Vitiges* cum Mediolanum cæsis trecentis millibus expugnasset captus, & *Constantinopoli* triumphatus fuit. Ita confractæ *Gothorum* in Italia vires, quas utcunque restituit *Totilas* bellicosissimus ipsorum rex; à quo *Roma* post ingentem famem bis expugnata. Mortuo ex vulneribus *Totila*, reliqui Gothorum Regem elegere *Team*, quo ad *Nuceriam* victo *Narses* Eunuchus Justiniani Dux Regnum Ost-Gothicum in Italia funditùs delevit. Sed cum *Sophia* Justiniani Imperatoris uxor hunc *Narsetem* contumeliosè tractasset, & quod *Eunuchus* esset, ad *colum &*

pelgenicnfem, atque ita
junctæ fuerunt.

V. *Colloquium* Mom
to successu c

A. 1586. Scopus erat
inter se diffidentes, eo f
mis armisque auxilia *He*
in Gallia, ferre possent, T

VI. Nicrum c
navigab

A. 1598. *Fridericus*
ad ordines federati Belg
commerciorum, artific
qui *Nicrum* redderent n
secundo Rheno, merce
Hollandiam deferri & re

LOTHAR

I. *Ducatus* Lothari
pervenit ad Li

L*otharingia* initio
fuit, ita dictum à *L*
Imp. & Regis Franc. P
Lotharingiam occupa
Carolum Ducem Loth
Postea Ducatus perveni
cem Bullionis qui Anno

LIA.

ORUM.

cuparunt, quo-
Rex fuit *Walla*;
egnum *Vest-Go-*
enis Africanis de-
tatis hæc fuit oc-
s Cabam filiam,
nus ea ignominia
acenos, qui paulo
trant, pollicitus se
n, Saraceni præda
etum *Gaditanum*
eque segnis in re-
us: Totius Hispa-
rimum cum Sara-
uod triduo conti-
uperiores Saraceni
totamque quam
sex Menses expu-
ucto Vest-Gothic-
ui evaserunt *Gothi*
montes sese recepe-
os sibi Reges creare
bus regna instituere
rima fuerunt; Re-
s, *Navarræ*, *Arra-*
galliæ, quæ initio
ad-

lanam, armis omissis tractandam, relegaret, ipse ultionis studio *Longobardos* ex Pannonia in Italiam evocavit.

Anno 570. *Longobardi* ex *Pannonia* in Italiam profecti, ibidem Regnum *Longobardicum* fundarunt. Primus ipsorum Rex fuit *Alboinus*, qui ab uxore *Rosimunda*, quod eam ex cranio patris *Cunimundi* quem interfecerat, bibere coegisset, in cubiculo suo, somno meridiano indulgens obtruncatus fuit. Post eum longa Regum Longobardorum Series, ex quibus *Ægiulphus* Longobardos ad fidem *Christianam* convertit. *Pertaritus* propter Justitiæ studium famosus ab exilio ad regnum vocatus fuit.

Aripertus multas Italię urbes Pontifici Romano donavit. *Aystulphus* Pontifici *Patrimonium Petri* ademit & *Ravenna* expugnata totum *Exarchatum* Imperatoribus Constantinopolitanis eripuit. Ea occasione *Pontifices* Romani *Francos* in Italiam contra *Longobardos* evocarunt, quorum ultimum Regem *Desiderium* cum *Carolus* Magnus superasset, Regnum Longobardicum destructum & ad Gallos delatum fuit.

ME-

MEMORABILIA.

VEST-GOTHORUM.

VEst-Gothi Hispaniam occuparunt, quorum primus in Hispania Rex fuit *Walla*; ultimus *Rodericus*, sub quo regnum *Vest-Gothorum* in Hispania à Saracenis Africanis destructum fuit, cujus calamitatis hæc fuit occasio; Stupraverat *Rodericus* Cabam filiam, *Iuliani* comitis. Pater *Iulianus* ea ignominia accensus, clam sollicitare Saracenos, qui paulo ante totam Africam occupaverant, pollicitus se cum suis ad ipsos transiturum, Saraceni præda illecti, maximis copiis per fretum *Gaditanum* in Hispaniam trajiciunt. Neque segnis in regno suo defendendo *Rodericus*: Totius Hispaniæ viribus congregatis acerrimum cum Saracenis prælium commisit, quod triduo continuatum fuit. Sed tandem superiores Saraceni Regnum Vest-Gothorum, totamque quam latè patet Hispaniam intra sex Menses expugnavere anno 713. Ita destructo Vest-Gothorum in Hispaniâ regno, qui evaserunt *Gothi* in altissimos & asperrimos montes sese receperunt, ibique recollecti, novos sibi Reges creare & nova ex Hispaniæ ruderibus regna instituere cæpere. Ex quibus celeberrima fuerunt; Regnum *Asturiæ & Legionis*, *Navarræ*, *Arragoniæ*, *Castiliæ & Portugalliæ*, quæ initio

ad-

lanam, armis omissis tractandam, relegaret, ipse ultionis studio *Longobardos* ex Pannonia in Italiam evocavit.

Anno 570. *Longobardi* ex *Pannonia* in Italiam profecti, ibidem Regnum *Longobardicum* fundarunt. Primus ipsorum Rex fuit *Alboinus*, qui ab uxore *Rosimunda*, quod eam ex cranio patris *Cunimundi* quem interfecerat, bibere coegisset, in cubiculo suo, somno meridiano indulgens obtruncatus fuit. Post eum longa Regum Longobardorum Series, ex quibus *Ægiulphus* Longobardos ad fidem *Christianam* convertit. *Pertaritus* propter Justitiæ studium famosus ab exilio ad regnum vocatus fuit.

Aripertus multas Italię urbes Pontifici Romano donavit. *Aystulphus* Pontifici *Patrimonium Petri* ademit & *Ravenna* expugnata totum *Exarchatum* Imperatoribus Constantinopolitanis eripuit. Eâ occasione *Pontifices* Romani *Francos* in Italiam contra *Longobardos* evocarunt, quorum ultimum Regem *Desiderium* cum *Carolus* Magnus superasset, Regnum Longobardicum destructum & ad Gallos delatum fuit.

ME-

MEMORABILIA.

VEST-GOTHORUM.

VEst-Gothi Hispaniam occuparunt, quorum primus in Hispania Rex fuit *Walla*; ultimus *Rodericus*, sub quo regnum *Vest-Gothorum* in Hispania à Saracenis Africanis destructum fuit, cujus calamitatis hæc fuit occasio; Stupraverat *Rodericus* Cabam filiam, *Iuliani* comitis. Pater *Iulianus* ea ignominia accensus, clam sollicitare Saracenos, qui paulo ante totam Africam occupaverant, pollicitus se cum suis ad ipsos transiturum, Saraceni præda illecti, maximis copiis per fretum *Gaditanum* in Hispaniam trajiciunt. Neque segnis in regno suo defendendo *Rodericus*: Totius Hispaniæ viribus congregatis acerrimum cum Saracenis prælium commisit, quod triduo continuatum fuit. Sed tandem superiores Saraceni Regnum Vest-Gothorum, totamque quam lätè patet Hispaniam intra sex Menses expugnavere anno 713. Ita destructo Vest-Gothorum in Hispaniâ regno, qui evaserunt *Gothi* in altissimos & asperrimos montes sese receperunt, ibique recollecti, novos sibi Reges creare & nova ex Hispaniæ ruderibus regna instituere cæpere. Ex quibus celeberrima fuerunt; Regnum *Asturiæ & Legionis*, *Navarræ*, *Arragoniæ*, *Castiliæ & Portugalliæ*, quæ initio ad-

lanam, armis omiſſis tractandam, relegaret, ipſe ultionis ſtudio *Longobardos* ex Pannonia in Italiam evocavit.

Anno 570. *Longobardi* ex *Pannonia* in Italiam profecti, ibidem Regnum *Longobardicum* fundarunt. Primus ipſorum Rex fuit *Alboinus*, qui ab uxore *Roſimundâ*, quod eam ex cranio patris *Cunimundi* quem interfecerat, bibere coegiſſet, in cubiculo ſuo, ſomno meridiano indulgens obtruncatus fuit. Poſt eum longa Regum Longobardorum Series, ex quibus *Ægiulphus* Longobardos ad fidem *Chriſtianam* convertit. *Pertaritus* propter Juſtitiæ ſtudium famoſus ab exilio ad regnum vocatus fuit.

Aripertus multas Italię urbes Pontifici Romano donavit. *Ayſtulphus* Pontifici *Patrimonium Petri* ademit & *Ravennâ* expugnata totum *Exarchatum* Imperatoribus Conſtantinopolitanis eripuit. Eâ occaſione *Pontifices* Romani *Francos* in Italiam contra *Longobardos* evocarunt, quorum ultimum Regem *Deſiderium* cum *Carolus* Magnus ſuperaſſet, Regnum Longobardicum deſtructum & ad Gallos delatum fuit.

ME-

MEMORABILIA

VEST-GOTHORUM.

VEst-Gothi Hispaniam occuparunt, quorum primus in Hispania Rex fuit *Walla*; ultimus *Rodericus*, sub quo regnum *Vest-Gothorum* in Hispania à Saracenis Africanis destructum fuit, cujus calamitatis hæc fuit occasio; Stupraverat *Rodericus* Cabam filiam, *Iuliani* comitis. Pater *Iulianus* ea ignominia accensus, clam sollicitare Saracenos, qui paulo ante totam Africam occupaverant, pollicitus se cum suis ad ipsos transiturum, Saraceni præda illecti, maximis copiis per fretum *Gaditanum* in Hispaniam trajiciunt. Neque segnis in regno suo defendendo *Rodericus*: Totius Hispaniæ viribus congregatis acerrimum cum Saracenis prælium commisit, quod triduo continuatum fuit. Sed tandem superiores Saraceni Regnum Vest-Gothorum, totamque quam latè patet Hispaniam intra sex Menses expugnavere anno 713. Ita destructo Vest-Gothorum in Hispaniâ regno, qui evaserunt *Gothi* in altissimos & asperrimos montes sese receperunt, ibique recollecti, novos sibi Reges creare & nova ex Hispaniæ ruderibus regna instituere cœpere. Ex quibus celeberrima fuerunt; Regnum *Asturiæ & Legionis*, *Navarræ*, *Arragoniæ*; *Castiliæ & Portugalliæ*, quæ initio ad-

valla jus antiquum repetentibus. Quippe *Carolus* Octavus Rex Galliæ A. 1494. maxima in Italiam expeditione susceptâ regnum *Neapolitanum* expugnavit, cumque paulò post id recepissent Arragonii, *Ludovicus* duodecimus Gallorum & *Ferdinandus* Catholicus Hispaniarum Reges facta *Conspiratione*, & diviso inter se regno *Fridericum* ultimum ex *Arragoniis* facilè oppresserunt. Sed nec diuturna inter Socios concordia. Quippe Hispani sub ducatu *Consalvi*, qui magnus Dux appellatus fuit, Gallos universo Regno Neapolitano exuerunt eoque soli potiti sunt A. 1504. ita hodieque penes Hispanos regnum *Neapolis & Siciliæ* manet. Famosa est duplex illa rebellio *Neapolitanorum*. Prima quidem ann. 1570. de qua *Thuanus*: alterâ nostrâ ætate ann. 1647. ductu *Piscatoris* cujusdam, cui nomen erat *Thomas* sive Mas *Aniello*, cujus historia & res gestæ plenæ miraculorum sunt.

MEMORABILIA
OST-GOTHORUM.

Ost-*Gothi* ex Pannonia profecti, debellato *Odoacro Rege Herulorum*, Italiam occuparunt.

Primus *Ost-Gothorum* in Italia Rex fuit *Theodoricus*, qui sedem novi Regni ex urbe Roma *Ravennam* transtulit, *Romam* ipsam mag-

magnificè exornavit. Princeps laude dignissimus, nisi quod *Arianâ* impietate infectus fuit. Cumque *Symmachum* & *Boëtium* viros clarissimos interfecisset, post octiduum cum ipsi appositum esset caput *piscis* eo furore correptus fuit, ut crederet id esse caput *Symmachi* ultionem minantis, cujus innocentissima cæde frustra deplorata, paulo post expiravit. Dum autem in carcere *Ticini* detinetur *Boëtius* elegantissimum illum libellum de consolatione *Philosophicâ* conscripsit.

IV. *Ost-Gothorum* rex fuit *Vitiges*, qui Roma toto anno obsessa, in oppugnatione ejus una die triginta suorum millia amisit, & postquam *Octuagies* novies certatum esset, obsidionem deserere coactus fuit. Contra hunc jussu *Iustiniani* Imper. bellum gessit famosus ille *Bellisarius*, à quo *Vitiges* cum Mediolanum cæsis trecentis millibus expugnasset captus, & *Constantinopoli* triumphatus fuit. Ita confractæ *Gothorum* in Italia vires, quas utcunque restituit *Totilas* bellicosissimus ipsorum rex; à quo *Roma* post ingentem famem bis expugnata. Mortuo ex vulneribus *Totila*, reliqui Gothorum Regem elegere *Teiam*, quo ad *Nuceriam* victo *Narses* Eunuchus Justiniani Dux Regnum Ost-Gothicum in Italia funditùs delevit. Sed cum *Sophia* Justiniani Imperatoris uxor hunc *Narsetem* contumeliosè tractasset, & quod *Eunuchus* esset, ad *colum* &

lanam, armis omissis tractandam, relegaret, ipse ultionis studio *Longobardos* ex Pannonia in Italiam evocavit.

Anno 570. *Longobardi* ex *Pannoniâ* in Italiam profecti, ibidem Regnum *Longobardicum* fundarunt. Primus ipsorum Rex fuit *Alboinus*, qui ab uxore *Rosimundâ*, quod eam ex cranio patris *Cunimundi* quem interfecerat, bibere coegisset, in cubiculo suo, somno meridiano indulgens obtruncatus fuit. Post eum longa Regum Longobardorum Series, ex quibus *Ægiulphus* Longobardos ad fidem *Christianam* convertit. *Pertaritus* propter Justitiæ studium famosus ab exilio ad regnum vocatus fuit.

Aripertus multas Italię urbes Pontifici Romano donavit. *Aystulphus* Pontifici *Patrimonium Petri* ademit & *Ravennâ* expugnata totum *Exarchatum* Imperatoribus Constantinopolitanis eripuit. Eâ occasione *Pontifices* Romani *Francos* in Italiam contra *Longobardos* evocarunt, quorum ultimum Regem *Desiderium* cum *Carolus* Magnus superasset, Regnum Longobardicum destructum & ad Gallos delatum fuit.

ME-

MEMORABILIA
VEST-GOTHORUM.

VEst-Gothi Hispaniam occuparunt, quorum primus in Hispania Rex fuit *Walla*; ultimus *Rodericus*, sub quo regnum *Vest-Gothorum* in Hispania à Saracenis Africanis destructum fuit, cujus calamitatis hæc fuit occasio; Stupraverat *Rodericus* Cabam filiam, *Iuliani* comitis. Pater *Iulianus* ea ignominia accensus, clam sollicitare Saracenos, qui paulo ante totam Africam occupaverant, pollicitus se cum suis ad ipsos transiturum, Saraceni præda illecti, maximis copiis per fretum *Gaditanum* in Hispaniam trajiciunt. Neque segnis in regno suo defendendo *Rodericus*: Totius Hispaniæ viribus congregatis acerrimum cum Saracenis prælium commisit, quod triduo continuatum fuit. Sed tandem superiores Saraceni Regnum Vest-Gothorum, totamque quam latè patet Hispaniam intra sex Menses expugnavere anno 713. Ita destructo Vest-Gothorum in Hispania regno, qui evaserunt *Gothi* in altissimos & asperrimos montes sese receperunt, ibique recollecti, novos sibi Reges creare & nova ex Hispaniæ ruderibus regna instituere cæpere. Ex quibus celeberrima fuerunt; Regnum *Asturiæ & Legionis, Navarræ, Arragoniæ, Castiliæ & Portugalliæ*, quæ initio ad-

admodum exigua cum essent, paulatim expulsis Saracenis tandem universam Hispaniam complexa sunt.

Anno 716. I. Rex *Asturiæ* fuit *Pelagius* ex Regio Gothorum Sanguine oriundus, quorum omnis vita in perpetuis contra Mauros sive Saracenos bellis transacta. Ex his tertius Ordine *Alphonsus* II. ob hæresin *Arianam* extirpatam *Catholicus* dictus fuit, quem titulum longo tempore intermissum, superiori seculo *Ferdinandus* recepit, & eo hodieque Reges Hispaniæ utuntur. Quintus *Aurelius* quotannis *Virgines* certo numero *Mauris* in tributum persolvit. XIV. *Ordonius* II. fuit, sub quo 890. *Castilia* à Regno *Legionis* defecit, & duos sibi Judices creavit, quorum alter *Jus*, alter *bellum* curaret: post hos *Castilia* Comitibus paruit.

Anno 1006. Ex quibus *Sanctius* primus Regem Castiliæ se appellavit, quod regnum imposterum omnium in Hispania amplissimum & potentissimum esse cæpit.

Anno 1024. Huic successit *Ferdinandus* primus, rex Victoriosissimus & Justissimus: Qui moriturus Regna sua inter *tres* filios ita divisit, ut uni *Castiliam*, alteri *Asturiam &* *Legionem*, tertio *Galliciam* traderet.

Anno 1066. *Alphonsus* VI. *Toletum* Saracenis eripuit. Ejus tempore cæpit regnum *Portugalliæ*; *Ferdinandus* III. *Hispalim*, *Cordubam*

bam & magnam Hispaniæ partem *Mauris* eripuit, eosque in angulum Regni *Granadensis* compulit.

Anno 1252. *Alphonsus* X. Cognomine *Sapiens & Astrologus* in Castilia regnavit. Hic omnium Astrologorum post *Ptolemæum* Princeps Tabulas *Alphonsinas*, & præter eas *Corpus* Juris Civilis Hispanici, edidit. Sed quantumvis eruditus in regno administrando parum tamen felix fuit. Cumque à *Germanis* Imperator electus fuisset, dum Imperium ambit, domi à filio Castilia spoliatur, & *Murciæ* præ animi dolore obit. Ultimus ex hac familia Castiliæ rex *Henricus* quartus fuit, cujus Sororem *Isabellam* Ferdinandus Rex *Arragoniæ duxit*, quo conjugio *Arragonia & Castilia* perpetuo fœdere conjunctæ sunt.

Anno 1474. Atque hic est ille *Ferdinandus* qui fundamenta Hispan. magnitudinis, qualem hodieque videmus primus admirabili successu posuit, omnium sui temporis Regum *callidissimus* pariter ac felicissimus, cujus hodieque consilia & actiones Hispanici Reges pro *oraculis* ex *normâ* habent.

Anno 1492. Hic expugnata urbe *Granadâ*, regno *Maurorum* in Hispania & Saracenorum finem imposuit, cum eam per 700. annos gravi servitute pressissent.

Eodem anno Christophorus *Columbus*, huic Ferdinando novum Orbem, quem *Americam*

ricam dicimus, aperuit. Idem *Ferdinandus* Regnum *Navarræ & Neapolis* per Magnum *Capitaneum* Ferdinandum *Consalvum* de *Cordubâ* occupavit. Ejus unica filia nupsit *Philippo* Archiduci Austriæ & Principi Provinciarum *Belgicarum*, quo Conjugio *Austria & Belgium* Hispaniæ conjuncta sunt.

Horum filius fuit Carolus V. Imperator Germanorum, sub quo *Monarchia* Hispanica summum potentiæ & authoritatis fastigium obtinuit. Huic successit *Philippus* II. Qui sicuti *Belgicas* septem Provincias ob *Tyrannidem* suam amisit: ita *Portugalliam*, cæso in *Africâ* Sebastiano Rege occupavit, ac primus iterum post Vest-Gothos totius *Hispaniæ* Monarchiam & utramque *Indiam* Orientalem & Occidentalem obtinuit, tanta potentiæ amplitudine, ut in ejus regnis sol semper, ut perhibent adulatores, oriretur & occideret.

Anno 1598. Ei successit *Philippus* III. qui inducias duodecennales cum Belgis pepigit & Maurorum reliquias totâ Hispaniâ pepulit.

Anno 1623. Philippus IV. sub quo Portugallia iterum defecit.

Anno 1666. Carolus II. infans.

REGNUM

PORTUGALLIÆ.

ANno 1139. *Alphonsus* I. Rex Portugalliæ factus fuit.

Anno

Anno 1242. *Alphonsus* X. Rex Castiliæ regnum Algarbiæ *Alphonso* III. cum filia in dotem dedit. Ejus successor *Dionysius* Academiam Conimbricensem fundavit.

Anno 1438. *Alphonsus* V. multas Africæ urbes expugnavit, dictus propterea *Africanus*. Ejus filius fuit *Iohannes* II. sub quo Lusitani Promontorio bonæ spei in Africâ circumnavigato Indias Orientales detexerunt, quod sub *Emmanuele* à Vasco de Gamá factum.

Anno 1590. *Iohannes* III. Brasiliam Coloniis Lusitanorum occupavit. *Sebastianus* in Africa cæsus periit & cum eo regnum Portugalliæ, quod *Philippus* II. uti supra dictum, expugnavit. Idque Castiliæ conjunctum permansit usque ad annum 1641. quo Portugalli *Iohannem* Ducem Bregantiæ, regem crearunt. Cui successit *Alfonsus* Hispanorum ad *Evoram* & alibi, victor.

MEMORABILIA FRANCORUM.

Declinante Romano Imperio, quicunque in Germania liberi erant, *Franci* dicebantur, qui tandem universa Gallia potiti, eam à se Franciam appellârunt circa anno 400. Apud hos tres hactenus regiæ familliæ ordine regnarunt. Prima regum familia *Merovingorum* est, ita appellata à Merovio tertio Francorum rege.

rege. Nam primus Francorum rex *Pharamundus* anno 419. Secundus Clodio Comatus. Tertius *Merveus*.

Hic *Meroveus* urbem Parisiorum occupavit, & contra *Attilam* Hunnorum regem in Catalaunicis campis fortissimè pugnavit. Quintus rex fuit *Clodoveus* sive *Ludovicus*, qui primus *fidem* Christianam cum Francis suscepit, unde reges Francorum hodieque Christianissimi & primogeniti Ecclesię vocantur.

Ita Regnis *Alemanniæ & Bavariæ* destructis, maximam Germaniæ partem Francorum Imperio subjecit, quod post ejus mortem in quatuor regna divisum fuit. Quicquid cis Rhenum in Germania erat, *Ost-Francia* dicebatur: quicquid trans Rhenum *Vest-Francia*. Sub Clotario II. famosa illa *Brunechildis* fuit, *Sigeberti* Austrasiæ regis uxor, quæ altera seculi sui *Medea* decem regii sanguinis Principes, partim veneno, partim bello sustulit. Propter quæ facinora Clotarius eam caudæ equi indomiti alligatam per spinas & dumeta miserè discerpsit.

A. C. 614. Hic Clotarius II. Primus instituit *Majores domus*, penes quos suprema belli & reipub. administratio erat, & qui hodie in Francia appellantur *Primi ministri Status*. Hoc institutum paulò post regiæ apud Francos Merovingorum familiæ exitio fuit. Quippe Reges

ges omnibus negotiis in Majores domus conjectis in socordiam lapsi magis magisque contemni cæperunt, crescente in dies *Majoris Domus* authoritate & potentia, quod imprimis circa annum 663. factum, à quo tempore Reges Francorum intra Palatium abditi, semel tantùm quotannis populo conspiciendos se præbebant, nimirum Kal. Maji, quam in curru rustico floribus consperso, à quatuor bubus tracto, ipsi promissis barbis, capillitio flavo & arte crispato per humeros dependente, conspicui, populo se repræsentabant. Quapropter *Franci* tandem harum ineptiarum pertæsi, detruso in monasterium ultimo ex Merovingis Childerico ignavo, regem crearunt Pipinum parvum, *Majorem domus* Caroli Martelli Brabantiæ ducis filium. Quod factum anno 757. Hujus Pipini filius fuit Carolus magnus, à quo nova hæc regum Franciæ familia qui Carolingi dicuntur. Hic Carolus abrogato *Majoratu* domus tanquam ob nimiam potentiam ipsis regibus metuendo, duodecim *pares* instituit, id est *principes* æquales potestate, & ob rerum gestarum magnitudinem *Magnus* dictus fuit: Gessit atrocia contra *Saxones, Longobardos, Bavaros, Saracenos* bella, & imperio longè latéque extenso intermissum per quadringentos annos in Occidente Imperatoris titulum primus restituit & anno 800. ipso festo nativitatis Christi Romæ Imperator Romanorum à Papa *Leone*

III,

III. coronatus fuit, acclamante populo Romano: *Carolo Augusto, à Deo coronato, vita salus & victoria*. Ita penes Caroli Magni posteros Imperatoria dignitas cum tribus amplissimis regnis Gallia, Germania & Italia fuit. Sed mox ea potentia intestinis patrum discordiis debilitata fuit. Quippe *Ludovicus* Pius Caroli filius & Successor, diviso inter tres filios regno suo, magnis discordiis occasionem dedit, a filiis suis captus, Imperio spoliatus, & in carcerem summa impietate conjectus. Ex eo paulò post liberatus grave bellum contra Ludovicum Filium suum Germaniæ Regem, gessit. Eo mortuo discordiæ inter fratres gliscere. Cumque Clotharius Imperium cum majori parte regnorum obtinuisset, reliqui duo hac divisione non contenti, bellum moverunt, in quo prælio in Burgundia commisso centum millia Francorum ab utraque parte perierunt, cum internecione totius fere nobilitatis & Francicæ & Germanicæ. Hoc prælio ita debilitata fuit Francorum potentia ut in posterum resurgere & amissas vires recuperare non potuerit. Sequebantur atroces illæ Barbarorum irruptiones, ab *Austro* Hunnis, ab *Oriente* Sclavis, à *Septentrione* Normannis, Germaniam pariter & Galliam atque Italiam horrendum in modum devastantibus. Et quanquam externus hostis undique urgeret, non tamen Carolingi inter se concordes esse potuerunt, sed civilibus

bellis

bellis inter Carolum Calvum Franciæ & *Ludovicum* ejusque filios, Germaniæ reges, quicquid restabat virium, prodigè perdebatur. Respirarunt aliquo modo Francorum res, sub Carolo Crasso ab intestinis dissidiis, qui primus publico edicto annos à nato Christo numerari jussit, & solus post Carolum Magnum cum Imperio *Germaniam*, *Galliam* & *Italiam* possidebat. Sed idem, mirum fortunæ inconstantis ludibrium fuit, & ex summa potentia in extremam paupertatem repente delapsus: Quippe cum anno 887. gravi morbo, mente imminutus fuisset, spoliatus ab Ordinibus Imperio, ita se ab omnibus desertum & neglectum vidit, ut intra triduum extrema fame ac siti laboraret, ac nisi Episcopus Moguntinus ejus misertus fuisset, ac per aliquot dies cibum suppeditasset, tantus paulò ante Imperator fame periisset! Post longam instantiam à successore suo *Arnulpho* plura impetrare non potuit, quam exigui cujusdam pagi *Nicdlingen* reditus, unde ægre sustentatus paulò post obiit, ac plebejo tumulo conditus fuit. Sub Carolo Simplice circa A. C. 900. *Normanni* illam Galliæ partem quæ hodieque *Normannia* dicitur, obtinuerunt. Sub eodem Comitatus *Geldriæ*, *Frisiæ*, *Hollandiæ*, *Flandriæ* & multi alii originem habuerunt. Ultimus Carolingorum fuit *Ludovicus* V. quo intra annum veneno à conjuge suâ necato, series Carolingorum

in

in Germania pariter ac Gallia defecit.

Tertia familia apud Francos fuerunt *Capetingi* ab *Hugone* Capeto ad nostra usque tempora. Quintus ex hac familia *Ludovicus* fuit cognomine Crassus. Sub quo exarsit primum bellum *Anglicum* ex Ludo Latrunculorum inter *Ludovicum & Henricum* Angliæ Regem ortum, quod per aliquot secula intermissum potius quam compositum fuit.

Omnium celeberrimus fuit *Ludovicus* IX. Sanctus, qui infelicia contra Saracenos bella gessit. Quippe ad *Damiatam* in Ægypto captus quæcunque occupaverat loca pro libertate obtinenda reddidit. *Philippus* Pulcher à *Bonifacio* VIII. Papa excommunicatus per contemptum ita rescripsit: *Sciat tua maxima fatuitas nos in temporalibus nulli subesse.* Cum vero Carolus IV. Pulcher absque mascula prole anno 1328. decessisset, gravissima propter successionem inter Gallos & Anglos bella exorta sunt. Quippe *Eduardus* III. ex sorore Caroli natus proximum se regni hæredem jactabat. Contra Galli prætextu Legis *Salicæ* ipsum excluserunt assumpto Rege Philippo Valesio proximè agnato masculo. Hinc bellum; in quo superior *Eduardus* innumeris cladibus Galliam afflixit. Primum ad *Slusas* Flandriæ commissum prælium maritimum, in quo triginta millia Gallorum capta, fractis omnibus ipsorum navibus, perierunt. Deinde pugna-

tum

tum ad Cressiacum in Picardia, ubi iterum 30000. Gallorum ceciderunt, atque insuper duo Reges *Iohannes* Bohemiæ, Carolus Navarræ; tum Lotharingiæ Dux, quatuor Episcopi, viginti octo Comites, Mille ducenti Equites aurati. Hujus prælii præmium fuit urbs Caletum, quam *Eduardus* post gravem obsidionem expugnavit. Sub hoc Philippo Valesio *Delphinatus* Regno Gall. accessit ea conditione, ut primogenitus Regis Gall. *Delphinus* appellaretur. Philippo successit *Iohannes* Infelicissimus Francorum rex, qui ab Eduardo Nigro Walliæ Principe in Pictonibus maximo prælio victus captusque fuit, quo tempore Anglorum millia octo, contra sexaginta Gallor. millia victoriam reportarunt. Rex *Iohannes* in Angliam ductus & post quadriennium ingenti pecunia soluta dimissus fuit. Ei successit Carolus V. *Sapiens*, qui res fractas Gallor. magna prudentia restituit & plura calamo, quam armis recuperavit. Sed bella Anglica sub Carolo V. atrocius quam unquam exarserunt, inflammantibus id *Iohanne* Intrepido Burgundo & *Ludovico* Aurelianense, inter quos tanta fuerunt odia & inimicitiæ, ut non nisi mutuo sanguine expiari potuerint. *Iohannes* Ludovicum in media Parisiorum urbe sicariis immissis trucidavit, & vocatus ad causam dicendam, cum exercitu comparuit, adducto secum *Iohanne* Parvo Theologo, qui patri-

parricidium hoc eo inprimis fundamento inepté & impiè defendebat: *Licitum* esse Tyrannum *occidere*: fuisse autem Tyrannum Ludovicum. *Iohannem* Carolus *Delphinus* specie colloquii interfecit. Sic cædes cæde expiata videbatur, sed incredibili Gallor. detrimento. Quippe Philippus Johannis filius Burgund. Dux Anglos in Galliam evocavit, iisque Lutetiam & totam penè Gall. tradidit. Quâ occasione *Henricus* V. Angl. Rex ducta Catharina Caroli VI. filia hæres Franciæ declaratus fuit, excluso legitimo hærede Carolo Delphino; Tum denuò fatale Gallor. prælium ad Agincurtium in Picardia fuit, ac continuæ Anglor. toto regno victoriæ. Quippe omnia Anglis favebant, & adversa tum Gall. erant.

Rex Carolus VI. mentis impos, filius ejus Carolus Delphinus exhæredatus, quem etiam Angli contemptim *Biturigum* Regem, quod unam illam urbem obtineret, appellarunt. Sed tandem DEUS *Franciam* respicere cœpit, excitata *Iohannâ* puella Lotharingicâ, quæ divinitùs sese missam dicebat ad Anglos Gall. pellendos. Hujus auspiciis *Aurelia* obsidione liberata, & Rex Carolus VII. per medios hostes *Rhemos*, ubi more majorum inungeretur, ductus est. Incredibile dictu, quanta Gallis ex hac puella alacritas fuerit nata, sed ea paulò post ab Anglis capta, & tanquam malarum artium gnara incendii supplicio affecta fuit.

Tan-

Tandem Angli tota Gallia pulsi nihil præter *Caletum* retinuerunt.

Carolo VII. successit *Ludovicus* XI. omnium Galliæ Regum callidissimus, ac Tiberio in simulandi & dissimulandi artibus æqualis. Is primus dominationis apud Gallos fundamenta posuit, extincta Parlamentorum & Ordinum authoritate. Perpetuis cum Carolo Audace Burgundiæ duce bellis collisus fuit, quo ab Helvetiis in prælio interfecto, ducatum *Burgundiæ* occupavit, & cum cæteras Belgii Provincias conjugio Mariæ Caroli filiæ sui juris facere posset, armis uti maluit, adeoque spe sua excidit.

Ejus res copiosè exequitur Philippus Comineus. Post ipsum regnavit Carolus VIII. Anno 1484. Qui ducto in Italiam ingenti exercitu regnum Neapolitanum fulminis instar momento occupavit, iterumque paulò post eadem facilitate amisit. Ab hac expeditione Caroli VIII. *Thuanus* originem bellorum inter Gallos & Hispanos deducit.

Anno 1498. *Ludovicus* XII. Ludovicum *Sfortiam*, Ducatu Mediolanensi exuit, eumque ab Helvetiis desertum capit, ac Regnum Neapolitanum cum *Ferdinando* Rege Hispaniæ dividit: mox à *Consalvo* de Cordubâ Magno *Capitaneo*, sua parte spoliatur. *Iulium* secundum Papam ad *Ravennam* vincit & amisso iterum Mediolano ad *Novariam* ab Helvetiis superatur.

Anno 1515. *Franciscus* Ducatum Mediolanensem recuperat, & iterum amittit; à Carolo V. Imperatore ad *Ticinam* captus, perpetuum cum eo bellum gerit.

Anno 1548. *Henricus* II. Urbem Methomatricum expugnat, prosperè contra Carolum V. belligerat.

Anno 1560. *Franciscus* Secundus, primo regni anno obit. Sub eo turbæ propter Religionem in Gallia exortæ, & factio *Hugenotarum* (ita vocabantur Reformatæ Religioni addicti) emersit.

Anno 1561. *Carolus* IX. bella cum Hugenotis varia gerit, & tandem inauditâ perfidiâ Anno 1572. in nuptiis *Henrici* Regis Navarræ immanem eorum cædem per universam Galliam committit. Hæc cædes vulgo appellatur *Nuptiæ* Parisienses cruentæ.

Anno 1574. *Henricus* III. Ultimus Valesiorum *Poloniæ* Rex creatus, auditâ fratis morte clam ex eo regno aufugit, & bella contra Hugenotas movit, novum fœdus, Ligam Sacram, cum Guisiis contra Hugenotas init, cujus scopus erat Hugenotas exscindere. Interim *Guisii* seditiosi, studebant Henricum Navarræ Regem, qui proximus cognatus erat successione regni excludere. Inde *Henricus* III. cum se à Guisiis ludibrio videret haberi, deserta Liga ad Hugenotas se contulit, ac cum Lutetiam Parisiorum obsideret, à monacho quo-

quodam *Iacobo* Clemente cultro confossus periit. Ita extincta familia Valesiorum, *Burbonii* successerunt, ex quibus *Henricus* IV. Rex Navarræ Anno 1590. bellum contra *Ligistas* continuat; à Reformata Religione ad Pontificium deficit, totaque Gallia mirabili virtute pacata à nebulone quodam Francisco *Ravalliaco* Parisiis cultro confoditur.

Anno 1610. *Ludovicus* XIII. *Iustus* Ancreum tollit, bellum contra matrem & fratrem gerit, *Rupellam* expugnat, ductu Cardinalis Richelii maximas res in Italia, Germania, Hispania & Flandria perficit.

Anno 1644. *Ludovicus* XIV. domi bellis civilibus propter Cardinalem Mazarinum exercetur: Cataloniam, *Casalam* & pleraque Flandriæ amittit, Urbem *Atrebatum* obsidione feliciter liberat.

MEMORABILIA
GERMANIÆ.

Extincta *Caroli* Magni familia, Germani exclusis Gallis imperium ad se suamque Nationem transtulernnt. Primus Germanorum Imperator fuit.

A. 912. *Conradus* Dux *Franconiæ*, cui successit *Henricus* Auceps Dux *Saxoniæ* sub quo plerique *Marchionatus* contra Hungaros Selenses instituti. Ex hujus Henrici Aucupis fa-

millia tres ordine *Ottones* imperarunt. Quorum *primus* dictus fuit *Magnus*: Secundus *Pallida* mors *Saracenorum*: Tertius *Mirabilia mundi*. Sub hoc ſeptem *Electores* Imperii inſtituti putantur. Inde *Henricus* II. *Sanctus* ſive *Claudus* Dux Bavariç Imperator factus eſt. Hunc coronavit *Willegiſus* Epiſcopus Moguntinus Plauſtrarii filius, cujus inſigne fuit *Rota*.

Anno 1106. *Henricus* IV. ad Imperium pervenit. Hic primùs fuit Imperator, quem Papa Romanus excommunicavit, & qui pertuis æmulorum ſuorum bellis exercitatus fuit. Incredibile dictu quantas hic Imperator injurias à Pontifice Romano pertulerit. Aſperrima hyeme nudis pedibus, intecto capite, fuit triduum jejunus in area arcis *Canuſinæ* abſolutionem flebiliter petens. Tandem ab filio Imperio ſpoliatus eſt. Erat autem omnis inter Imperatores & Pontifices controverſia de *inveſtitura* Epiſcopatus. Neque ante Pontifices conquieverunt, quam eam Imperatoribus extorſiſſent.

An. 1125. *Lotharius* Secundus, ſub quo Jus Romanum *Juſtinianeum* in Occidente à quodam Irnerio reſtitutum fuit.

Anno 1138. *Conradus* tertius *Henricum* Superbum Bavaria ſpoliat. Sub hoc factiones *Guelphorum & Gibellinorum* exortæ. *Guelphi* dicebantur quicunque partes Pontificis Romani

ni defendebant, à *Guelpho* Duce Bavariæ. Hic eſt ille *Guelphus*, quem cum Conradus III. in oppido *Winsberga* obſediſſet, uxores raro erga viros fidei exemplo gratiam ab Imperatore impetrarunt. Cum enim iis indultum fuiſſet, ut quantum quælibet humeris ſuis poſſet, ſecum auferret opum, ipſæ maritos abſportarunt, laudante factum Imperatore, & iracundiam ſuam gratia commutante. *Gibellini* autem erant, qui partes Imperatorum contra Pontificias tuebantur. Ita in duas has factiones tota Germania & Italia dividebatur.

Anno 1152. Fridericus Barbaroſſa Mediolanum funditus delevit, ab Alexandro III. Papa pedibus conculcatus fuit, cum dicto: *Super aſpidem ambulabis & conculcabis colla Leonum:* Cumque Fridericus regereret: *Non tibi, ſed Petro.* Papa reſpondit. *Et mihi & Petro.* Extrema ſenecta Fridericus expeditionem in Terram Sanctam ſuſcipiens, in Ciliciæ fluvio ſubmerſus, periit, ut aliqui tradunt. Propius vero, ægritudine & ſenecta obiiſſe. Hujus Friderici filii fuerunt Henricus Sextus & Philippus, qui ordine imperarunt, quorum hic ab Ottone Witelſpachio nefariè trucidatus fuit. A. 1208. Ei ſucceſſit A. 1212. Fridericus Secundus. Hic perpetuis Paparum odiis exagitatus magno animo æmulos ſuos debellavit, & Hieroſolymam ab Ægyptio Sultano recuperavit. Contra eum creatus fuit Cæſar *Wilhelmus*

Hollandiæ Comes, *Alphonsus* XII. Rex Castiliæ, *Richardus* Dux Cornubiæ. Necatur *Fridericus* à filio suo illegitimo *Manfredo*. Successorem habuit filium *Conradum*, sed & hic veneno necatus, *Conradinum*, ultimum ex hac familia reliquit: Qui quanto scelere à Carolo Andegavensi Neapoli decollatus fuerit, supra in rebus Siculis dictum.

Post obitum Friderici II. terribile interregnum in Imperio Germanico fuit, quod totis octodecim annis duravit. Nihil passim per omnes Provincias, nisi vis & devastatio, nulla legum reverentia aut cura, quisque sibi dux & author, ac amoto capite jus penes potentiores erat. Tandem Principes harum confusionum pertæsi, *Rudolphum* Comitem Habsburgensem Imperatorem crearunt.

Anno 1273. Hic est ille *Rudolphus* Conditor Familiæ *Austriacæ*, cujus hodie imperium toto orbe amplissimum est. Is igitur concussum longo interregno imperium justitiâ & pace iterum composuit, rebelles in ordinem redegit, latrocinia excisis passim arcibus extinxit. Ingens bellum cum Superbo *Ottocaro* Rege Bohemorum gessit, quem plurimis provinciis & simul vitâ exuit.

Ita *Rudolphus* vacuam nactus *Austriam* cum *Carinthiâ & Stiriâ*, eas tanquam feudum Imperii *Alberto* filio suo tradidit, atque ita potentiæ Austriacæ fundamenta posuit. Inter

ter arcana ejus fuit, ***non ingredi Italiam.*** Quippe terrebant eum veſtigia priorum Imperatorum, quibus Pontifices, non aliam ob cauſam, tum infenſi fuerunt, quam quòd jus in Italiam ſibi aſſererent.

Anno 1291. Mortuo Rudolpho, *Adolphus* Naſſoviæ Comes Imperator creatus fuit. Ei ſe oppoſuit *Albertus* dux Auſtriæ Rudolphi filius, à quo apud *Spiram* in prælio obtruncatus fuit Adolphus. Ita Imperium armis obtinuit *Albertus*, ſed & ipſe paulò poſt à *Iohanne* fratruele ſuo apud *Schafuſiam* Helvetiæ nefariè interfectus fuit. Ita Anno 1308. Imperium ad Henricum VII. Comitem Luxenburgicum pervenit, quem in Italia monachus, dum Euchariſtiam ſumit, hoſtia veneno infecta ſuſtulit.

Anno 1314. Electus fuit Ludovicus IV. Dux Bavariæ cui ſe oppoſuit Fridericus Pulcher Dux Auſtriæ, ſed is à Ludovico victus in prælio, captuſque juri ſuo imperium renunciavit. Hic Ludovicus ultimus fuit quem Papæ exagitarunt.

Anno 1346. Carolus IV. Rex Bohemiæ Imperator factus, imperium abalienatis reditibus vehementer debilitavit. Hic auream *Bullam* promulgavit: Ita vocatur *Lex imperii fundamentalis* ſecundum quam hodieque gubernatur. Filium & ſucceſſorem habuit *Venceſlaum* cognomine *Ignavum*, qui flagitiis & ſce-

ſceleribus adeo fœdus & maculoſus fuit, ut Electores Imperio ipſum abdicare cogerentur. In ejus locum ſuffectus fuit Anno 1400. *Rupertus* Comes Palatinus: & huic, intra decennium defuncto, ſucceſſit *Sigiſmundus*, ſub quo exarſit bellum *Huſſiticum* ob Religionem geſtum; cum enim *Iohan*. Hus & *Hieronymus* Pragenſis in Concilio Conſtantienſi combuſti uiſſent, Bohemi arreptis, Duce Joh. *Ziſcâ*, arſmis, mortem eorum atrociter ulti ſunt, occiſis omnibus paſſim quos deprehendebant, Monachis, & Sacerdotibus. Hujus *Ziſcæ* fortuna admirabilis fuit: Quippe ingentes Germanorum exercitus parvis copiis multoties profligavit, tantuſque terror nominis ipſius fuit, ut ſolo adventu hoſtes in fugam conjiceret.

Anno 1438. Sigiſmundo ſucceſſit Albertus II. Auſtrius, à quo longâ ſerie decem ordine ex Auſtriaca familia *Imperatores* ſibi invicem ſucceſſêrunt, nimirum

Anno 1440. Fridericus III pacis amator, qui tamen contra Carolum Audacem Burgundiæ Ducem bellum gerere coactus fuit. Ejus filius *Maximilianus* Primus, ducta Maria Caroli Audacis filia, dux Burgundiæ & Princeps Belgii factus, *Hungariam* quoque & *Bohemiam* domui Auſtriacæ conciliavit; ingentia bella geſſit; imprimis *Venetos* in tantas anguſtias redegit, ut omnibus in continente amiſſis, etiam de urbe ſua defendenda deſperarent, ac

pa-

pacem supplices peterent. Ejus filius *Philippus* ducta *Iohanna* Ferdinandi Catholici & Isabellæ filia, Rex Hispan. factus, successorem reliquit famosum illum Carolum V. cujus tanta fuit potentia, ut cuilibet veterum Imperatorum comparari possit. Hic *Franciscum* Regem Galliæ in prælio Ticinensi cepit, *Romam* expugnavit, maxima bella, in Germania, Gallia, Italia, Africa & America gessit, tandemque Imperio deposito, privatus obiit. Successorem Imperii habuit fratrem Ferdinandum I. in Hispania, Philippum II. filium, à quibus hodiernæ familiæ Imperatorum & Regum Hispaniæ descendunt Ferdinando successerunt, *Maximil.* II. & *Rudolphus* II. Sub quibus bellum in Hungaria Turcicum, domi res quietæ: donec A. 1612. *Matthias* & A. 1619. *Ferdinandus* II. succederet; Sub quibus ex Bohemico Bello, Germanicum natum est, & nostro tempore pace terminatum.

Anno 1637. *Ferdinandus* III. Imperator factus pacem Monasteriensem init. Ei successit *Leopoldus* I.

MEMORABILIA
ANGLO-SAXONICA.

CUm *Romani* sub *Valentiniano* III. Imperatore A. 430. Britanniam deseruissent, Rex Britanniæ *Vortigernus* à Scotis & Q 5 Pictis

Pictis afflictus *Anglo-Saxones* ex Germania contra eos evocavit. Illi ducibus *Hengisto & Horso* eò delati, pulsis *Scotis*, partem insulæ obtinuerunt, ejusque amænitate capti, evocatis ex Germaniâ majoribus copiis arma in *Britannos* verterunt, illisque totâ ferè insula pulsis, & deletis, *Septem* regna Anglo-Saxonica constituerunt, *Cantium*, *Sussexiam*, *Vestsexiam*, *Merciam*, *Essexiam*, *East-Angliam & Northumbriam*, quæ tandem Anno 800. ab *Egberto* Vestsaxonum rege omnia in unum Angliæ corpus redacta sunt. Paulò post *Dani* excursionibus suis Angliam infestarunt, tandemque Anno 1017. eorum Rex *Canutus* tota Anglia potitus fuit. Post quem *Haraldus & Hardicanutus* regnarunt. Donec Angli insolentiæ Danorum pertæsi, clandestina conspiratione universos una die trucidarunt. Ita extinctum fuit Danorum in Anglia Imperium, ac legitimo hæredi *Eduardo* Confessori restitutum.

Anno 1065. Eo defuncto absque prole, *Haraldus* Danus Regnum per vim obtinuit. Sed intra annum à *Wilhelmo* Normandiæ duce victus ac in prælio occisus fuit.

Sic Anglia in potestatem Normannorum pervenit Anno 1066. *Wilhelmus* ob expugnatam Angliam, dictus *Conquestor* cum uno prælio sexaginta Anglorum millia interfecisset, novam Imperii rationem, Leges, & Linguam Nor-

Normannorum introduxit: Unde hodieque Lingua Anglica, plus quam dimidia sui parte *Normandica & Gallica* est;

Wilhelmo successit Anno 1094. filius *Wilhelmus* II. Rufus qui casu in venatione telo transfixus fuit. Post quem Anno 1101. *Henricus* I. qui Roberto fratre capto Normandiam Angl. regno subjecit. Post eum civilia per Angl. pro regno bella inter *Stephanum* Comitem Blesensem & *Mathildim* Henrici I. filiam: Quæ tandem composita sunt adoptione *Henrici* II. Mathildis filii. Sub hoc *Henrico* II. primordia belli inter Anglos & Gallos diuturni exarserunt. Idem *Hiberniam* expugnavit, ejusque Dominus factus est Anno 1172. Successorem habuit *Richardum* I. cognomine *Cor Leonis*. Hujus Richardi maximæ fuerunt res, quas in terra Sancta contra Saracenos gessit. Sed in reditu à *Leopoldo* Duce Austriæ, cum quo inimicitias gerebat, captus, vix ingenti pecuniâ libertatem recuperavit, ac tandem in Pictonibus dum Castellum oppugnat, sagitta percussus interiit, Successore relicto fratre *Iohanne*, qui omnium Angl. regum infelicissimus fuit, à Papa & Baronibus suis miserè exagitatus, tandemque veneno per Monachum interemptus. Anno 1217. *Henricus* III. suâ socordiâ civili bello occasionem præbuit, quod simillimum fuit illi cujus exemplum nostra ætas inter Regem & Parlamentum vidit. Post

cum *tres* Ordine *Eduardi*, quorum primus, Scotis ingenti prælio profligatis, totâ fere Scotiâ potitus fuit. *Secundus* maximis cladibus à *Roberto* Brussio Scotorum Rege affectus, omnia iterum amisit. Hic *Eduardus* II. propter malam & infelicem regni administrationem, ab uxore *Isabellâ & Eduardo* filio captus, & regno spoliatus, tragicum vitæ exitum habuit. Incredibile dictu! quantas ille in carcere miserias pertulerit: Nihil tamen sibi molestius fuisse dicebat, quam foetorem cadaverum humanorum, quo ipsum hostes enecare conabantur. Tandem noctu à Sicariis quibusdam, adacto per inferiora candente ferro, ne ullum externæ mortis indicium esset, immaniter necatus fuit, & audito toto passim castello horrendi morientis clamores & boatus. Et tantarum calamitatum alia causa non fuit, nisi quod nimium addictus esset cuidam *Petro* Gavestono ejusque amicitiam præferret desideriis populi sui; Filium & successorem habuit *Eduardum* III. omnium Angliæ Regum maximum & invictissimum. Hic est ille qui *Philippo* Valesio de successione in regnum Gall. controversiam & bellum movit, eum maximis ad *Slusam* Flandriæ, & *Cresiacum* præliis vicit, ipsumque regem Gall. *Iohannem* in prælio cepit, de quibus supra. Sed quam felix bello Eduardus, tam infelix successore *Richardo* II. fuit. Hic nihil peiterritus lamentabili morte

Eduar-

Eduardi II. eadem planè negligentia Rempubl. administravit, & dum adulatoribus quibusdam, ex quibus præcipui erant *Spenseri*, patulas aures indulget, odium populi incurrit, & ab omnibus desertus, regno spoliatur, ac in carcerem conjicitur, in quo *fame* necatus fuit. Quippe cibus ipsi apponebatur, sed eum tangere aut gustare non licuit.

Ita *Tantali* instar miserè tortus & fame excarnificatus fuit. Alii referunt, *securi* percussum fuisse. Filius erat *Eduardi* nigri Principis Valliæ, illius qui in prælio Pictaviensi *Iohannem* Regem Franciæ ceperat, & ut patrem habuerat, summæ virtutis ac fortitudinis, ita ipso nihil ignavius & infelicius.

Richardo II. necato, Regnum Angliæ pervenit ad familiam Ducum *Lancastriæ*. Ex qua primus regnavit *Henricus* IV. Ei successit *Henricus* V. qui totam fere Gall. expugnavit, & ducta Catharinâ Caroli VI. filia heres regni Gall. declaratus fuit, tanto successu, ut *Henricus* VI. filius ejus Lutetiæ in summo templo Francorum Rex coronaretur.

Sed hic, ut optimus Princeps, sic bello infelicissimus fuit, omnibusque bonis spoliatus ab Eduardo duce Eboracensi captus, & in carcere necatus fuit.

Igitur Ann. 1460. familia Ducum Eboracensium, ad regnum pervenit, ex qua regnavit *Eduardus* IV. Hinc ingens civile bellum, inter.

inter duas has familias Lancastrensem & Eboracensem. Eduardus IV. ab æmulis suis regno pulsus in Hollandiam fugit, tam pauper, ut non haberet, unde mercedem solveret nautæ: Sed paulo post adjutus à Carolo Burgundiæ duce regnum recuperavit. Fratrem suum Georgium Clarentiæ Ducem in dolio Malvatici vini suffocavit. Filium reliquerat *Eduardum* V. sub tutela fratris sui *Richardi* Ducis Glocestriꝗ: Sed is oblitus omnis pietatis & fidei pupillum suum nefariè & crudeliter interficit, seque miris fraudibus regem constituit. Ann. 1482. Hic Richardus III. omnium Tyrannorum immanissimus, regni sui anno tertio, ab Henrico Duce Richmontiæ apud Lecestriam occisus, ejusque cadaver sanguine & luto deforme vili sepultura conditum fuit.

In A. 1484. Henricus VII. omnium Angl. regum Sapientissimus Regnum obtinuit, ac feralis Eboracensis & Lancestrensis familiæ inimicitias perpetuâ pace extinxit. Idem *unionis* Angl. ac Scotiæ fundamenta posuit. Sub eo famosi aliquot impostores, qui se pro *Eduardi* IV. sobole gerebant, emersere, regnumque miris modis perturbarunt: Inter quos famosissimus fuit quidam *Perking* Warbek.

Anno 1509. Henrico VII. successit filius *Henricus* VIII. Rex magnanimus, sed inconstans ac mulierosus. Hic uxorem suam *Catharinam* repudiavit. Quod factum cum Pontifex

fex Romanus probare nollet, jugum ejus excussit, & omnia per totam Angl. Monasteria diruit, suasu imprimis Thomæ Cromwelli, quem ex fabri ferrarii filio Comitem Essexiæ creaverat. Idem tres uxores suas capite plecti jussit. Cumque ante defectionem à Papa contra Lutherum scripsisset: *Defensoris fidei* accepit titulum. Filium reliquit *Eduard*. VI. incomparabilis pietatis & ingenii puerum, sub quo Anglia Reformat. Religionem accepit. Sed is maximæ spei rex anno ætatis decimo sexto obiit, veneno, ut putatur sublatus.

Post eum regnavit A. 1553. *Maria* quę Papæ authoritatem in Anglia restituit, & ducto Philippo II. Hispan. rege, urbem *Caletum* amisit. Sic Angli omni Imperio transmarino exciderunt.

An. 1560. Ejus Soror fuit Elisabetha, quæ omnes Angl. reges rerum gestarum magnitudine superavit: Cujus præcipua opera fuere Reformatæ religionis, ejecto *Papatu*, instauratio: Belgarum contra *Philippum* II. regem Hispan. defensio: Classis Hispan. profligatio.

A. 1588. Ejusdem jussu, Maria Scotorum Regina capite plexa fuit, cujus tamen filium *Jacobum* VI. Scotiæ regem, quod ipsa improlis decederet, hæredem instituit. Sic extincta familia regum Angl. *Anglia, Scotia & Hibernia* sub unius Regis Imper. concesserunt, de qua conjunctione, antequam agamus, præmittenda

tenda sunt quædam memorabilia ex historia Scotor. & Hibern.

MEMORABILIA SCOTIÆ.

SCoti primo suas sedes in Hiberniâ habuere: ex ea trajecere in eam Septentrionalis Britanniæ partem, quæ hodieque *Scotia* dicitur. Primus ipsorum rex *Fergusius* appellatur, Alexandro Magno coætaneus, à quo ad Carolum II. infelicem regem hodiernum *centum* sexaginta quatuor reges numerantur; sed illa antiqua, merito fabularum suspecta habentur. In Britanniam delati Scoti Pictos penitus delevere circa An. 900. Anno vero 800. *Achæus* rex Scotor. fœdus cum Carolo Magno perpetuum inivit, quod inter ipsos & Francorum Reges multis seculis continuatum, nostra memoria abruptum fuit.

Anno 1285. Alexander III. Rex Scotorum sine prole obiit, ex quo maxime contentiones propter successionem ortæ sunt. Duo autem prætendebant jus in regnum, *Iohannes* Balcolus & *Robertus* Brussius. His inter se litigantibus, *Eduardus* I. Rex Angliæ, Scotiam fere totam expugnavit, delitescente interea in sylvis & speluncis Roberto, qui post mortem Eduardi, successore ejus Eduardo II. duobus maximis præliis victo, Anglos tota Scotia ejecit, ac successo-

cessorem reliquit filium Davidem. Quo absque prole defuncto familia *Stuardi* ad regnum pervenit A. 1320. Ex hac sex Ordine Jacobi regnavere, quinque violenta morte extincti, imprimis infelix fuit Jacobus II.

Jacobi V. filia fuit Maria, illa seculi sui furia: Quæ cum Scotiam cæde & sanguine replevisset, ac maritum suum *Henricum Stuardum* noctu per Sicarios strangulari curasset eversa domo pulvere pyrio, ut casui vel hostium insidiis ea cædes imputaretur: tandem in Anglia & ipsa jussu Elisabethæ decollata fuit relicto filio Jacobo VI. Scotorum rege.

MEMORABILIA
HIBERNIÆ.

Hibernia olim in *quatuor* regna divisa fuit. Sic tamen, ut semper penes unum aliquem ex his monarchia esset. Ultimus Hiberniæ Monarcha fuit *Rodericus*, qui cum reliquos Regulos durius tractaret, ipsi Anglos auxilio evocavere: quorum rex *Henricus* II. Hiberniam expugnavit A. 1172.

CON-

CONJUNCTIO ANGLIÆ, SCOTIÆ & HIBERNIÆ.

ANno 1603. Cum *Elisabetha* absque prole obiisset, *Iacobus* VI. Scotiæ rex, ei tanquam proximus agnatus, in *Angliâ* quoque successit, omniumque Insularum Britannicarum primus *Monarcha* factus est, ac se regem magnæ *Britanniæ*, *Franciæ & Hiberniæ* appellari voluit. Initio Monarchiæ suæ conjurationem pulverariam feliciter evasit, ac toto imperii sui tempore paci deditus, à bellis in totum abstinuit, unde pro ignavo habitus & contemptus fuit: imprimis tamen naso adunco eum suspendit *Gondomarus* Regis Hispan. Legatus, qui ipsi quódcunque vellet facile persuasit. Veneno necatus putatur, & suspectus ob ipsius mortem fuit Dux *Buckinghamiæ*. Hujus filius & successor fuit *Carolus* I. Regum omnium *infelicißimus*, qui cum initio regni negligentior fuisset, ac Parlamenta sua vili penderet, proque Episcopis extollendis nihil non ageret, populo suo exosus primo à Scotis, deinde ab Hibernis, denique ab Anglis, bello petitus, victus, captus, venditus, tandemque capite plexus fuit, relicto successore & infortuniorum Regnorumque hærede *Carolo* II. Ita *Stuardorum* domus longa successione perpe-

petua infelicitatis & tragœdiarum exempla suppeditavit.

MEMORABILIA SCLAVONICA.

I. DALMATICA.

Sclavones in *Dalmatiâ & Illyrico*, Croatiam, Serviam, Russiam, Bosniam & Bulgariam, singula regna constituerunt circa Annum Christi 548. Horum res pleræque sunt obscuræ. Circa A. 1340. *Stephanus* Sclavorum rex ad tantam potentiam pervenit, ut se Imperatorem Græciæ, Serviæ, & Bulgariæ appellaret, sed paulò post circa A. 1460. omnia hæc regna in Turcarum potestatem pervenerunt.

II. SARMATICA, *quæ res* BOHEMORUM, POLONORUM, & RUSSORUM *complectuntur*.

Bohemorum primus dux & conditor fuit *Czechius* à quo Bohemi hodieque *Czechi* appellantur.

Anno 1086. *Vratislaus* ab Henrico IV. Imperatore rex Bohemorum creatus fuit, quem titulum per 180. annos intermissum; Anno 1159. *Vladislaus*, concedente *Friderico* Barba-

barossa recepit, & ad posteros continuâ serie transmisit.

Anno 1189. *Promislaus* Ottocarorum familiam condidit. Quippe cum Ottoni IV. Imperatori impensè faveret, dictus fuit à Saxonibus Ottocarus, *charus* Ottoni, vel *totus* Ottonis, quem titulum nominis loco posteri ejus retinuere.

Anno 1245. Ex his Premislaus *Ottocarus* III. Regnum Bohemiæ ad summam amplitudinem deduxit, idque à mari Ba'tico usque ad Adriaticum auxit, occupata Austriâ, Carniolâ, Marchiâ Vinidorum, Sclavonia & Stiria.

Idem in *Prussiâ* superatis Tartaris urbem Kenixbergam condidit. Sed omnes has provincias ipsi cum vita eripuit Imperator *Rudolphus* I. Habsburgicus, nihilque ejus posteri retinuere nisi Bohemiam & Moraviam.

Anno 1306. Extinctâ *Ottocarorum* familia, Bohemi reges exteros crearunt: I. quidem ex familia Ducum *Lutzenburgicorum*, *Iohannes*, à quo ordinè tres regnavere Imperatores *Carolus*, *Nentzel*, *Sigmund*, *de quorum rebus supra*.

Ab his Bohemia ad domum *Austriacam* pervenit, quamquam aliquoties interrupta serie. Ex hac primus fuit Albertus, qui mox defunctus reliquit filium posthumum Ladislaum, quem in ipso nuptiarum apparatu cum Magdalena Caroli Octavi regis Galliæ filia,

Con

Concubina ipsius pomo venenato sustulit. Ita Georgius Podjebratius nobilis Bohemus regnum occupavit,& Hussitarum doctrinam nihili æstimata Papæ excommunicatione in Bohemia defendit, quem Poloni excepere *Ladislaus & Ludovicus*.

Anno 1526. Cum *Ludovicus* à Turcis in prælio ad Mohatzum occisus esset Bohemia A. 1619. ad Austriacos rediit, quorum successio non nisi semel à Friderico Electore Palatino interrupta fuit.

MEMORABILIA
POLONICA.

I. ANno 550.Polonorum Dux fuit *Lechus* à quo ipsi Poloni *Lechi* dicuntur. Cujus Lechi familia extincta successit *Cracus*, A. 700. à quo Cracovia structa.

II. Anno 830. Principum familiam fundavit Rusticus quidam *Piastus*. Primus Poloniæ Rex creatus fuit ab Ottone III. *Boleslaus* Chrobrius,sub quo Poloniæ fines longe latéque prolati. Cum vero *Boleslaus* Audax S.Stanislaum Episcopum Cracoviensem nefariè obtruncasset, Poloni per 215. annos titulo Regio abstinuerunt, Ducali dignitate contenti. Ex his celeberrimus fuit *Boleslaus* III.Princeps bellicosissimus.

An. 1103. Hic quadragesies septies prælio cum hostibus conflixit. An-

Anno 1294. *Premislaus* Posthumus denuò Regium diadema recepit, & ad Successores suos transmisit.

Anno 1320. *Silesia* à regno Poloniæ ad Bohemos defecit, neque ab eo tempore Poloni Silesiam recuperare potuere.

Anno 1386. Extincta Piasti familia, Poloni *Iagellonem* magnum Ducem Luthuaniæ, regem crearunt, hac duplici conditione: ut fidem Christianam amplecteretur, ut Lithuaniam Poloniæ perpetuo fœdere jungeret. Ita Jagellorum familia in Polonia per 190. annos regnavit. Hic *Iagello* cum baptisaretur, *Ladislaus* dictus fuit, abolitaque per Lithuaniam idololatria gentili, religionem Christianam ibi strenuè propugnavit. Hujus filius fuit Ladislaus V. qui cum Polonia Hungariam conjunxit, & in famoso illo ad Varnam cum Turcis prælio occisus fuit A. 1444.

Anno 1466. *Casimirus* Borussiam regno Poloniæ subjecit.

Anno 1492. *Iohannes* Albertus Infelicissimus Polonorum Rex, sub quo Tartari ingens damnum Poloniæ intulerunt; *Sigismundus* Augusti, Divoniam subjecit, & Gothardum Kethlerum ducem Curlandiæ constituit.

Anno 1573. Sic extincta Regia familia Poloni regnum ad exteros detulerunt, & *Henricum* Ducem Andegavensem Caroli Noni regis Galliæ fratrem elegerunt, sed hic re male

gesta,

gesta, fratris morte audita sexto mense clam aufugit, in cujus locum subrogatus fuit *Stephanus* Bathoreus Transylvaniæ Princeps, qui maxima & felicissima bella contra Dantiscanos & Moscovitas gessit. Eo sine prole mortuo, *Sigismundus* Johannis III. Suecor: regis filius à Polonis Rex electus fuit, cujus posteritas hodieque regnat. Hic regnum Poloniæ & Sueciæ conjunxerat, sed dum in Suecia Consilio Jesuitarum religionem turbat, ejectus est, & amisso patrio Regno solam Poloniam tenuit.

Ei Successit *Vladislaus* IV. qui memorabilem illam de Muscovitis ad Smolenskum victoriam obtinuit. A. 1634.

Anno 1647. Polonia ingenti motu à Cossacis & Tartaris concussa, bellum in hunc usque diem horrenda totius regni vastatione continuatur, Moscovitis Smolenscum expugnantibus, Suecis irrumpentibus & expulsis.

MEMORABILIA
RUSSIÆ.

TRes fratres *Czechus*, *Lechus* & *Russus* fuere, à duobus prioribus Bohemi & Poloni, à tertio Russi conditi perhibentur.

Ipsi Russi primum Ducem suum vocant Ruricum famosæ illius & magnæ Novogardiæ conditorem. Ex ejus filiis celeberrimi fuere

fuere Suætoslaus, quem Græci in Annalibus suis vocant Sphentostablum, qui domita Bulgaria, Imperium Russiæ, usque ad Pontum Euxinum & Thraciam propagavit.

Anno 989. *Vladimirus* dux Russorum religionem Christianam secundum ceremonias Græcorum in Russiam introduxit. Hic urbem *Wlodimiriam*, quæ diu caput Imperii Russici fuit condidit ac totam Russiam, pro numero filiorum suorum in duodecim Ducatus divisit. Ex quibus hi tres præcipui fuerunt, Wladimirius, Naugardensis & Kioviensis. Hæc divisio Russiam civilibus bellis inter cognatos mirum in modum involvit, quæ etiam extingui nequivere, donec Russia in unius Monarchæ potestatem iterum veniret.

Anno 1224. Tartari duce *Bathi* universam Russiam servituti suæ & annuo tributo subjecerunt, quæ duravit usque ad A 1300.

Anno 1324. *Georgius* dux Wladimiriæ, regiam urbem Moscoviam ad flumen Moscum struxit, quæ inposterum totius Imperii caput, toti insuper genti nomen dedit, ut hodie Moscovitæ in universum Russi appellentur.

Anno 1500. *Iohannes* dux Moscoviæ Tartarorum jugum penitus excussit, & reliquis ducibus oppressis, omnium Russorum Regem sive Imperatorem se appellavit, ac Imperium longè lateque propagavit, & latius adhuc ejus Successor *Basilius*, qui Provincias glaciali

Oceano

Oceano vicinas usque ad fluvium Obium & novam Zemblam recuperavit, atque insuper Lithuaniæ Ducatus *Smolensko & Pleskoviæ* eripuit. Hujus filius fuit *Iohannes* Basilides, famosus ille Russorum tyrannus, qui expugnatis duobus Tartarorum ad Volgam Regnis Cazano & Astracano, limites Imperii sui usque in Persiam & ad mare Caspium produxit. Idem atrocissimo bello Livoniam afflixit, ibique magnis cladibus acceptis, in furorem versus horrendas passim suorum pariter ac hostium strages edidit, & optimum filium suum Johannem, sua manu occidit. Inaudita fere & incredibilia sunt, quæ de ejus tyrannide à Paulo Odenbornio, qui tum temporis in Muscovia fuit, referuntur.

Anno 1604. Ei successit filius *Theodorus*, Princeps simplicis ingenii, quo sine liberis defuncto, *Russia* inauditis malis propter successionem exercita, & tantum non pessundata fuit. Quippe cum *Iohannes* Basilides duos habuisset filios Theodorum & Demetrium, hic clam fraude quorundam ante patris obitum interfectus fuerat: cum vero Theodorus absque prole obiisset, Poloni quendam impostorem, cui nomen erat Gregorio Strepio, subornarunt, qui se pro Demetrio Basilidis filio gereret, adeoque Patrium Imperium suo jure posceret: Tanto autem artificio hic fictitius *Demetrius* Personam suam egit, ut nemo o-

mnium Russorum dubitaret, quin legitimus Johannis Basilidis filius & Imperii hæres esset. Certatim igitur ad ipsum defecere, quod cum videret Borisfederovicius, qui Russorum dux interea creatus erat, mœrore animi, sive veneno extinctus fuit. Ita hic Pseudo-*Demetrius*, magno applausu receptus Imper. Russorum obtinuit, sed paulo post Russis fraus subolere cœpit, quippe Polonorum potius quam Russorum mores sequebatur. Quapropter conspiratione initâ, eum obtruncant, & Imperium ad quendam Basilium Zuski deferunt. Sed mox novus iterum erumpere Demetrius, & post hunc tertius, ut toties occisus Demetrius, semper iterum resurgeret, & turbas in Russiâ daret: Longa est Tragœdia, longæ ambages: denique Russia inter illas commotiones, miserum in modum afflicta & exhausta fuit, hinc Polonis, inde *Suecis*, alibi *Cossacis & Tartaris* prætextu auxilii, irrumpentibus. Poloni ipsam Urbem Moscoviam direptam & spoliatam combusserunt, in cujus urbis casu ducenta millia Russorum periere; & veteres Ducum Thesauri, inæstimabiles planè, direpti sunt, tantâ militum prædâ, ut pretiosissimas margaritas & gemmas pro plumbeis pilis per bombardas suas ejacularentur. Inter hæc mala ambigui Russi & tot passim erumpentibus Demetriis, quo se verterent incerti, tandem alii Uladislaum Poloniæ principem, alii Carolum Philip-

lip-

lippum, Gustavi Adolphi regis Sueciæ fratrem, ducem poscere. Sed & horum mox pertæsi tandem Imperium detulere,

Anno 1612. *Michaeli* Federovicio principi laudatissimo, qui confusam & exhaustam civilibus turbis Russiam beatâ pace instauravit, una tantum clade,

Anno 1634. Ad Urbem *Smolensko* à Polonis acceptâ.

Ei successit Anno 1645. filius *Alexius* Michalovitius, qui Anno 1654. cum exercitu 40000. in Lithuaniâ irruptionem fecit, & urbem Smolensko obsidione pressam cepit.

MEMORABILIA UGRICA SIVE HUNGARICA.

ANno 400. *Hunni* ex Scythia in Europam migrarunt, & creato rege Attila in Galliæ campis Catalaunicis à Romanis, Francis & Vest-Gothis superantur: Quo in prælio 180000. suorum amisit. Inde vastata Italia in Pannoniam rediit, ibique nuptiis indulgens, profluvio sanguinis repentè extinctus fuit. Post ejus mortem rebellibus passim Provinciis & accedente Hunnorum discordiâ, concidit ma-

gnum illud Imperium, ita quidem ut Chaba Attilæ filius vix reliquias aliquas in Scythiam reduceret.

Anno 744. Secunda Hunnorum in Pannoniam migratio sub septem ducibus accidit. Contra hos Hunnos Carolus M. ejusque successores gravia bella gesserunt.

An. 900. Ugri sive Juhri, quos hodie Hungaros vocamus, ex ultima Scythia & à Glaciali Oceano in Pannoniam venere, deletisque & extinctis Hunnis, Hungariæ regnum ibi constituerunt. Hi Ugri sive Ungari horrendam Germaniæ ac Italiæ vastitatem stragemque intulerunt, donec multoties contusi mitescerent, & fidem Christianam susciperent. Stephanus Sanctus Rex ipsorum primus Christianus fuit, cujus posteri longa serie regnarunt.

A. 1242. Tartari Hungariam destruxerunt, quæ quidem destructio miserrima fuit, ita ut tres hæ vastationes, nimirum regni Congensis, Pegu & Hungariæ inter se comparari possint. Post illa tempora Hungaria externos reges habere cœpit, ex quibus maximè famosi Sigismundus, qui à Turcis ad Nicopolim cæsus, deinde *Mathias* Corvinus Hunniades, qui priscis heroibus comparari potest, & Turcarum terror atque fulmen fuit. Hic Mathias ex carcere ad regnum mirabili fortunæ inconstantia, promotus fuit, cum Ladislaus posthumus Pragæ veneno necatus fuisset: sicut supra dictum.

An-

Anno 1524. *Ludovicus* Rex Hungariæ à Turcis ad Mohatzum cum exercitu cæsus periit. Unde Turcæ longè maximam Hungariæ partem occuparunt, dum inter se de Regno *Ferdinandus* Austriacus & *Iohannes* Zepusiensis certant, quippe hic in Solimanni Turcarum Imperat. clientelam sese dediderat, unde Solimannus A. 1529. ipsam Viennam Austriæ metropolim innumerabili cum exercitu obsedit; Sed re infecta discedere coactus fuit. Ab eo tempore Austriaci Reges Hungariam inter perpetua cum Turcis bella obtinuerunt. Transsylvani vero desciscentes ab Hungarorum Imperio peculiarem principatum Turcæ obnóxium condiderunt, cui primo Familia Bathoreorum præfuit, deinde famosus ille *Bethlehem* Gabor, qui velut alter Attila, terrorem toti Germaniæ suo nomine incussit. Post eum Georgius Rakosci factus princeps Transsylvaniæ, cujus filius ejusdem nominis hodie rebus feliciter præest.

TURCICA.

ANno 1038. Turcę occupata Persia regem crearunt *Togrulbekum*, quem Græci & Latini vocant Tangrolipicen. Mox emersit aliud Turcarum regnum in Asia minore, cujus metropolis erat Nicea Bythiniæ, ejus regem Solimannum *Godefredus* Bolioneus in Sacra illa ad recuperandam Hierosolymam expedi-

tione ſuperavit, & Niceâ captâ regno exuit.

Sed paulo poſt iterum Turcæ in Aſia minore emerſere, regia ſede *Iconii* poſita. Anno 1290. obiit *Aladinus*, Sultanus Turcarum Iconienſium. Cumque nullam reliquiſſet prolem, imperium ejus inter ſeptem duces diviſum fuit, quorum præcipuus Oſman, à quo hodierni Turcarum Imperatores deſcendunt.

Hic *Oſman* ſive Ottomannus fundamenta hodierni Imperii Turcici poſuit.

Ei ſucceſſit filius *Vrchan* Anno 1328. qui *Bruſam* Bithyniæ urbem expugnavit, ibique ſedem Imperii poſuit.

III. Fuit *Morad* ſive *Amurad* I. qui ex Aſia in Europam per Helleſpontum corruptis nautis Genuenſibus copias trajecit, & Serviam ac Bulgariam occupavit.

IV. *Bajazes*, quem famoſus ille Tartarorum Imperator Tamerlanes maximo prælio victum & captum in cavea ferrea per Aſiam omnibus ſpectaculo circumduxit, in qua etiam ex dolore animi exſpiravit. Hac tempeſtate Tartarica penitus deſtructum videbatur Turcarum Imperium, quod tamen paulo poſt iterum emerſit, & Machomed primus amiſſis recuperatis Adrianopolin præcipuam Thraciæ, poſt Conſtantinopolin urbem expugnavit, ibique ſedem Imperii poſuit.

VI. *Amurad* II. qui prætorianos milites, quos Janizaros vocant, inſtituit & Theſſalonicam cepit.

VII.

VII. *Machomed* II. qui A. 1453. Constantinopolim expugnavit, & Imperio Græcorum finem imposuit. Sub hoc Mahumed Turcarum Imperium maxima incrementa sumpsit. Quippe II. Imperia Constantinopolitanum & Trapezuntinum XII. regna, & ducentas urbes subjugavit.

VIII. *Bajazet* II. Quem jam senem filius *Selimus* regno exuit, & veneno necavit.

IX. *Selimus* I. qui Syriam & Ægyptum domuit victis ultimis Mamalucorum Sultanis *Campsone & Tomumbajo*, atque hoc etiam sub porta urbis Alcairæ unco suspenso. Hunc finem habuit præpotens Mamalucorum in Ægypto Imperium A. 1518.

X. *Solimanus* qui Insulam *Rhodum* & magnam Hungariæ partem subegit, sed Viennam Austriæ frustra obsedit, ut supra dictum.

XI. *Selimus* II. qui famoso illo ad *Naupactum* prælio navali, à Christianis victus, insulam Cyprum Venetis eripuit, & urbem Tunetum in Africa ab Hispanis recuperavit.

XII. *Amurates* III. & XIII. *Machomed* III. Hi bellis contra Persas & Hungaros varia fortuna occupati fuerunt.

XIV. *Achmed* cum quo Hollandi fœdus pepigerunt.

XV. *Osman*, qui cum contra Polonos infeliciter pugnasset, & sedem Imperii Constantinopoli Cairum transferre moliretur, à seditio-

sis Janizaris captus & publicè strangulatus fuit. Ab eo tempore authoritas Imperatorum Turcicorum apud suos evilescere cœpit.

XVI. *Amurates* IV. qui Urbem *Bagdad*, quam vulgo Babylonem vocant, amissam, incredibili apparatu & continua octo annorum obsidione ac bello recuperavit.

XVII. *Ibrahim*, qui bellum Venetis propter Candiam movit, ac quod male rem gereret, & imperio uxorum obnoxius esset, à suis strangulatus fuit, cui Anno 1648. successit Machomet IV. puer decennis, qui hodieque imperat, & bellum contra Venetos continuat.

MEMORABILIA
PERSICA.

ANno 1500. *Schah Ismael Sophi* Regnum Persiæ pulsis Turcis occupavit.

Anno 1524. Ei successit *Scha Thamas*, cui regiam urbem Taurim Turcę eripuerunt, unde sedem suam Casbinum transtulit.

III. *Scha Machomet* Chodabenda, cui Turcæ provinciam Schirvan ad mare Caspium eripuerunt.

IV. *Scha Abas*, qui urbem Taurim & reliqua amissa à Turcis recuperavit, domi infelix, ut qui unicum filium maximæ spei principem ex suspicione falsa interfecit.

V. *Scha Sephi*, cui urbem Bagdad Turcæ eripue-

eripuerunt, princeps supra modum iracundus, & in suos crudelis, cujus multa facinora in Itinerario Persico Olearii describuntur.

VI. *Scha Abas* puer hodieque regnat.

MEMORABILIA
TARTARICA.

Cingis Chan amplissimum Tartariæ Imperium fundavit, à quo tempore universa Scythia, Tartaria & Scythæ Tartari, sive ut vulgo loquuntur Tartari vocati fuerunt. Ejus filii diviso inter se terrarum orbe cum quatuor exercitibus versus omnes mundi plagas eruperunt, unus in *Orientem* versus Chinam, alter in *Indiam*, tertius in *Persiam* & IV. in ipsam *Europam*. Dux exercitus Europæi fuit *Bathi*, qui universam Russiam, Hungariam, Poloniam & Silesiam vastavit, ut supra diximus. Et hi Tartari amplissimum regnum, quod *Tartaria* deserta vocatur, condiderunt, & alio nomine *Zavolhense* sive *Transvolganum*.

II. Imperator Tartarorum fuit *Oktai*, sive ut alii vocant *Occota*, qui totam Persiam domuit.

III. *Mango*, qui Christianam religionem amplexus amplissimum imperium Chinense expugnavit.

IV. *Kublai*, sive *Cobila* qui maximam Chinensium Urbem *Cambalu* sive *Peking* exstruxit.

V. *Vlacucan* five *Allau*, qui urbem *Bagdadum* necato in thesauris suis Califa ultimo, expugnavit, ut supra dictum.

Post hos Imperium Tartarorum intestinis dissidiis collapsum & dilaceratum fuit, usque ad tempora *Tamerlanis*, qui A. 1370. ex latrone rex factus, incredibili felicitate ab extremis Chinarum oris Constantinopolim usque & in Ægyptum omnem Asiam domuit, & fulminis instar victoriarum suarum citatissimo cursu pervasit. Hic est ille qui Bajasetem Turcarum Imperatorem cavea ferrea clausum circumduxit, ut paulo antè dictum.

Sed hæc Tartarica gloria iterum in Tamerlano defecit, ejusque posteri reliquis regnis amissis solam hodie obtinent Indiam, quod Magni Mogolis regnum appellatur, cui potentia ac opibus extra Chinam in tota Asia par non est.

Anno 1600. Tartari *Orientales* supra *Chinam* hactenus in septem Principatus divisi, in unum regnum *Niuchæ* evaluerunt.

Anno 1616. Hi *Tartari*, quod ipsorum mercatores male à Chinensibus tractati fuissent, superato ingenti illo muro in Chinam irruperunt, neque ab eo tempore destiterunt, donec totum Imperium Chinense, quod amplitudine sua Europam superat, expugnarent.

Anno 1644. Quippe Regiam Urbem *Peking* expugnarunt, & cunctas Tartarorum nationes

tiones in Chinam evocarunt, incredibile dictu, quantæ cędes & urbium excidia in amplissimo Imperio patratæ. Denique hoc anno Tartari Universam quam latè patet Chinam Imperio suo subjecerunt, creato Imperatore *Xunchio* sexdecim annorum juvene. De hoc bello Tartarico legatur historia nuper edita à Martino Martinio.

MEMORABILIA CHATAICA.

I. CHINENSIS HISTORIA.

Regnum *Chinense* antiquissimum censetur, ita quidem ut annales ipsorum continuam regum seriem ab ipso diluvio ad nostra tempora exhibeant, diximus vero supra cum de Sesostris expeditione ageremus, Chinenses Ægyptiorum Coloniam videri; sed de priscis Chinensium rebus parum nobis constabat, donec Martinus Martinius ipsorum annales ex oriente allatos edidit. Imprimis memorabilis est ingens ille murus, quo *Tartaria & China* disterminantur, quem à Rege *Trintzoum*, vel ut alii, sed male, Crisagnol structum perhibent.

Circa An. 1206. *Cingis* Chan primus Tartarorum Imperator, superato muro Chinensibus bellum intulit, quod per septuaginta

tres annos continuatum fuit, donec totam Chinam expugnaret, quod factum A. 1278.

Ita novem ordine Tartari reges in China regnarunt, spatio 90. annorum.

Anno 1368. Quidam ex infima plebe Chinensis bello moto Tartaros universa China expulit, & Imperio potitus *Hunguum* sive *Homvu*, id est magnum bellatorem se appellavit, & regiam sedem in urbe *Nanking* posuit. Hujus posteritas regnavit ad nostra usque tempora.

Anno 1616. Regnante in China *Vanlieo* Tartari Orientales irruperunt, & diuturno bello universam *Chinam* expugnarunt, sicut supra dictum.

Anno 1644. Quidam *Xunnang* latro Chinensis maximam urbem *Peking* proditione cepit. Imperator Chinensium *Zungchinius* ne vivus in potestatem hostium veniret, arrepto gladio filiam nubilem obtruncavit, seipsum deinde ex arbore pruno suspendit. Ejus exemplum uxor & reliqui proceres secuti. Hic fuit ultimus Chinarum Imperator ex familia *Hungui*. Electi quidem alii post ipsum, sed qui non nisi provincias aliquot obtinuerunt. Qualis fuit *Hunhquangus*, qui à Tartaris Anno 1645. captus & in urbe *Peking* strangulatus fuit.

Ei Anno 1649. successit *Iunglieus*, sub quo quicquid in China restabat Tartarorum potentiæ subjectum fuit.

II.

II. COREANA.

DE horum rebus nihil nobis constat. Perpetuis *Iaponensium*, *Sinensium* & *Tartarorum* bellis exercentur.

III. JAPONICA.

I*Aponenses* à Chinensibus originem trahere perhibentur. Quippe Chinensium exules & proscripti, eas insulas multitudine sua impleverunt, quæ jam antiquissimo ævo unum semper Monarcham, quem *Dairum* vocabant, agnoverunt.

Anno 1600. Horum *Dairorum* potestas defecit. *Taico*, qui Imperium totius Japoniæ Dairo sponte se abdicante, ad se transtulit & novam Monarchiam condidit, cujus incredibilis potentia atque magnificentia est. Qui hodie in Japonia imperat *Chiongon* vocatur.

MEMORABILIA
ÆTHIOPICA.

I. ARABICA.

ANno 612. Quidam impostor & pseudopropheta *Muhammed* Arabes & Saracenos novâ religione imbutos, ad amplissimi Imperii spem excitavit. Igitur Arabes ex desertis suis innumerabili multitudine prorumpentes, primo vicinam sibi Syriam, inde Ægy-

gyptum, Persiam & denique quicquid ab extremis Sinarum oris, in Hispaniam usque terrarum situm est, fulminis instar occuparunt, ipsorum Imperatores summi simul in religione Pontifices erant, unde appellabantur Imperatores fidelium & Chaliphę sive vicarii & Successores Machometis.

Anno 713. *Arabes ex* Africâ in Hispaniam evocati debellato Roderico ultimo Vest-Gothorum rege, totam Hispaniam occuparunt, ut supra dictum. Ex Hispaniâ in Galliam erumpentes, totius occidentis dominium animo & spe jam dudum devoraverant, ac procul dubio ipsis negotium successisset, cum universam jam Galliam usque ad Ligerim & urbem Turonum sua multitudine inundassent, nisi insuperabilis Caroli Martelli Brabantiæ Ducis & Majoris domus, virtus obstitisset, qui eos ingenti prælio superavit, ac omni iterum Galliâ feliciter ejecit.

Anno 656. Ingens inter Arabes ob successionem in Imperium controversia. Duo enim prætendebant jus, *Aly* gener Machometis, cujus filiam *Fatimam* uxorem duxerat, & *Mujavia*. Hoc dissidium ab eo tempore extingui nunquam inter Saracenos potuit, sed in hanc usque diem inter eos non tantum scriptis, sed armis & bello disceptatur, uter horum duorum fuerit legitimus Mahometis Successor: Turcæ Mujaviam, Persæ Alin defendunt. Cum verò con-

convenire inter hos duos non possset, tandem visum fuit utrumque imperio abdicare, & electi ab utraque parte duo, quorum singuli suum Principem abdicarent. Is qui pro Muaviâ erat, callidus veterator, quasi per speciem honoris prærogativam illam indulsit Legato Alis, ut primus Alin imperio exueret, cumque ille simplicior fraudem nullam suspicaretur, & abdicationem Alis perageret, sperans idem cum Mujavia facturum alterum, is etiam se abdicationem Alis probare dixit, atque ita discessit: Sic excidisse Imperio *Alis* jure videbatur & in eo confirmatus Mujavia. Hic *Mujavia* bellicosissimus fuit Princeps, qui etiam Constantinopolin obsidere aggressus fuit. A. C. 660. Actumque de illâ urbe fuisset, nisi quidam *Callinicus*, repertis ignibus qui sub aquis arderent, classem Saracenicam combussisset. Circa A. C. 750. Vastissima Imperii Saracenici moles in quinque Imperia, quæ ipsi *Califatus* dicunt, divelli ac dilacerari cœpit: alius enim fuit Saracenorum Hispanorum Califa, alius Mauritanorum, alius Afrorum, alius Ægyptiorum & Syrorum, alius denique Babyloniorum & Persarum. Inde mira in Imperio Saracenorum confusio, intestina bella & novi hinc inde erumpentes Reges ac Principes, qui ita omni potestate civili spoliarunt *Califas*, ut non nisi nudum Califatum, ex antiquâ majestate retinerent, adeoque fiscellis contexendis

vel alio vili opificio, se sustentarent. Ultimum *Califam* Saracenorum. *Allau* Imperator Tartarorum anno 1260. in urbe Bagdad cepit, & apud thesauros, quos ingentes collegerat, inclusum fame enecavit. Ita defiit & nomen & Imperium Califarum, ac Saraceni in Persarum & Turcarum famosa sceptra divisi sunt.

AFRICANA.

I. ABYSSINA.

DE *Abyssinorum* in Africa rebus, pauca nobis hactenus innotuerunt. Tempore Justiniani Imperatoris Rex Adad sive David fuit ad fidem Christianam conversus. Deinde Judæi regno potiti, sed quorum potentia paulo post à Persis iterum eversa. Tempore Eugenii IV. Papæ Zara Jacob Legatos in Italiam pro pace Ecclesiastica misit A. 1400. Circa A. 1500. Abyssinorum Imperatores, sub titulo Presbyteri sive Papæ Johannis, propius à Lusitanis in Indiam navigantibus detecti sunt.

Eorum Imperator erat David, qui Legatos ad Papam Clementem VII. misit, illi innumera de regis sui potentia & immensis opibus confinxerunt. Circa Annum 1550. Imperium Abyssinum, à Turcis, Saracenis & Barbaris Afris ita debilitatum & exhaustum fuit, ut ex viginti septem amplissimis Provinciis vix quatuor & ægrè tuerentur. Hodie verò ita defecisse

ciſſe dicuntur, ut parum de iis conſtet.

NIGRITICA.

DE *Nigritarum* rebus, qui in XV. regna dividuntur, nihil memoria dignum extat: ad eos referuntur Inſulæ Fortunatæ, ſed harum etiam res antiquæ ignotę ſunt, id ſolum conſtat, circa An. Ch. 1430. in Magna *Canaria* duos fuiſſe Reges, quorum uni nomen *Doramas*, alteri *Guavartema*, qui dum civili bello colliduntur, occaſionem Hiſpanis præbuerunt expugnandæ Canariæ: reliquas Inſulas paulo ante Franci occupaverant, qui tandem jus ſuum in Hiſpanos venditione tranſtulerunt.

CONGENSIS.

CIrca A. 1400 VII. Regna *Congo* in unius Monarchiæ poteſtatem concedunt. Circa A. 1500. quidam nomine *Angola* deficiens à rege *Congo* Monarchiam Angolenſem conſtituit; quæ regio ab ipſo inpoſterum Angola dicta fuit. A. 1560. Regnum Congo à Barbaris, qui Jachę ſive Agages dicuntur, miſerrimè deſtructum fuit. Ab eo tempore parum de rebus Congenſium innotuit.

MONOMOTAPANA.

ILlorum res etiam incognitæ ſunt: id ſolum conſtat ſuperiori ſeculo Imperatorem ampliſſi-

plissimi illius tractus, qui à montibus *Lunæ* ad Caput Bonæ Spei & extrema Africæ protenditur, Imperium in quatuor regna distribuisse, quorum præcipuum est, quod hodie vocatur Monomotapa. De cæteris Afrorum rebus, nihil memoria dignum exstat.

INDICA.

Circa A. 1500. Quidam *Schabeck* potentissimum in India Imperium condidit, dictus alio nomine Schacholam, id est Rex mundi, post cujus mortem vastum illud Imperium in sex Regna minora divisum fuit, ex quibus præcipuum hodie superest regnum *Decan*. Circa A C. 900, Ultimus imperator regionum Malabar fuit Sarama Perimal, qui amplexus religionem Machometicam cum liberis careret, studio religionis peregrinationem Mecham suscepit, & ante obitum regnum suum inter fidissimos ministrorum suorum divisit, de quo plura *Scaliger lib. 3. de Emendatione temporum*. Sunt & alia plura amplissima atque potentissima per Indiam regna, sed de quorum rebus nihil ordine nobis innotescit, tantum sparsim quædam in Itinerariis hinc inde traduntur. Memorabilis est destructio Regni Pegu à Rege Bramæ A. 1600. cui vix similis in tota historia occurrit. Qui in Magna Java Imperium obtinet Magnus Mataran appellatur & An. 1635. obsedit Urbem Novam *Bataviam*,

taviam, quæ obſidio memorabilis eſt.

OCCIDENTALIS SIVE AMERICANA.

I. MEXICANA.

ANn. 820. *Navatlacæ* ex Septentrione verſus Auſtrum in ſeptem diviſi gentes totidemque caſtra & duces migrare cœperunt, donec poſt diuturnam in itinere moram, ad amœniſſimum lacum pervenirent, cujus ripam ſtructis urbibus, occuparunt. Poſtremi omnium advenerunt Mexicani, ita à Duce ſuo Mexio appellati. Anno 1325. Hi Urbem *Tenoxtitlan*, quæ vulgo Mexico dicitur, in medio lacu exſtruxerunt. Anno 1375. Primus ipſorum Rex fuit *Thenuch*, cui ſucceſſit *Acamapixtli*, quem Acoſta falſo primum fuiſſe regem ſtatuit, cumque Mexicani initio tributum viciniis penderent, quintus Regum *Iſcoalt* circa An. 1437 armis pro libertate ſumptis jugum excuſſit. Ab eo tempore ita Imperium amplificatum fuit, ut à *Moteſuma* I. utrinque Oceano terminaretur. Ultimus Regum fuit *Moteſuma* II. An. 1519. Cujus tempore Ferdinandus Corteſius cum Hiſpanis regnum Mexicanum detexit, & intra biennium immenſa hominum cæde Carolo V. ſubjecit.

PE-

PERUVANA
SIVE
CUSCONICA.

CIrca A. 1200. Urbs *Cusco* ab *Incis* condita fuit.

Primus *Cusconis* Rex fuit *Mango*, cujus successores longè latéque rerum potiti vastissimum Imperium constituerunt, quod magnificentia & opibus pleraque regna superavit.

Circa A. 1500. regnavit *Guainacapa*, qui universum Imperium admirandis structuris & molibus exornavit, obiit An. 1523. relictis duobus filiis *Guascare & Attahualpa*, quem vulgo Attabalibam vocant.

Hi inter se discordes, occasionem Hispanis invadendæ Peruviæ præbuerunt. Quorum dux Franciscus Pizarrus, capto *Attahualpâ* Imperium Cusconicum Ann. 1533. Hispanis subjecit.

CHILENSIA.

EX *Chilensium* rebus imprimis memorabile est bellum *Araucanum*, quod Chilenses pro libertate contra Hispanos gesserunt, plenum Heroicorum facinorum, quod Alphonsus Ercilla Hispanus eleganter descripsit.

Anno 1567. Chilenses *Franciscum* Baldivium

divium Hiſpanorum Ducem ceperunt, & liquefactum aurum rictui ejus infuderunt, ad exprobrandam avaritiam, & auri ſitim reſtinguendam.

Anno 1644. Societas Indiæ Occidentalis miſſo cum claſſe *Braucro* fœdus contra Hiſpanos cum Chilenſibus moliebatur, ad invadendam ab illa parte Peruviam & montem Potoſi Hiſpanis extorquendum, ſed cum Chilenſes noſtros quoque auri cupidine flagrare deprehendiſſent, Brauerus re infecta diſcedere coactus fuit. Apud reliquos Americanos, nihil memoria dignum occurrit.

De rebus Auſtralium, nihil adhuc nobis innotuit, quippe totus ille ampliſſimus terrarum tractus, non niſi obiter & hinc inde ſecundum littora detectus eſt; interiora autem adhuc incognita etiamnum & inacceſſa manent.

Finis memorabilium ex hiſtoriâ univerſali.

Nomina Præcipuorum *tam* veteris *quam* novæ *historiæ* *Scriptorum*.

HIstoriam *Veterem* tradunt *Iustinus*, *Diodorus* Siculus & Historici *Latini* simul impressi in folio. Recentiorem à tempore declinantis Imperii Romani tradit *Carolus* Sigonius; Et in specie *Vandalicam & Gothicam*, Procopius, & Agathias. *Hispanicam* Johannes Mariana. *Gallicam* Paulus Æmilius, Philippus Comineus. *Anglicam* Polydorus Virgilius. *Scoticam* Georgius Buchananus. *Hibernicam* Jacobus *Wareus* & Richardus *Staniburstius*. *Danicam* Joh. Isacius Pontanus. *Suecicam* Joh. Loccenius. *Germanicam* Scriptores rerum Germanicarum simul impressi. *Sclavonicam* Petrus Lucari in Annalibus Ragusinis, qui Italicè extant. *Bohemicam* Joh. Dubravius. *Polonicam* Martinus Cromerus & Petrus Piasecius. *Russicam* idem Piasecius & Paulus Odebornius. *Siculam* Thomas Fazellus. *Cypriam* Nicolaus Giblet Italicè. *Saracenicam* sive Arabum Historia Saracenica *Elmacini* Latinè edita à Thomâ Erpenio, & Petri *Texeiræ* compendium historiæ Persicæ, quod extat Hispanicè. *Turcicam* Annales & Pandectæ Johan. Leonclavii. *Tartaricam* Texeira & Historia de bello Tartarico Martini Martinii. *Chinensem* Annales M. Martinii. *Iaponicam* Franciscus

ciſcus Caron. *Africanam* Leo Africanus. *Conchenſem* Pigafetta. *Abyſſinam* Nicolaus Godignus. *Indicam* J. Petrus Maffeus & Petrus Jarrige. *Americanam* Joſephus Acoſta. *Mexicanam* idem & annales Mexicanorum picti apud Purchaſium. *Peruanam* Garcilaſſo de la Vegâ.

In univerſum autem Hiſtoriam recentiorem ab Anno 1600. Jacobus Auguſtus *Thuanus* tradit, & qui eum hactenus continuarunt.

UNIVERSÆ
HISTORIÆ
Breviſſima Series.

VNiverſam *Hiſtoriam*, in duas quaſi partes & ætates, diluvium diſpeſcit, quarum una res ante illam Orbis inundationem complectitur; altera poſtgeſta, ad noſtram uſque memoriam, contexit. At res quidem ab Orbe condito ad diluvium, Græcorum annalibus ignotas, ſolus Moſes, divinis monumentis, poſteritati conſecravit. Nam veteres Ægyptiorum, Indorum & Sinenſium gloriæ, qui ut antiquitatis ſibi nobilitatem atque decus adſtruant, æternitatem temporum mundo, vel longiſſimum ſpatium tribuunt, inter inania tranſmittuntur. Neque tamen dubium eſſe debet

debet cuiquam, quin jam ante fatalem illam humani generis submersionem, urbibus, oppidis, pagis, provinciis, cultissimus fuerit Oriens, & hinc inde, in regna atque Imperia divisus, quanquam nihil earum rerum, ex illo communi velut naufragio, ad notitiam nostram, enatarit. Nam cum jam illa ætate, omnes pene, & civiles & mechanicæ artes exercerentur, ingemerentque homines agris, illaborarent domibus, insuper in voluptates ac superbiam effusi, quæ magnificis operibus hortamenta esse solent, quis dubitet, quin cultiores orbis provincias, urbium arciumque multitudine, frequentarint? Ac si quis animo concipere velit, qualis ante diluvium terrarum facies fuerit, is secum par post exiccatum iterum orbem, temporis intervallum reputet, & percurso obiter ejus statu, præsentia vetustis contendat. Mille sexcentos quinquaginta sex, à creatione ad diluvium, & totidem fere constat usque ad Nebucadnezarem, effluxisse annos, cujus ætate universus orbis antiquus, hominum multitudine, & cultior ejus pars, magnis urbibus, repleta fuit. Quare idem ante diluvium duce & authore Kaino, factum, non est quod ambigamus, cum natura mortalibus insitum sit, properè sequi, quæ inchoata ab aliis vident. Attestatur quoque Moses, detorto jam pravitatibus humano genere, potentissimos ante diluvium Tyrannos, floruisse. Hi enim sunt illi

Nephi-

Nephilim, illi non tam corporum, quam rerum gestarum magnitudine, formidati Heroës. Quales, Augustino teste, septem ex Kaini prosapiâ, quos penes urbis Hanochiæ imperium. Cæterorum omnium memoria intercidit. Nam quod Apollodorus & Abydenus, aliam Regum Chaldæorum, qui ante diluvium regnarint, ab Aloro usque ad Xisuthrum, quem Noachum esse putant, seriem contexunt, tanto studio, ut non annos modo, verum etiam menses, & dies, quibus regnarint, annotent, Vanitatis manifestum putidumque est. Nisi inspexisse eos annales, prima mundi ætate scriptos, vel ex Sethianis Columnis, quas in Syria superstites adhuc suo ævo fuisse, Josephus, incredibili audacia, vel futili credulitate, refert, tempore digesta, existimandum videatur.

Quare ad diluvium accedimus, sub quo, cuncta terrarum & altissimorum montium stagnantibus aquis, una, cum paucis animantibus, supernatante arca lignea, horrida toto orbe facies & formidolosa. Nihil, totum cœlum circumspectantibus, conspicuum aut supereminens, nisi piceæ nubes, immensam undarum vim, inexhausta largitate, fundentes. Hinc Sole restituto, fœda passim illuvies, & noxia tabo humus, strataque inter ædificiorum ruinas, submersorum cadavera, tum terrebant solitudo & tacentes loci. Noachus, cum

arca, montibus Armeniæ Gordyæis, qui omnium in illo tractu altissimi eriguntur, impactus, aliquandiu immobilis hæsit, cum nondum penitus evanescente diluvii metu, plana & jacentia formidarentur. Donec divinis promissis, moderandas imposterum exundationes, iridis sacramento audentiores facti montes migrarent & in circumfluos amnibus Syriæ campos, descenderent. Structam tum à Noacho, ad Libanum montem, urbem Tsemanina, Judæorum & Arabum Magistri, ambigua fide, tradunt. Id certius, multas, quæ ante diluvium fuerant, urbes, à Noachi posteris, eruderatas potius atque instauratas, quam denuo conditas, quas inter Joppe, à P. Mela, aliisque recensetur. Non enim penitus omnia ædificia, præsertim ex solido Saxo, undis absorpta & proruta, quæ multis sæculis perdurare posse, clarissimum vicina nobis, ubi Rhenus olim Oceano miscebatur, nunc arenarum congestu abditus exarescit, Britannica arx, documentum præbet, ut nihil nunc de Rugiæ Arcona, Vandaliæ Wineta, Frisiæ Stavera, Zelandiæ Arnemuyda, dicam, quarum magna cadavera, turrium murorumque minæ, ædiumque moles subinde quoties altius maria subsidunt, eminent atque conspiciuntur.

Antequam vero destinatas quisque sedes peteret, Noachus, numine plenus, fata singulorum, omniumque Imperiorum Origines & suc-

successionem, his verbis aperuit: *Maledictus Chanaan, servus servorum erit fratribus suis. Benedictus Iehova Deus Semi, eritque Chanaan servus illius. Dilatabit Deus Iaphetum ut habitet in tentoriis Semi, eritque Chanaan servus illorum.* Quo vaticinio, Sanctissimus Vir, imperium orbis, & supremam dominationem, primo quidem Semi, inde Japheti posteris, tribuit, Chamæis perpetua, vel sua, vel aliena, servitute pressis. Idque ad nostra usque tempora constanter duravit. Nam principio penes Assyrios & Persas, id est Semi progeniem, summa potestas fuit. His Japhetæi, Græci, Romani, & qui hodie rerum toto orbe potiuntur, Scytharum nationes, successerunt. Quod si interdum, sive Ægyptii sub Rhamse & Sesostri, sive Æthiopes sub Tirhaka vel Tearcone, sive Karthaginenses & Pœni, potentatum in Semi & Japheti prolem exercuisse videantur, id breve ac tumultuarium, fulgetri instar, mox evanuit, & nec populorum multitudine, nec terrarum spatio, nec diuturnitate temporis, cum illorum majestate, comparandum. Non nunc id commemorabo, quod magnum sanè servitutis argumentum est, vilissima semper Æthiopes mancipia fuisse, quos insuper natura nigro, & noctis colore, tinxit, sive id ex divina maledictione, sive peculiari corporis habitu, ac nobis penitus incognita ratione, neque enim super hoc à naturæ consultis

consentitur, originem traxerit.

Diviso in nationes provinciasque, post disjectam fulminibus, si Abydeno fides, & terræ motu Babylonicā turrim, cætero orbe, mox, ut cunctis affectibus flagrantior dominandi cupido, homines ambitiosi, & potentiæ avidi, emerserunt, unde bella & dominationes. Nam hactenus intra suam cuique patriam regna finiebantur. Primus, æqualitate exuta, Nimrod, Græcorum Bacchus, venationis obtentu, ex Arabum desertis, in amœnissimos Babyloniæ campos, progressus, cum vires suas circumspiceret, ejus urbis imperium rapuit, ac brevi magnum regnum conflavit. Hoc auctore adductius regnari coeptum, & ut in prærupta atque urgente servitute, captivitates urbium ac provinciarum sequebantur. Neque tamen diuturna Nimrodo potentia. Quem, vel ejus filium aut successorem, mox illo fastigio demovit Assur, qui & Thurras, Belus ac Ninus, Ninives conditor, atque etiam in prælio obtruncavit. Cujus quidem memorabilis expeditionis Moses meminisse videtur cum inquit: *Inde egressus Assur ædificavit Niniven. Nam Assur Semi filium esse, non regionis nomen, multa arguunt, quæ prolixius commemorare, instituti operis brevitas non permittit.* Idem ex Julio Africano, & Diodoro Siculo, haud obscurè colligitur, quorum ille, *distincta initio Imperia fuisse, Assyrium & Babylonium,* tra-

tradit, *ac Belum Assyriorum Regem, Babyloniis debellatis, suæ eos potestati subjecisse:* alter, *Ninum Assyriæ Regem Babylonios invasisse sibique Rege eorum interemto, tributa pendere coëgisse.* Qui quidem Babyloniorum Rex, alius quam Nimrod, vel ejus Successor, quod nobis in ambiguo, ut temporum series ostendit, esse non potest. Ita Nimrodi potestas cito in Assurem, & ad Semi, cui debebatur, familiam, jugumque Chamo impositum fuit. Longo inde apud Assyrios regnatum ordine, fama & scriptores vulgarunt, tantâ amplitudine, ut ab Indis, ad Europæ terminos, cuncta terrarum nationumque, imperio complecterentur; & extat prolixa sane atque magnifica Regum series, quæ non nisi legentium credulitate hactenus defensa, & sub antiquitatis nomine, excusatius accepta fuit. Nam neque tam vasta, illis jam temporibus, Assyriorum dominatio erat, neque ea, quod ex sacris manifestum, in vicinos potentia. Quippe nullum in Chananæos, Damascenos, Syros interamnates, & contiguas gentes, Assyrios, per multa secula, ab Abrahami ævo, usque ad Phul Assuris tempora, exercuisse imperium, satis constat. Quin ipsi sub Persis aliquandiu Assyrii & Babylonii, ut ex Kedorlahomeris bello patet, qui militantes in castris suis, sibique obnoxios, Babyloniæ, Ponti & Pamphyliæ Reges, habuit, ac terminos Imperii sui, us-

que in Chananæam, Pentapoli tributum pendente, extendit. Judicum ævo, prævalidi in vicinos, Mesopotamiæ, Moabitidis & Palæstinorum Reges. Davidis temporibus, amplæ Tyriorum res; inde Damasceni latè regnantes. Quæ omnia liquido probant, nullam adhuc, illis antiquissimis seculis, Assyriorum Monarchiam fuisse, ac ne Homero quidem cognitam, qui cum undique, ex toto quasi orbe, ad Trojanum bellum, Reges nationesque convocet, alto tamen silentio Assyrios cum Imper. Teutamo, cujus fuisse clientem Priamum volunt, involvit, non dissimulaturus utique maximam rem, qui levissimis etiam animum advorterat. Nam si Teutami, Assyriorum Imperatoris, cliens Priamus, cur non totius regni mole, in Græcos, ab ipso itum, præsertim bello in decennium protracto? Et ignorare ne potuit diligentissimus scriptor, totius Asiæ Monarcham, qui etiam Memnonem, ex Susiana, in commilitium traxit? Quare, quæ de antiquissimis Assyriorum rebus traduntur, in majus, scribentium vanitate aucta sunt, ac imprimis fœdatus Fastorum Siculorum, sive Chronici Alexandrini, author, qui Italiæ Reges, Picum & Lamem, Assyriis ante Belum regnantibus, admiscet, & octavum à Semo, Sardanapalum statuit; quo nihil dici potuit insubidum magis. Mihi vero Herodotus, princeps procul dubio, inter profanæ Historiæ scriptores,

ptores, ipsos omnium errorum fontes, aperuisse videtur, qui à Nino ad Sardanapalum, non nisi quingentis & viginti annis, regnatum tradit, cum vulgo mille trecentos annos imperium illud stetisse, velint. Initia igitur Nini, id est primi Assyriorum Monarchæ longe, quam putant, recentiora sunt, nec illa tam adulta potentia, ut cunctas imperio, ab Indis ad Hellespontum, complecteretur nationes, sed angustius ferè, antiquissimi illi Assyriorum & Babyloniorum Principes, regnabant. Quod rectissimè, Vir magni judicii, Dionysius Halicarnasseus, observavit, *pervetustum illud Assyriorum Imperium, & quod ad fabulosa usque tempora revocetur, exiguam quandam Asiæ portionem obtinuisse.* Donec, quod initio debile ac inglorium erat, lento gradu, ad celebritatem nominis, & potentiam, emergeret. Neque Semiramidis res majorem fidem merentur. Nam testatur apud Strabonem & Arrianum Megasthenes, ante Indicam expeditionem, illam viraginem, excessisse. Falsum igitur universum illud, cum Staurobate Indorum Rege, bellum, quod tanto terrore exaggerat Diodorus, & in quo describendo, immane quantum ampullatur. Deinde muros Babylonis ab ea conditos, rumor vulgaris & arguendus est, cum illud Nebucadnezaris, & nurus ejus Nitocridis, opus fuisse, sanctissimus Testis, & omni exceptione major, Daniel sit.

Ac mihi quidem universa Nini & Semiramidis historia, ex Nebucadnezaris & Nitocris rebus, per errorem, indiligentia temporis, expressa videtur. Nam Nebucadnezar, ille primus Asiæ Imperator ac Monarcha Assyriorum fuit, quem pro Nino acceptum, ad antiquissima tempora, retulerunt, decepti etiam aliqua Nimrodi fama. Nitocris vero Semiramidem, non discreto in illis Imperii sexu, refert. Sic omnis Assyriorum antiquitas, fabulis polluta, ac maculosa, deprehenditur.

Neque certiores aliarum gentium primævæ & vetustissimæ dum suos adulantur, res sunt. Nihil nunc de Germanorum, qui à Tuiscone, Suecorum, qui à Magogo, Gallorum, qui à Samothe, Hispanorum, qui à Tubale, Italorum, qui à Noacho sive Magno Vandimone, Abissinorum, qui à Chuso, Arabum, qui à Juktane, Indorum, qui à Baccho, Sinensium, qui à Vitey, ut alios nunc omittam, longissimos, perpetua successione, Regum Catalogos, texunt. Non enim diu suis imponere, erudito orbi, commentis Annius Viterbiensis, & alii, potuerunt, quorum studium fuit, vana sub celebri nomine, & in ostentationem composita, vulgare. Sola Antiquitatum Etruscarum fragmenta, ex monte Vulterrano, ante hos viginti annos eruta, vel circumspectissimi cujusque judicium alternare possunt, quæ si non laborent à veritate, ingens vetustatis monumentum.

tium & Italicæ Historiæ thesaurus censeri debent. Supersunt Græcorum & Ægyptiorum antiquitates Et illorum quidem laudanda ingenuitas, qui ultro fatentur, nihil in suis historiis, ante Olympiades, certi; pleraque fabulis, & contradictionibus, dum se mutuo scriptores obtrectant, contaminata. Unde & mundi ætates, in tempus ignotum, fabulosum, Historicum Varrone & Censorino testibus, distinguebant. Quare quicquid Olympiadum initia superat, Poëticum potius quam Historicum est, & illi Sicyoniorum, Argivorum, Atheniensium aliorumque Græciæ populorum primi Reges, mera figmenta & Historiarum dehonestamenta sunt, nullusque vel Cranaus, vel Cecrops, vel Ægialeus, vel Inachus fuit, quanquam ea persuasio, plerisque scriptorum, ne magnis quidem argumentis, eximatur. Haud majori adsensu Trojanum bellum recipiendum, ex quo infinita fabularum examina, in Historiam veterem fluxere. Et quanquam Ilium nunquam captum, vel excisum, Dion Chrysostomus, ejusmodi rationibus ostenderit, quibus vix refragari licet, tamen, quæ gens & natio, suas ex Trojæ incendio & ruinis, non deduxit Origines? Britanni à Bruto, Galli à Franco, Romani ab Ænea, Germani ab Ulysse, & nulla fere civitas celebrior, quæ non, evolutos sede patria Ilienses, inter conditores suos, referret, sive insita vanitate, sive ut gloria stirpis posteri incenderentur.

De Ægyptiorum vetuſtiſſimis, paucæ, velut ex vaſto naufragio, tabulę, ad nos, eæque laceræ admodum & hiulcæ, enatârunt, ipſorumque omnes antiquitates, quaſi cum Rhamſe (ſiquidem is fuit) in rubro mari, ſubmerſæ videntur. Magna inter Herodotum & Diodorum, ac irreconciliabilis diſcrepantia. Chronicon Alexandrinum, *in quo Faunus, ſive Mercurius, poſt Italiæ Rex, proximus à Meſtremo*, non niſi gerras Siculas habet. Laterculum Manethonis Sebennitæ, rubigine fœdum, & ab Africano & Euſebio miſerè excarnificatum eſt. Ipſę Regum Dynaſtiæ, quovis labyrintho confuſiores, in quibus extricandis, maxima ingenia, hactenus fruſtra laborarunt, ac niſi plures ſubinde diverſis locis, ſimul in Ægypto regnaſſe ſtatuas, ipſa mundi ætas, omnibus digerendis, non ſufficit. Quid Athanaſius Kircherus, cujus magnifica in anteceſſum extant promiſſa, tanto dignum apparatu daturus ſit, ſerus veſper docebit, in arduo tamen ſpes, ipſum, quod ne Memphitici quidem ſacerdotes lętum antiquitatibus ſuis genus, potuerunt, ex fragminibus quibuſdam hieroglyphicis, vetuſtate ambeſis & mutilis, effecturum: nam adeo & illi diverſi ſua interpretabantur, & deinde, cuncta, oblivio, vel longa dies, obruit.

Omnis igitur vera Hiſtoria, ab orbe condito, ad Perſarum & Cyri tempora, non aliunde quam ex Sacris literis, iiſque ſolis, petenda eſt,

quæ

quæ ostendunt, senescente jam & ad interitum inclinante Judæorum Repub. Assyrios, ductu Phul Assuris (ad quem Jonas missus) amplissimum Imperium condidisse. Hujus & filius, & successor, fuit Tonosconcoleros Sardanapalus, quanquam vulgus Chronologorum, omnia, more solito, hic conturbent. Quem luxu pudendum, & muliebribus blandimentis ultra modum assuetum Regem, quod timidis & ignavis receptum, formidine pessimi exitus, ad desperationem & vivicomburium, Arbaces belli concitor, compulit, ex quo magna Imperii Assyriaci conversio secuta. Quippe Medis libertas reddita, qui absque Regibus, sub Judicum potestate, (quos tamen ex Persicis membranis Reges Ctesias Cnidius apud Diodorum appellat,) usque ad Dejocem vixere. Assyriæ autem, jam ad proprios redactæ terminos, regnum obtinuit Tiglath Pileser, Æliano Thilgamus, qui, ut ex Castore Rhodio Eusebius refert, Nini Junioris cognomentum assumsit. Huic ordine successerunt Salmanasar, qui & Sargon, Senacherib, Herodoto memoratus, & Esar haddon.

At Babylonicum regnum Beleses, Arbacis, in bello contra Sardanapalum, socius & commilito, obtinuit, quem Esaias Baladan, Ptolemæus & Censorinus Nabonassarum, vocant, à quo celeberrima Chaldæorum Epocha, cujus vel filius, vel nepos, Mardocempadus, in Sacris

Merodach. Post quem, deficiente regiâ stirpe, Babyloniam Assyriæ iterum junxit Esarhaddon, cujus in utroque regno successor fuit Saosduchinus, qui in libro Judith, à Babyloniensi aliquo Chaldaicè scripto, Nebucadnezar appellatur. Hunc excepit, ultimus Assyriorum Imperator, Chiniladanus, Alexandro Polyhistori Saracus, à Cyaxare Medorum Rege, & Nabopalassare Babylonio defectore, expugnatus. Et tum demum, maxima urbium Ninive, sive Ninus, solo æquata, ac Nabopalassar Chaldæorum & Babylonis regnum suscepit, cujus filius & hæres, incomparabilis, & sine ullo tum exemplo, Dux Princepsque Nebucadnezar, Rex Regum fuit, in quo Babylonicam Monarchiam cœpisse, divina oracula docent. Hoc enim aureum illud rerum humanarum caput, cui Deus omnia regna dedit. Hujus opus sunt Babylonis mœnia, unde in cetera imperium. Hic, præter innumeras alias nationes, ipsam Ægyptum domuit, ac Chamum Semo servire coëgit; quanquam id Ægyptiorum apud Herodotum sacerdotes, ut observatè curioseque Scaliger animadvertit, summo studio velut sibi probrosum dissimulent. Post Nebucadnezarem, illi sacris pariter & profanis scriptoribus notissimi, Evilmerodach, Nerigliссorus, Laborosoarchodus, Nabonidus, Danieli Belssazar, cujus necem urbisque captivitatem, cum nox eadem junxisset,

Cyrus Persa, Babylonicum regnum, Dario Medo sive Cyaxari, Astyagis filio, tradidit, eoque brevi defuncto, Monarchiam Asiæ, ad se Persasque, transtulit. Hæc paulo prolixius prodendi arguendique causa fuit, ut falsæ auditiones depellerentur, atque certam rerum, ab orbe condito, ad Persarum initia, remotis omnibus fabulis & confusis traditionibus seriem haberemus. Sicut enim multum, ad iter cum facilitate prosequendum, facit, si omnes ex via salebræ tollantur: ita nihil hoc Historicum stadium decurrentibus magis noxium, quam ignorantia veri fabulosa conquirere, & fictis vel incertis animos discentium oblectare.

Igitur, à Persarum & Cyri temporibus, profana Historia certior incepit. Mox enim, ubi Sacræ Literæ narrandi finem faciunt, Herodotus, omnium Græciæ scriptorum, quorum ad nos monumenta pervenerunt, antiquissimus, rerum gestarum initium, ordinem, finem, curatius disserit, à quo etiam tempore, impensiorem veri rationem, cæteri habuerunt. Neque vero absque singulari divinâ providentia, hoc ita contigisse, censendum est, quod, dum omnes ferè aliarum gentium antiquitates, longa ætas obliteravit, sola Mosis & Prophetarum volumina, inter tot vastitates ac incendia, nulla nec vetustas obruere, nec delere oblivio, nec mutilare incuria, nec corrumpere fraus vel neglectus potuit. Quare, ne quidem sanctimo-

niam

niam eorum, fabulis gentilium intexi, & quasi contagione ludicrum in morem, infici, DEUS voluit; quemadmodum referunt Theopompum, cum quædam ex S. Scripturis Historiæ suæ insereret, diebus triginta mente fuisse turbatum, & Theodectem Tragicum, idem molientem, visu orbatum; utrumque autem liberatum, cum à proposito destitissent. Post Herodotum, quæsitioris Historiæ clarissimi Scriptores, Thucydides, Xenophon, Diodorus, Arianus, & alii, longo ordine, Græci pariter & Latini, res persequuntur. Non enim alia extant, rerum antiquarum monumenta, quam quæ vel Hebræorum, vel Græcorum, vel Latinorum; literis ac linguâ, conscripta sunt. Perierunt Phœnicia Sanchuniathonis, Chaldaica Berosi, nihil Karthaginensium Pœnorum superest. Si quæ extant Ægyptia, in pyramidum ac obeliscorum rudere, ea interpretis opem adhuc expectant. Scandinaviæ Runica & Helsingica, quæ gentes, ut & aliæ, casus suos in saxis exprimebant, nisi quæ nuper Olaus Wormius publicavit, non nisi in Daniæ, Suediæ & Norwagiæ rupibus, longâ senectute & imbribus ac injuria temporum, exesa, & confracta, & nulli intellecta, reperiuntur. Sicut igitur ab Assure ad Elamum, sive Persas, sic ab his, convulsa Cyri domo, ad Javanem id est Græcos & Romanos, summa potestas translata fuit. Javan Græcorum conditor: in-

ter-

ter ejus filios Kittim à quo Macedones & Itali. Duplex enim antiquitus Græcia, major & minor fuit: illa Italiam, hæc Helladem & Peloponnesum, complexa. Quæ etiam nationes ordine imperarunt. Quippe Alexander Macedo, cujus intra triumphalem longè latèque juventutem, tot victoriæ fuerunt, quot prælia, qui vix adulescens rebus admotus, se atque annos, ipse antecessit, post debellatum triplici prælio Darium, ab Adriatico mari, ad Gangem & Oceanum Indicum, à Scythia, usque in Æthiopiam, spatio terrarum, & multitudine gentium, ingens, & cui hactenus par nullum, Imperium infatigabili celeritate condidit. Ita dilatavit Deus Japhetum, ut habitaret in tentoriis Semi, factusque est Chanaan servus illorum. Ei inani Principatus fama, post Philippum Arridæum fratrem, tres impuberes liberi, Alexander Ægus, Hercules, & Cleopatra, vulgo scriptoribus prætermissi, successerunt. Quibus extinctis, vasta Imperii Macedonici moles, quasi fulgur coruscans, in varias partes Asiam, Ægyptum, Syriam, Thraciam, & Macedoniam dissiliit. Mox inter illos tumultus, & concertationes, minora etiam emerserunt regna, Bithyniæ, Cappadociæ, Ponti, Pergami, Indiæ, Bactrianæ, & quod omnium postea amplissimum potentissimumque fuit, Parthorum. Qui, dum Assyrios penes, Medosque & Persas, Oriens fuit, despectissima

sima servientium pars, sive à Madye vel Indathyrso, in celebri illa Scytharum, sub Cyaxare, expeditione Asiatica, relicti, sive à Sesostri & Janduso, ut Arrianus vult, & Chronici Alexandrini author, in ea loca translati, sub Seleuco Callinico, Duce Arsace Sapur, qui primus Imperium in familiam intulit, Persiam invaserunt. Sed certa Regum Arsacidarum series non extat, quam ex Græcis & Latinis Leonclavius & ex Arabum ac Persarum monumentis, Schickardus ac Elichmannus, integram restituere frustra laborant. Donec fundatam longo Imperio Arsacidarum domum, vetusta Persarum stirpe prognati Reges Cosroes, exscinderent.

Ita decurso Græcæ Monarchiæ spatio, Romani, imperator ille populus, æmula virium suarum Karthagine excisa insurgere, & caput toto orbe efferre, & qua Sol, à Gadibus ad Indos, omnia collustrat, potestatem suam & authoritatem diffundere. Qui cum initio, virgas suas & secures, principibus ac regibus, tanquam pueris quibusdam, ad Euphraten usque & Istrum impingerent & intentarent, postea, civilibus acti furiis, eosdem emancipare, & vindicias secundum libertatem, suo sanguine, dare videbantur, nisi Cæsares, cuncta discordiis fessa sub Imperium accepissent. Unde longus ac præpotens, in quadringentesimum & amplius annum propagatus, continua succes-

sione,

ſione, Imperatorum Auguſtorum in Occidente Cæſarumque ordo fluxit.

Hactenus penes Aſſyrios, Perſas, Græcos & Romanos antiqui Orbis Imperium fuit. Sequuntur nunc Barbaricæ tenebræ & quæ omnem illum vetuſtatis ſpendorem, omnivis humanitatis culturam penitus exſtinxerunt ferociſſimarum & inauditarum hactenus nationum irruptiones, quas cognoſcere non fuerit ſine magno uſu. Quippe cum gentes immanitate Barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, in ultima terrarum ſepoſitas, natura, mutuo metu, aut montibus & fluminibus, ſecluſiſſet, Japhetæi Scythæ, circa Annum Chriſt. 300. Semæi Arabes circa Annum 600. velut clauſtris perruptis, illi à Septentrione & Riphæis nivibus, hi ab auſtro & Arabum ferventibus arenis, ut demota alveo flumina, cuncta ſanguine, ferro, flammis miſcentes, Occidentem pariter & Orientem, inundarunt, ac velut longæ peregrinationis injurias deſiderata quiete mutaturi, nova paſſim per ampliſſimas Græcor. Romanorumque Provincias regna excitarunt. Unde ſecuta florentiſſimi Rom. Imperii, ſed feſſi jam ætate, & ſua mole fatiſcentis, dilaceratio, ac cultiſſimis quondam regionibus, patienda barbarorum fuerunt imperia. Et ex Scythia quidem, ac ab ultimo Septentrione, triplex Barbarorum exercitus erupit, Italiamque ſibi, & cæterum orbem, quaſi for-

fortibus viris natura omnes terras aperuisset, in prædam & vastitatem destinarunt.

Nam cunctæ Scytharum nationes, tribus quasi castris, *Germanorum*, *Hunnorum*, *Sarmatarum*, continentur. *Germani* enim fuerunt Gotti, Vandali, Anglo-Saxones, Franci, Gepidæ, Heruli, Turcilnigi, Allemanni, Longobardi, Burgundiones, Normanni, qui omnes, potentiam suam, ruinis Imp. Rom. superstruxerunt. Sic Hunnorum ambitu Avares, Alanos, Ugros, Turcas, Tartaros, complectimur. Sub Sarmat. autem omnes Slavorum nationes Russi, Obotritæ, Wiltzi, Sorabi, Zechi, Lechi, Crobatæ, Venedi, Moravi, Bosni, Rascii, Servii, Tzirkassi, Bulgari. Ab his tota mole ingruentibus, cum jam Imperii fata urgerent, extincto Romano nomine, nova per universum orbem regna & dominationes originem traxerunt.

Gottorum primæ in Scythia ad Tanain & in Taurica Chersoneso, quæ antiqua Gottia, sedes: deinde in Thraciam & Pannoniam migrarunt: hinc diviso agmine pars Galliam, Hispaniam & Mauritaniam, quæ Vestgottia; alii sub Theodorico magnæ claritudinis Principe Odoacri Heruli debellatore, Italiam, quæ Ostgottia, raptarunt: donec illi quidem à Saracenis ex Africa transvectis; hi à Narsete Juliani Duce, exscinderentur; quibus mox Longobardi, Pannonia sub Alboino Rege evocati, suc-

succesſerunt, ac Ciſalpinam Galliam nomine pariter atque imperio complexi ſunt.

Vandali primo in Hiſpania Bætica, quæ Vandaluzia dicta: deinde relictis commilitonibus ſuis, Suevis quidem in Gallætia, Alanis in Luſitania, Africa potiti Karthagine regnarunt, uſque dum Belliſarius Gilimere Rege triumphato, ſuperbam & Italiæ totique occidenti formidoloſam barbariem domaret. *Burgundiones* in Gallia Lugdunenſi & Narbonenſi ad Rhodanum, Arelati, Auguſtoduni, Cabilloni & tandem Divione, regiam ſedem collocarunt, *Francorum* poſtea facti acceſſio & pars. Qui omnium Germanorum magnitudinem tota in nomen ditionemque pertracta Gallia, ſupergreſſi, principem in orbe Chriſtiano locum, per Merovingos, Karolingos & Capetingos, ad noſtra propagati tempora, hodie obtinent. Britanniam vero inſularum maximam in Septentrione *Picti & Scoti* ex Hibernia tranſvecti turbarunt: quidquid in auſtrum, Cambria excepta protenditur, Anglo-ſaxonibus in ſeptem diviſis Reges, ceſſit, donec in unum Angliæ nomen ſceptrumque cuncta coaleſcerent. Amplum quoque *Friſiorum* & latè patens dominium, qui maritimas inter Viſurgim & Rhenum ditiones complectebantur. Medio temporis Normanni, exundante domi multitudine, cum militares viri eſſent, luctuoſis tota Europa facinoribus clareſcere, in Da-

nos,

nos, Norwagos & Suedos postea divisi.

Et hæc à Germànis regna condita. Haud obscurior *Sarmatarum* sive *Slavorum*, amplissimæ gentis & validissimæ potentia, qui cum immensum terrarum spatium à Riphęis montibus ad Adriam implerent, tandem in Russorum, Polonorum, Moravorum, Bohemorum, Serviorum, Crobatarum & Dalmatarum inclyta sceptra coaluerunt.

In hoc concussi orbis motu, omnium immanitatem *Hunni*, atrocissimum hominum genus superarunt. Qui cum duplices fuerint, Orientales, albi, Euthalitæ, Persis supra Oxum contermini; & Occidentales, nigri, Nomades: hi *divina destinatione, instar fulminis*, ex Scythia sub Balambere & Mundzucho progressi, *adscitis in Commilitium obviis quibusque & prædæ cupidis*, ac inde creato Rege *Attila*, qui flagellum Dei dictus, vastissimum Imperium condiderunt, quod brevi & internis dissidiis & vicinorum conspiratione ita *labefactum fuit*. ut Chaba Attilæ filius, cum reliquiis Hunnorum in Scythiam rediret, paucis quibusdam *Siculorum* nomine in Daciâ alpinâ hærentibus. Deinde nova Hunnorum & Avarum in Pannoniam suscepta [illegible]peditio, quam Chagani ipsorum, immensa omnium circumcirca populorum, strage, trecentis pene annis obtinuerunt. Tandem *Vgri vel Iuhri*, alia longe ab Hunnis natio, ex *Russiæ silvis &*

ab

ab ipso glaciali Oceano progressi, Hungarorum qui hodie supersunt, gentem regnumque condiderunt.

Sed longè immanior fuit Saracenorum *Arabum* eruptio, *qui velut Oceanus quidam*, non imperio modò, verum etiam Christianæ Religioni, interitum & excidium *ex vastis solitudinibus suis* attulerunt. De quorum antiquis Tobbais sive Imperatoribus Regibusque, diligentissimus Pocockus nuper ex professo egit. Perniciabilis vero Muslimorum secta, cœpit, primum levibus, ut videbatur, initiis à *Muhammede*, qui genus suum ad Keidarem Ismaelis filium referebat, à successoribus ejus *arroganti Chalifarum nomine*, tanto successu propagata fuit, *ut ab ultimis Sinarum oris, ad Hispaniæ & orbis tum cogniti fines, Herculis columnas*, *cuncta* terrarum gentiumque in Saracenorum ritus, mores, linguam corrumperentur. Ac ni insuperabilis Karoli Martelli virtus obstitisset, *raptæ impetu* Galliæ totusque occidens fuissent & Christianum nomen penitus deletum: cum jam *cis Pyrenæos innumeris* copiis effusi, usque ad Ligerim & Turonum urbem, cuncta Francorum occupassent. Donec & ipsi inter se discordes & attritis interno bello viribus, in *quinque Imperia* sive Chalifatus, Bagdadi, Andaluziæ, Fezzæ Kairawani & Ægypti scinderentur. Quorum tres priores Persarum Turcarumque potentia absorpsit.

sorpsit. Andaluziam verò *succrescens in Asturia* & Soprarbiæ montibus Gothorum fortitudo ita debilitavit, ut novis Legionis, Navarræ, Aragoniæ, Castiliæ & Portugalliæ regnis emergentibus, Maurorum reliquiæ in *Bæticæ angulum compulsæ*, Granada capta, penitus exscinderentur. Solus in Mauritania *Fezzæ Chalifatus* hodie superest, *regnantium vicissitudine celebris*, cum post Ædrisi familiam *Zeneti* Mecnasæ & Magraoæ, regnarent: his *Luntunii* Almoravidæ, deinde Almohadæ, *Merini* & Scherifii, mutuis cladibus infames, succederent, cætera Barbaria in Tremezenum & Tunetanum regnum divisa.

At vero *Turcæ*, ex remotissimis ultra Jaxartem terris progressi, mox dum dissentiunt Saraceni Orientales, acciti in partes, ex *desertis mapalibus suis & armentis*, in Persiam magna copia venerunt, ac cum adversum omnes valescerent, creato ex Selschukidarum familia Rege Togrulbek, tanta felicitate victricia arma circumtulerunt, *ut ab Indorum finibus Constantinopolin tenus*, cuncta terrarum nationumque imperio complecterentur. Unde in duo regna *Nicenum & Bagdadinum* divisi, quorum illud à Godefrido Bullionæo Hierosolymorum vindice excisum, mox in Iconiense & Sebastiense coaluit, donec totum redintegraret Azatines, cujus progenie in ultimo Aladino deficiente, *Osmannidarum regnatrix domus*

mus

mus bello victoriisque clarescere, quæ infractis cæterorum viribus *hodie vastum illud à Borysthene ad Tigrim, per Europam, Asiam & Africam exercet imperium.* Qui vero Persiam tenebant Turcæ sub Muhammede Abulcasimo in varia distracti dominia, & ab Iberis debilitati, penitus defecissent, nisi *Nuradin* ejusque successor Saladin Curdus, non jam ruentem sed collapsam & penitus confractam instaurassent potentiam. *Cujus tanta fuit rerum gestarum magnitudo, ut omnes nostrorum illius temporis Imperatorum, omnes exterarum gentium ac clarissimorum Regum, & contentionum vehementia & numero præliorum & celeritate conficiendi*, longissime superarit, pulsisque in Cyprum & ardua Libani Christianis, Palæstinam recuperarit. Ita *Saladini* posteritas per Ægyptum & Syriam prævalida: quâ extinctâ *Turcomanni*, post hos *Mamaluci* Tzerkassi regnarunt, donec servilem dominationem *Selimus, necato Tomambeio, exscinderet.*

Omnium atrocissime orbis inhorruit, *cum fatale illud ab ipsis quasi naturæ deficientis finibus & truculento Massagetarum cælo, turbinis in morem omnia evertentis*, erumperet Tartarorum nomen. Qui cum hactenus vel Turcarum vel Nestorianorum ex familia Karai circa Sinam potentissimæ Regibus obnoxii fuissent, quidam Tamachin, excusso

jugo

jugo & in Tenduccanis campis superato Johanne Imp. Nestorianorum, compositis domi rebus, *cunctas Tartarorum per Scythiæ solitudines dispersas hordas, ad signa & commilitium evocavit*, ac cum innumerabili exercitu, fugatis Bagdadum Chorasmiis, in Persiam irrupit & tota fere Asia perdomita, *Chingis Khan*, id est Rex Regum appellatus fuit. Cujus filii Ducesque, quadripartito agmine universo orbi excidium minabantur, cunctaque terrarum, *ab Oceano Indico usque ad Germaniæ fines, atque Ægyptum versus, velut fulmen quoddam belli & tempestas Martia, cædibus, incendio, terrore, perruperunt*, & in quatuor Imperia, Destense, Schagatajense, Kitainum & Persicum, divisi sunt. Ex Schagataiæ metropoli Samar Kand, audentissimus præliator Temurlenk, claris majoribus ortus, collapsam ferê Tatarici Imperii Majestatem, domitis Persis & Indis, *contracta* Turcarum potentia, *ipso fulmineo Bajazete in ferrea cavea, Asiæ ludibrium, circumducto*, stupenda fortuna, & admirabili successu instauravit. In qua expeditione, cæsô Tuktemischo florentissimum hactenus *Tartariæ desertæ regnum* in solitudinem redactum fuit: ipsis *Tataris, qui albi dicuntur*, partim in Lituaniam à Vitoudo translatis, quorum etiamnum *circa Vilnam* supersunt reliquiæ, partim in Romaniam Adrianopolin profugis & tandem fraude à Timuro deletis.

letis. Cætera Destensis Imperii Zavolhensia regna, *Cazan & Astracan* sive Nagaiam Russi tandem expugnarunt, solis in Taurica *Krimensibus*, in quos Kirei dominantur, & ad *Caucasum & Caspium mare* Dagestanis Lesgis, quorum Princeps *Schemchal dicitur*, loci potius ingenio *& ob inaccessa montium* libertatem suam quam virtute tutantibus. Post Timuri obitum novi tota Asia motus. Quippe Persiam Turcomanni *Karacojonlu* invaserunt, pulsi paulo post à contrariâ factione *Accojonlu*, & hi iterum Sefianis *Kisilbasileris* in prædam cesserunt. Mogoli vero ab *Usbecis Ketziebassis ex trans* Oxiana fugati amplissimum & ditissimum Indiæ intra Gangen imperium obtinuerunt.

Sic omnia verti
Cernimus atque alias assumere robora gentes,
Concidere has. Sic magna fuit censuque virorum,
Perque decem potuit tantum dare sanguinis annos,
Nunc humilis veteres tantummodo Troja ruinas,
Et pro divitiis tumulos ostendit avorum.
Clara fuit Spartæ, magnæ viguêre Mycenæ,
Nec non & Cecropis, nec non Amphionis arces,
Vile Solum Spartæ est, altæ cecidere Mycenæ:
Oedipodioniæ quid sunt nisi nomina Thebæ,
Quid Pandioniæ restant, nisi nomen, Athenæ.

Ostensum hactenus quæ Origo Imperiorum, quæ incrementa & vicissitudines fuerint, *&* *quorum hodie potentia juxta prævalida sit spatio terrarum & multitudine gentium.* Quę omnia curatius universalis Historia edisserit, ex qua id quoque discitur: *inesse cunctis rebus quendam velut orbem, ut quemadmodum temporum vices, ita Imperiorum vertantur.* Quo quidem studio nihil excellentius illoque dignius qui supra vulgum assurgere & cum æstimio publicis aliquando negotiis præesse cupit. *Nemo in Ecclesia, nemo in Rep. magnus erit* qui suam tantum ætatem novit. *Redeundum in præterita ac quæ transacta & decursa sunt recordatione ad usum revocanda* atterendaque pectora cum aliis artibus & disciplinis, tum hac imprimis imbuenda quæ omnium temporum populorumque notitiam evolvit, *cui non Oriens non Occidens sed hoc universum* sufficit. Si quem sacra delectant, habet in quo ingenium suum industriamque occupet. *Exhaurienda* sunt Ecclesiarum monumenta, quidquid olim, quidquid hodie contigit circa Religionem ejusque ritus memorabile, penetrandum est. *Occurrent legentibus* longa serie & Sanctitate conspicui *Aarones*, quos inter Jadduam, sacris indutum infulis, & *victrices Alexandri iras Majestate sacerdotali* frangentem, mirabimur. Tum fœda Pontificum scelera & contentiones sacerdotum, *pollutæ*

cæri-

cærimoniæ, corrupta Sacra, scissus Religionibus orbis, vexationes Ecclesiarum, *certamina Martyrum, & supremæ necessitates laudatisque antiquorum mortibus pares exitus.*

Si quos actuosa vita & Reip. charitas tangit, qui ostendant patriæ oportet in gravissimis negotiis, *lumen animi, ingenii consiliique sui*, unde potius præcepta prudentiæ quam à tot Imperatoribus maximisque viris petent, quorum arcanas artes, & quidquid sive exemplo illustre sive facto memorabile, sola historia pandit.

Nunquam sine hac quisquam *vel cum dignitate in curia vel cum authoritate in legationibus vel cum successu* in bello versabitur, nisi vitam moresque & consilia sua, ad instar magnorum illorum qui antiquis seculis velut *Soles &* inter minores stellas *Lunæ* præfulserunt, Curiorum inquam & Fabiorum & Catonum & Epaminondæ & Alexandri & Annibalis componat, ut infinitos alios prætercam, ne singula vetustatis lumina percurrendo sim prolixior. Neque nostra ætas adeo virtutum sterilis, ut non & magna protulerit exempla virosque, quorum virtutes ac facinora *iisdem quibus solis cursus regionibus ac terminis continentur, qui & rerum agendarum usu & magnitudine cogitationum, & sanctitate vitæ & rectitudine consiliorum res humanas illustrarunt.* Quos sola ab interitu & oblivione Histo-

ria vindicat, cujus amor non nisi in generosas mentes cadit & quæ divinitatis suæ sibi consciæ, altissima quæque & excelsissima affectant. *Vt quantum vitæ hujus* brevitas angustis nos spatiis coarctat, per plurium seculorum ætates eam prorogemus, & cum priscis qui vel in Ecclesia vel in Rep. ęternam sui memoriam reliquerunt Heroibus jucundissime versemur. Ita & in prosperis *modestiæ* & in adversis *constantiæ*, quibus animum affirmemus, documenta suppetent: ac quamvis hic ad Oceanum sepositi, non remotissimum Orientem, non quidquid in altero orbe & extra anni solisque vias geritur, ignorabimus. Tot Rerump. *regnorum*, & *illustrium virorum casus* nos humanæ fragilitatis & vicissitudinum admonebunt ac quam brevibus momentis summa verti possint: ne quæ nostris accidunt temporibus, quanquam atrocia & immanitate horrida, nova planè & inusitata videantur. *Turbidæ omnium pene gentium res, cælo terraque prodigia; omnis versus ad bellum orbis, paßim albentia per* præliares campos exercituum ossa, *fumans etiamnum & æstuans* incendio classium Oceanus, magnarumque urbium disjecta vel aggerata cadavera: *alicubi fames & pestilentia in* humanum genus; gravia hæc sunt & perpessu aspera & omnibus seculis communia, quorum non aliunde rectius quam ab Historiis levamentum peti potest.

Ex

Ex C. Tacito de Christianis & statu Romæ sub Nerone.

IN Judæorum antiquitatibus summam V. Historiarum, industriam ostendit. Quippe ad Titi in Judæos urbemque sacram expeditionem delatus, ea occasione de gentis origine, moribus, Religione, urbis ipsius opere atque situ, accuratius & uberiùs disserit. Non enim in eorum opinione sumus, ut malitia accuratissimum scriptorem peccasse existimemus, dum subinde fabulas inserit: sed secutus est monumenta publica, imprimis Ægyptios, Apionem aliosque, ignarus ipsos odio invidiaque in Judæos, plurima contumeliosissime mentitos. Summa tamen, ut in re sibi haud adeo comperta, circumspectione usus est. Nam opiniones vanas, ab Ida monte dictos Judæos, vel à Solymis Pisidiæ Hierosolymam, vel ex Æthiopiâ profectos, ipse, prudens talium arbiter, recenset, non approbat. Cætera ferè cum sacris Scripturis consentiunt, ex Assyria in Ægyptum, inde in Hebræas terras concessisse. Nam & ortæ per Ægyptum tabis quæ corpora fœdaret, & Mosis, & sitis in deserto, meminit. Imprimis magnificum est quod de unius Dei cultu refert.

Iudæi mente sola unumque numen intelligunt; Profanos qui Deûm imagines, mortalibus materiis, in speciem hominum effingant. Summum

mum illud & æternum neque mutabile neque interiturum. Igitur nulla ſimulachra urbibus ſuis, nedum templis ſunt. Non Regibus hæc adulatio, non Cæſaribus honor.

Ac ipſe eorum fabulam confutat, qui effigiem aſini à Judæis penetrali ſacratam tradidere. Nam Cn. Pompeium domita urbe templum jure victoriæ ingreſſum, *nulla intus Deum effigie, vacuam ſedem & inania arcana reperiſſe*, magno veritatis argumento fatetur.

De *Chriſtianis* & authore nominis ejus Chriſto, luculentum extat teſtimonium quintodecimo Annalium. Nam cum Nero Romani incendii invidia vulgo conflagraret, abolendo rumori ſubdidit reos & quæſitiſſimis pœnis affecit Chriſtianos. Hac occaſione noſter de Chriſto diſſerit: Eum Tiberio imperante, per Procuratorem P. *Pilatum* ſupplicio affectum. Sectatores ejus haud perinde in crimine incendii quam odio humani generis convictos eſſe. Hæc eſt prima ex decem quibus Chriſtiani afflicti, perſecutionibus, ab authore noſtro tam ſignificantibus deſcripta verbis, ut ipſi poſtea Chriſtiani illis uſi fuerint, quod vel ex Tertulliano, Severo, Sulpicio aliiſque apparet.

Longè illi uberiorem materiam Reſp. præbuit. Itaque non ampliſſimas tantum Romani orbis res, quicquid pace, bello, domi, foris, geſtum; ſed & Germanica, Scythica, Parthica,

ca, Garamantica, cum cura & ingenio conſcribit. Hic, igitur, theſaurus ille Prudentiæ Civilis latet. Ex hoc fonte ſummi Rerumpubl. moderatores, conſilia rebus dubiis & in tantâ ſeculi corruptelâ, petunt. Quicquid publica ſpectat, uno ambitu complexus, ingenia moreſque Principum, populi, quid bene, quid infeliciter geſtum; nec caſus eventuſque tantum ſed cauſas etiam occaſioneſque, ea qua valebat prudentia, enarrat. Equidem cum Reſp. vel civilem ſpectet adminiſtrationem, vel Belli negotia, utramque ita executus partem eſt, ut Principem æque ac Ducem, præceptiſque ſuis conſiliiſque formet.

ORBIS POLITICI

PARS QUARTA,

COMPLECTENS

GEOGRAPHIAM

VETEREM & RECENTEM.

ORBIS POLITICI

PARS QUARTA,

COMPLECTENS

GEOGRAPHIAM

VETEREM & RECENTEM.

GEOGRAPHIA.



Eographia eſt deſcriptio Orbis terreſtris.

Ejus partes ſunt *Chorographia & Topographia.*

In *globo* ſpectantur *Axis, Circuli, Zonæ, Climata, Gradus, Cardines, Venti.*

Axis eſt linea recta per centrum terræ ducta. Conſtituit globi terreſtis *Diametrum* & circa eam globus volvitur.

Extrema axis vocantur *poli*, quorum duo ſunt *arcticus & antarcticus.*

Circuli ſunt *majores & minores.*

Majores globum ſecant in duas partes æquales.

Suntque duo *fixi*, æquator & Zodiacus: duo *mobiles* Horizon & meridianus.

Minores ſunt duo *Tropici*, Cancri & Capricorni: duo *Polares*, Arcticus & Antarcticus.

Zonæ ſunt quinque, duæ *frigidæ*, quarum ſingulæ graduum 23. ubi *Priſcii*, duæ *temperatæ* ſingulæ grad. 43. ubi *Heteroſcii*, & una *Torrida*, graduum 47. ubi *Amphiſcii*.

Climata vocantur ſpatia terræ duobus *parallelis* incluſa.

Periœci habent eundem *parallelum* & oppoſitos *meridianos*.

Antœci habent eundem *meridianum* & oppoſitos *parallelos*.

Antipodes habent oppoſitos *meridianos & parallelos*.

Gradus ſunt *trecenteſima ſexageſima* pars circuli. Singuli dividuntur in *ſexaginta* ſcrupulos, & quindecim milliaria Germanica conficiunt.

Suntque alii *Longitudinis*, alii *latitudinis*.

Longitudinis numerantur in *Æquatore*, & oſtendunt diſtantiam locorum à primo meridiano verſus orientem vel occidentem.

Latitudinis numerantur in *Meridiano* & oſtendunt diſtantiam locorum ab æquatore verſus polos, quæ vocatur *elevatio* poli.

Cardines ſunt *Oriens*, *Occidens*, *Meridies*, *Septentrio*: quibus reſpondent quatuor Venti, *Eurus*, *Zephyrus*, *Boreas*, *Notus*, Latinis, *Subſolanus*, *Favonius*, *Aquilo*, *Auſter*.

Menſura locorum apud Græcos fuerunt *ſtadia* 125. paſſuum, apud Perſas *Paraſangæ* 30. ſtadiorum, apud Romanos *lapides* 1000. paſſuum,

suum, apud recentiores *milliaria:* quorum minima sunt *Anglica* 1250. inde *Scotica* 1500: *Gallica* 2500. *Hispanica* 3400. *Germanica* 4000. *Suedica & Helvetica* 5000. *Hungarica* 6000. passuum.

Globus terrestris complectitur *Terras & Aquas.*

Terra est *Continens & Insula.*

Continens est quæ mari non cingitur.

Estque *peninsula* quæ majori sui parte mari cingitur: *Isthmus* terra angusta inter duo maria.

Promontorium conspicua pars terræ in mari prominens.

Insula est quæ mari cingitur.

Terra complectitur planitiem, colles, montes, valles, sylvas, portus, littora.

Aquæ sunt Oceanus, Maria, Archipelagus, Sinus, Freta, Lacus, Paludes, Flumina, Fontes.

Oceanus est aqua totam terram ambiens. Estque *Atlanticus*, *Æthiopicus*, *Indicus*, *Scythicus* sive Glacialis.

Mare est aqua littoribus circundata. *Mediterraneum* sive Internum, *Caspium & Balticum.*

Archipelagus est mare insulis refertum, ut Mare Ægeum h. *Archipelagus* Græciæ, Mare Album, *Archipelagus* Sancti Lazari.

Sinus est pars maris inter duas continentes.

Estque.

Estque *Codanus*, *Adriaticus*, *Arabicus*, *Persicus*, *Corinthiacus* sive *Lepanto*, Mare de *Marmora*, *Pontus* Euxinus sive Mare *Nigrum*, *Botnicus*, *Finnicus*, *Mexicanus*.

Fretum est pars maris inter duas terras vicinas.

Estque *Herculeum* sive *Gaditanum*, *Siculum*, h. Farodi Messina, *Bosphorus*, *Balticum*, *Sundanum*, *Byzantium* sive Brachium S. Georgii, *Magellanicum*, *le Maire*, *Davis*, *Hudson*, *Vaygatz*, *Babelmandel*, *Dardanelles*.

Lacus est pars maris undique terris clausa: Suntque *Caspius*, *Palæstinus* sive mare mortuum, *Lemanus*, *Constantiensis*, *Wener*, *Earne*, *Ladoga*, *Vastan*, *Kithay*, *Chiamay*, *Zaire & Zambre*, *Mexicanus*, *Mechoacanus*, *Nicaraguanus*, *Titicaca*, *Eupana* sive *Xataies*.

Palus est colluvies aquarum lutosa.

Suntque *Mæotis & Babylonia*.

Flumen est aqua inter ripas decurrens.

Tagus, *Bætis* h. Guadalquivir, *Iberus*, *Rhodanus*, *Garumna*, *Ligeris*, *Sequana*, *Mosa*, *Scaldis*, *Rhenus*, *Visurgis*, *Albis*, *Viadrus*, *Vistula*, *Duna*, *Borysthenes* h. Nieper, *Dwina*, *Volga*, *Tanais*, *Angermannus*, *Tamesis*, *Tayus*, *Schennon*, *Danubius*, *Padus*, *Arnus*, *Tiberis*, *Eufrates*, *Tigris*, *Indus*, *Ganges*, *Oxus*, *Iaxartes* h. Shihun, *Oby*, *Nilus*, *Gir*, *Senega*, *Nigir*, *Chelapeas* sive Pawhatan, *Canada* sive S. Laurentii, *Orenoque*, *Orellana* sive Amazonum, *Maran-*

Maranhon, Paraguay ſive de la Plata.

Fons eſt aqua ſcaturiens.

Libethra, fons *Solis* apud Ammonios.

GEOGRAPHIA ORBIS VETERIS.

Geographia *eſt vel orbis* veteris *vel* novi.

ORbis *veteris* partes tres ſunt, *Europa, Aſia, Africa.*

EUROPA.

Europa continet Inſulas *Britannicas, Hiſpaniam, Galliam, Germaniam Magnam, Rhetiam, Vindeliciam, Noricum, Pannoniam, Illyricum, Italiam,* Inſulas maris Mediterranei, *Baleares, Corſicam, Sardiniam, Siciliam, Cretam* & quæ circa *Græciam* ſunt: *Sarmatiam Europæam, Tauricam Cherſoneſum, Jazyges, Mæſiam, Thraciam, Græciam.*

INSULÆ BRITANNICÆ, ſunt *majores* vel *minores.*

Majores ſunt duæ *Britannia & Hibernia.*

Britannia dividitur in *Albionem,* quæ & *Bri-*

Britannia Major, hodie Anglia, & *Caledoniam*, quæ & *Britannia* Minor, hodie Scotia.

Albion ſive Britannia Major diviſa fuit in Britanniam primam ubi Cantii hodie Kent, Trinobantes hodie Middelſex & Eſſex urb. Venta, Regni, Atrebatii, Durotriges, Damnonii.

In *Flaviam* Cæſarienſem, ubi Catieuchlæni Simeni ſive Iceni, Coritani, Cornavii, Dobuni.

In *Britanniam* ſecundam, ubi Silures, Demetæ, Ordovices.

In *Maximam* Cæſarienſem, ubi Brigantes, urb. Eboracum, h. Jorck, Pariſii, Otadeni.

Britannia Minor diviſa fuit in Pictos, quorum regio Romanis Valentia, ubi Selgovæ, Novantæ, Damnii urb. Alata caſtra h. Edenburgum.

In *Caledoniam*, ubi Caledonii, Cantæ, Cornabii, Carini, Gadeni.

In *Scotiam*. Fluvii: Glotta, Tina, Varar. Mons: Grampius, Sylva Caledonia.

Hibernia, ubi Cauci, Menapii, Brigantes, Iverni. urb. Eblana h. Dublin, Menapia h. Waterford.

Minores ſunt, *Ebudæ* ſive *Hebrides* quinque præcipuæ.

Orcades h. Orckney, ubi Pomona, *Thile* h. Heytlant., vel Schetlandt, aliis Iſlandia, aliis Tilemarkia Norvegiæ.

Caſſi-

Cassiterides sive Sillynæ.

HISPANIA divisa fuit in Citeriorem & Ulteriorem. Citerior in Tarraconensem, Carthaginensem & Gallæciam.

In *Tarraconensi* duo conventus Juridici, *Tarraconensis* ubi P. Laletani, Cerretani, Ausetani, Indigetes, Cosetani, Ilercaones, urb. Tarraco, Dertosa, Barcino, Emporiæ, Augusta Cerretanorum, Ausa, Gerunda, Cardona.

Cæsar Augustanus. P. Vascones, Celtiberorum, Carpetanorum, Edetanorum pars, Ilergetes, urb. Ilerda h. Lerida, Osca, Pompelo, Jacca, Calagurris, Bilbilis, Complutum, Cæsaraugusta h. Saragossa.

In *Carthaginensi*, ubi Conventus Juridicus *Carthaginensis*. P. Oretani, Bassitani, Contestani & ex parte Edetani, Carpetani, urb. Saguntus, Toletum, Castulo, Basta, Acci, Carthago Nova, Dianium, Valentia, Sætabis.

Bæticam, & Lusitaniam.

In *Tarraconensi* sunt urb. *Cæsar Augusta*, h. Sarragossa, *Taraco* h. Tarragona, *Saguntus* h. Morvedre, *Numantia, Pallantia, Carthago* Vetus & Nova h. Carthagena, *Pompejopolis* h. Pampelona, à Pompejo conditore sic dicta. *Ilerda* h. Lerida.

Fluvii *Iberus* h. Ebro, *Sicoris* h. Segre. Gentes, *Cantabri* h. Biscai, *Astures*, *Celtiberi* h. Castiliani.

Bætica h. Granadæ Regnum: urb. *Hispalis* h. Si-

h. Sivilia, *Corduba*, *Astigi*, *Granada*.

Fl. *Betis* h. Quadalquivir, *Ana* h. Quadiana.

Lusitania. Urbes *Augusta* Emerita *Conimbrica*.

Fl. *Tagus* h. Tejo, *Durius*, *Minius*. Insulæ ad Hispaniam sunt, *Gadira* sive Gades h. Gadizmalis, *Pytiusæ* duæ: *Baleares* duæ h. Majorca & Minorca.

Montes Hispaniæ *Pyrenæi*.

GALLIA dividitur in *Aquitaniam*, *Lugdunensem*, *Belgicam & Narbonensem*.

In *Aquitania* urbes *Burdegala* h.Bordeaux, *Mediolanum*.

Fl. *Garumna* h. Garonna, *Ligeris* h. Loire, ad quem hodie maximæ pleræque Gall. urbes sitæ.

In *Lugdunensi* urb. *Augustodunum*, *Geneva* ad Lacum Lemannum, *Lugdunum* h. Lions, à quâ urbe Celeberrima Lugdunensis Regio nomen suum sortita est, *Aurelia* hodie Orleans.

Fl. *Sequana* h. le Seine.

In *Belgica: Samarobriga* h. Amiens, *Rhotomagus* Roüan, caput hodie Normanniæ *Augusta* Trevirorum h. Trier, quæ olim totius Belg. imo Gall. & occidentis caput fuit. *Eburones* h. Luyck, *Lutetia*-Parisiorum h. Paris Gall. Metropolis, *Divodurum*, Durocortorum.

Fl.

Fl. *Mosa* h. Maas & *Rhenus*. Portus *Icius* h. Calais.

In *Narbonensi* urb. *Massilia* h. Marseille, instructa portu, cui parem in universa Europa vix invenias; *Narbo* Martius h. Narbona, *Tolosa*, *Vienna*, *Nemausus* h. Nismes, *Arelate* h. Arles.

Fl. *Rhodanus* h. Rhone.

GERMANIAM MAGNAM incoluere *Batavi* h. Hollanders, *Sicambri* h. Gelri, *Frisii*, *Longobardi* h. Marchici, *Catti* h. Hassi, *Vangiones* h. Alsatii, *Angli* h. Westphali & Holsatii, *Saxones*, *Quadi* h. Silesii, *Boemi*, *Cherusci* h. Brunsvicenses.

Urb. *Mattium* h. Marpurch.

Fl. *Rhenus*, *Visurgis* h. Weser, *Albis* Elve.

Sylva *Hercynia* Hartz vel Bemerwaldt.

RHETIA h. Riese continet urb. *Brigantium* h. Bregents.

Fl. *Danubius* h. Donauw.

VINDELICIA h. Suevia.

Urb. *Augusta* Vindelicorum h. Augspurg.

Fl. *Licus* h. Lech.

NORICUM h. Carinthia.

Urb. *Iulium* Carnicum.

PANNONIA h. Austria & Hungaria, dividitur in superiorem & inferiorem.

Superior. h. Austria, urb. *Patovium*.

Inferior. h. Hungaria, urb. *Syrmium*, *Cibalis*.

Fl.

Fl. *Dravus & Savus.*

ILLYRICUM h. Dalmatia & Sclavoniæ: urb. *Iadera* h. Jayza, Salone.

ITALIA dividitur in *Magnam Græciam* h. Regnum Neapolitanum, *Latium* h. Statum Eccleſ. ſive Patrimonium Petri, *Tuſciam* hodie Magnum Ducatum Florentiæ, *Liguriam* hodie Territorium Genuenſe, *Galliam Ciſalpinam* hodie Lombardiam, *Iſtriam* hodie Iſterrerch.

Urb. *Ticinum* h. Pavia, *Parma*, *Mantua*, *Genua*, *Brixia*, *Ravenna*, *Patavium* h. Padoa, *Tridentum* h. Trent, *Forum* Iulium h. Friuli, *Florentia*, *Piſa*, *Ancona*, *Spoletum*, *Roma*, *Aretium*, *Præneſte*, *Lavinium*, *Neapolis* h. Napoli, *Cumæ*, *Capua*, *Puteoli* h. Puzzolo, *Hydrus* h Otranto.

Fl. *Padus* h. Po, *Atheſis* h. Etſch, *Addua*, *Rubicon*, *Arnus*, *Tiberis*, *Liris* hodie Garigliano.

Regiones, *Inſubria* h. Ducatus Mediolanenſis, *Vmbria*, *Samnium*, *Campania*, *Apulia*, *Lucania*, *Calabria*.

Montes, *Alpes*, *Appenninus*.

CORSICA urb. *Aleria*.

SARDINIA urb. *Calaris*.

SICILIA urb. *Syracuſæ* h. Saragoſſa, *Meſſana*, *Acragas*, *Enna*, *Panormus* h. Palermo, *Lilybæum*.

Fl. *Himera*.

Mons,

Mons, *Æthna.*

SARMATIA EUROPÆA h. Polonia & Russia, quæ & olim *Scythia* Europæa dicta.

Urb. *Olbia* sive *Borysthenes.*

Fl. *Borysthenes* h. Dniper.

Populi, *Essedones, Agathyrsi, Sauromatæ, Hamaxobii, Nomades, Georgi, Axiochi, Antropophagi, Geloni, Neuri.*

TAURICA CHERSONNESUS sive *Bosphorus* Cimmerius h. Tartaria Precopensis sive Tartaria minor.

Urb. *Theodosia* h. Caffa, *Panticapæum.*

JAZYGES, urb. *Bormanum* Jazygum.

MOESIA est vel *superior* vel *inferior.*

Superior, urb. *Rhætiaria, Scupum.*

Inferior, urb. *vdescus, Oescus.*

THRACIA, ubi in *Bosphoro*, urb. *Byzantium*, quæ & *Constantinopolis* h. Stambolda.

In *Propontide* urb. *Selymbria* & *Perynthus, Lysimachia, Præconnesus, Ænus, Apollonia, Amphipolis, Stagyros, Heracilia, Philippopolis, Hadrianopolis, Abdera, Potdæa.*

Montes, *Hæmus, Rhodope, Athos.*

Fl. *Hebrus, Strymon. Chersonnesus* Thraciæ, Thraciæ peninsula, ubi urb. *Sestos.* Fl. *Ægospotamos.*

GRÆCIA dividitur in *Macedoniam, Epirum, Achajam & Peloponnesum.*

Maceodnia, ubi urb. *Edessa, Pella, Thessalonica* h. Salonica, *Dyrrachium* h. Durazzo, *Am-*

Amphipolis, *Cassandria*, *Berrhœa*.

Montes, *Olympus*, *Pelion*, *Ossa*, *Oeta*. Saltus, *Tempe*.

Fons, *Libethra*.

Epirus h. Albania, ubi urb. *Ambracia*, *Actium*.

Achaja, urb. *Thebæ*, *Athenæ*, *Megara*, *Thespiæ*.

Montes, *Helicon*, *Parnassus*.

Fl. *Ismenus*, *Sperchius*.

Peloponnesus, ubi urb. *Corinthus*, *Argos*, *Megalopolis*, *Sparta* h. Misitra, *Messana*, *Mycenæ*.

Fl. *Peneus*, *Inachus*.

Montes, *Stymphalus*, *Taygetus*.

Insulæ ad Græciam, *Corcyra* h. Corsu, *Cephalonia*, *Zazynthus* h. Zante, *Cyclades*, *Sporades*. *Creta*, omnium harum Insularum celeberrima, quæ hodie Candia vocatur, ubi urb. *Gnossus*, *Gortyna*, *Lyctus*.

Mons, *Ida*.

Atque hæc Descriptio Geographica *Veteris Europa*, sequitur nunc *Asia*.

ASIA.

Asia *dividitur in* Minorem & Majorem.

ASIA MINOR.

Asia Minor h. Natolia, continet Regiones, *Bithyniam*, *Asiam* propriam, *Lyciam*, *Galatiam*, *Pamphyliam*, *Cappadociam*, *Armeniam*, *Ciliciam*.

BITHYNIA h. Osmania, urb. *Chalcedon*, *Nicodemia*, *Apamia*, *Nicea*, *Prusa* h. Bursia.

ASIA PROPRIA h. Aidinelli, ubi urb. *Cizycus*, *Pergamus*, *Smyrna*, *Ephesus*, *Miletus*, *Gnidus*, *Sardis*, *Mytilene*, *Chios*, *Rhodos*.

LYCIA ubi urbs *Patara*.

GALATIA ubi urb. *Sinope*, *Amisus*, *Ancyra*, *Pessinus*.

PAMPHYLIA ubi urb. *Sida*, *Perga*, *Termessus*.

CAPPADOCIA h. Aladeule; ubi urb. *Trapezus*, *Cesarea*, Comana Pontica.

ARMENIA, quæ dividitur in *Majorem & Minorem*.

Minor, quæ & hodie idem nomen retinet, ubi urb. *Nicopolis*, *Satalia*, *Comana* Cappadociæ.

Major h. Turcomannia, ubi urb. *Artaxata*, *Adana*, *Pompejopolis*.

Asiæ minoris fluvii sunt: In Bithynia, *Sangarius*: In Lycia, *Hermus*, *Mæander*: In Galatia, *Halys*: In Cilicia, *Cydnus*.

ASIA MAJOR.

Asia Major, continet Regiones, *Sarmatiam* Asiaticam, *Colchidem*, *Iberiam*, *Albaniam*, Insulam *Cyprum*, *Syriam*, *Judæam*, *Mesopotamiam*, *Babyloniam*, *Assyriam*, *Susianam*, *Mediam*, *Persidem*, *Parthiam*, *Hyrcaniam*, *Carmaniam*, *Arabiam*, *Margianam*, *Bactrianam*, *Sogdianam*, *Scythiam*, *Ariam*, *Paropamisum*, *Drangianam*, *Arachosiam*, *Gedrosiam*, *Indiam*, *Sinas*, *Taprobanam* Insulam.

SARMATIA ASIATICA h. Tartaria deserta, ubi urb. *Tanais* h. Thana, emporium ante duo secula celeberrimum.

Fl. *Tanais* h. Don.

Terminus Europæ & Asiæ fl. *Rha* h. Volga.

COLCHIS h. Mengrelia, ubi urb. *Dioscurias*, *Phasis* h. Fasso.

IBERIA h. Gurgestan, ubi urb. *Gatocra*, *Albana*.

Fl.

Fl. *Cyrus* h. Cor, *Araxes* h. Aras.

INSULA CYPRUS, ubi urb. *Paphus*, *Amathus*, *Salamis* h. Famagusta.

SYRIA h. Soria vel Scham, ubi urb. *Antiochia* h. Antakia, *Loodicea*, *Hierapolis*, *Apamia* h, Halep. *Palmyra*, *Paneas*, Cæsarea, *Damascus* h. Damas sive Scham.

Fl. *Orontes*.

JUDÆA h. Terra Sancta, ubi urb. *Hierusalem* sive *Ælia* Capitolina h. Baitel Mukaddes sive Domus Sanctificata, *Ascalon*, *Cæsarea*, *Neapolis*.

Fl. *Iardanes*.

MESOPOTAMIA h. Jezira sive Diar-Becr, ubi urb. *Edessa* h. Roha, *Nisibis* h. Nesibin, *Nicephorium*, *Seleucia* h. Bagdad, totius Asiæ hodie Metropolis, *Carræ*, *Amida* h. Caramid.

Fl. *Euphrates* h. Frat. *Tigris* h. Dighlito.

BABYLONIA h. Irac El Arab, ubi urb. *Babylon*, cujus ruinæ hodie tantum supersunt, *Vrchoa*, *Teredon* h. Basora.

ASSYRIA h. Aderbeitzan, ubi urb. *Ninus* sive *Ninive* h. Mosul, *Arbela*, *Ctesiphon*, *Seleucia*.

SUSIANA h. Cusestan, ubi urb. *Susa* h. Sus.

MEDIA h. Schirvan, ubi urb. *Ecbatana* h. Tabritz, *Arsacia*, *Cyropolis*.

PERSIS h. Fars, ubi urb. *Persepolis* h. Schiraz.

PARTHIA h. *Irac* El Atzem sive Algebal,

 ubi

ubi urb. *Hecatompylos* h. Isphahan sive Spahan.

HYRCANIA h. Kilan, ubi urb. *Hyrcania* h. Tritzan.

CARMANIA h. Kirman, ubi urb. *Armusa* h. Ormutz, *Carmana* h. Tzirgiam.

ARABIA, quæ triplex, *Deserta*, *Petræa*, *Felix*.

Arabia *deserta*, ubi urb. *Maccaraba* hodie Mecca.

Petræa, ubi urb. *Petra*, *Bostra*.

Felix h. Aliemen, ubi urb *Maza*, *Sabe*, *Sapphar* h. Doffar.

MARGIANA h. Chorassan, ubi urb. *Antiochia*.

BACTRIANA h. Tartaria Schagatai, ubi urb. *Bactra* h. Buccara, *Maracanda* h. Semircanda, patria Tamerlani.

Fl. *Oxus* h. Jehun.

SOGDIANA, ubi urb. *Oxiana*, *Drespa*, *Alexandria*.

Fl. *Iaxartes* h. Sihun.

SCHYTHIA h. Tartaria: est *duplex*, vel *intra Imaum*, vel *extra Imaum*, ubi urb. *Issedon* Schytica h. Cambalu vel *Peking*. *Serica* h. Cattai.

ARIA h. Herat, ubi urb. *Aria* h. Herat, *Alexandria* Ariæ.

PAROPAMISUS h. Seschisthan, urb. *Naatibis*, *Caruta*.

DRAN-

DRANGIANA h. pars Sefchifthan, ubi urb. *Ariaptha*, *Prophtafia*.

ARACHOSIA h Mecran, ubi urb. *Cani*, *Mufarna*, *Arbis*.

INDIA h. Indoftan, quæ eft vel *intra* vel *extra* Gangen.

Intra Gangen, ubi urb. *Palebothra*, *Bucephala*.

Fl. *Indus* h. Hind vel Sind.

Extra Gangen h. *Bengala*, ubi urb. *Tacola*, *Rhandamarcotto*.

Fl. *Ganges* h. Pang-ab.

SINA h. China meridionalis, five Nanking ubi urb. *Afphitra*, *Sinæ*, *Cattigara*.

TAPROBANA Infula h. Ceilon, ubi urb. *Talajori*, *Maagran*.

Et hæc Defcriptio Geographica Afiç: reftat Africæ.

AFRI-

AFRICA.

Africa continet Regiones *Mauritaniam sive Africam* minorem, *Cyrenaicam, Marmaricam, Lybiam* exteriorem & interiorem, *Ægyptum, Thebaidem & Æthiopiam.*

MAURITANIA h. Fezz & Marocco, est vel *Tingitana*, vel *Cæsariensis*.

Tingitana, ubi urb. *Tingis* h. Tanger, *Lixa, Volubilis, Zilia*.

Mons, *Abyla* & *Atlas*.

Fl. *Mulucha*.

Cæsariensis sive *Numidia* h. Biledulgerid, id est, Regio Dactylifera, ubi urb. *Iol* sive Julia Cæsarea, *Saldæ*, oppidum Novum.

AFRICA MINOR, & olim Africa *proprie* dicta, h. vero Regnum Tunetanum terminatur ad aras Philenorum, ubi urb. *Carthago, Utica, Adramyttum, Leptis, Cirta Iulia, Sicca* Venerea, *Thysdrus, Tabraca, Hippo* Regius, *Capsa, Clupea, Thunisa, Aphrodisium* h. Algier.

Fl. *Bagradas, Senus, Syrtis* Parva & Magna. Insulæ adjacentes in Syrti minore, *Meninx* h. Gerbe, *Melite* h. Malta, *Cossyra*.

CYRENACIA h. Barca, ubi urb. *Berenice, Arsinoë, Ptolemais, Apollonia, Cyrene*.

MAR-

MARMARICA h. comprehenditur sub Barca, ubi urb. *Chersonesus* Magna.

LYBIA, duplex vel *exterior* vel *interior*.

Exterior, ubi urb. *Catabathmus* Magna, *Parætonium*.

Interior sive Mediterranea, ubi urb. *Garama*.

ÆGYPTUS h. Misr vel Copht, ubi urb. *Alexandria*, *Memphis* h. Alcahira, *Arsinoe*, *Babylon* h. Bulac, *Leontopolis*, *Thunis*, *Heliopolis*, *Pelusium* h. Damiata.

THEBAIS, ubi urb. *Diospolis*, *Tentyra*, *Coptos*, *Syene* h. Asna.

Fl. *Nilus*, cui septem sunt Ostia.

ÆTHIOPIA h. Abyssina, sive Regnum Presbyteri Joannis sub Ægypto, ubi urb. *Meroe*, *Napata*.

Montes *Lunæ*, ex quibus oritur Nilus.

Finis Geographiæ Veteris Orbis.

EUROPA.

EUROPA partium orbis minima, ſed cultiſſima, *Longitudinem* habet inter Hiſpaniæ Promontorium S. *Vincentii*, & Ruſſiæ Fluvium *Obi*, milliarium Germanicorum 900. *Latitudinem* à *Tænaro* Peloponneſi promontorio ad *Nortkin* Schrickſinniæ, milliarium 550.

ISLANDIA, extrema Europæ Inſula *Longitudine* 140. milliarium, *Latitudine* 65. tota montoſa eſt, frigida, atque glacialis. Montes tres habet perpetuis flagrantes ignibus, *Heclam*, montem *crucis*, & *Helgam*. De monte *Hecla* mirabilia narrant, & vulgus putat ibi Januam ſive Oſtium inferni eſſe. Per octo continuos menſes Inſula glacialibus montibus undique obſeſſa eſt: Paſcua uberrima & ſupra fidem cæterarum regionum ſunt. Hinc ingens pecorum copia, ſed *boves* & *vaccæ* cornibus carent. Mare piſcoſiſſimum, atque hæ opes & divitiæ ſunt. Frumenti haudquaquam ferax propter ingentes Boreæ flatus. *Fontes* duos habet diſparis naturæ, quorum unus lanas albas *denigrat*, alter nigras *dealbat*: eſt & alius injecta in *lapidem* indurans.

Incolæ ejus ſunt ex *Norvegia*, & linguam moreſque Norvegorum, niſi qua peregrinatione corrupti ſunt, adhuc retinent. Hi diviſerunt Inſulam in quatuor partes, à quatuor pla-

plagis mundi denominatas, *Austlendinga* Fiordung; *Nordlendinga* Fiordung; *Westlendinga* Fiordung; *Sudlendinga* Fiordung: *Vrbes* ac oppida nulla: Sylvas dispersi ac montes colunt. *Episcopatus* duo recensentur, *Holum* & *Scalholt*; Subest Regi Daniæ.

HIBERNIA sive *Irlandia*, inter Angliam & Hispaniam sita; *Longitudine* 70. milliarium Germanicorum, *Latitudine* 23. *Regio* montosa, sylvestris, paludosa, adeo ut lacus atque stagna in altissimis quoque reperiantur montibus, aëre temperato & suavi, sed admodum humido. Animal noxium atque venenosum præter *Lupos* & *Vulpes*, neque producit, neque illata patitur. *Ligna* ad structuram toto orbe optima profert, quæ neque cariem contrahunt neque à vermibus arroduntur, adeo ut ne quidem aranearum texturæ aut filamenta illis adhæreant. *Frumenti* parum ferax: Sed pascuis uberrima. *Equos* præstantissimos alit, & qui apud exteros in pretio habentur.

INCOLÆ. *Irlandi* corpore agili, cursu velocissimi, animo audacissimi, moribus tam contrariis ut proverbio dicatur, *Bono Hiberno non posse inveniri meliorem, nec malo deteriorem*. In universum pigritiam atque otium supra omnia sua vitia amant, adeo ut omissâ agriculturâ ne corpus quidem contra imbres, nives aut aëris inclementiam tueri curæ habeant. Omnis ipsorum voluptas atque vita in

Latrocinio consistit, de die somno & ebrietati indulgent, noctem in prædis agendis consumunt, & dedecus apud eos habetur si quis noctem somno impendat. *Vestitus* ex vili lana, capite semper intecto, nisi quando in prælium prodeunt. *Belli* avidissima Gens. Suos ad prælium non tubâ vel tympano, sed *utriculo* animant: hostes non ante occisos putant, quam *caput* illis amputarint. Ipsi adeo vitæ tenaces, ut quanquam pluribus contrucidati vulneribus atque affecti pro mortuis habeantur, repente vulnera comprimentes cursu velocissimo sese iterum in fugam conjiciant; hinc mos fluxit capita illis amputandi. Ritus barbaros & antiquos pertinacissimè retinent, neque ab illis ullâ ratione sese abduci patiuntur. Et hi sunt Hiberni *Barbari*. Magna eorum pars commercio *Anglorum & Scotorum* cultiores facti suut, atque hi linguâ & moribus Anglorum utuntur.

Divisio. Dividitur Hibernia in quinque partes: *Lageniam* sive *Lemster*, ubi urb. *Dublin* totius regni metropolis, & *Wexford*. *Vltoniam* sive *Vlster*, ubi urb. *Armach* Archi-Episcopi Sedes, & *London-Derry*. *Connachtiam*, ubi urb. *Galveya*. *Momoniam*, ubi urb. *Waterford & Limerik*. Et *Mediam*, ubi urb. *Kilkenny*.

BRITANNIA Magna dividitur in Regna duo, Scotiam & Angliam.

Sco-

SCOTIA Borealem Britanniæ partem complectitur & ab Anglia fluvio Tueda ac Solveia dividitur: mediam interſecat mons Grampius.

INCOLÆ. *Scoti* ſunt duorum generum, *Montani* qui *Highlanders* dicuntur & linguâ ac moribus fere Hibernorum vivunt, & *Campeſtres*, qui provincias auſtrales incolunt. Linguâ & moribus haud multum Anglis diſſimiles. In *Bellum* aut ad *venationes* prodeuntes in ſacciperio aliquid farinæ avenaceæ ſecum ferunt, ubi ad rivum devenere, facta exinde maſſa crudum comedunt, atque ita famem ſuam per multos dies tolerant. Ingenio ſubtili, atque omnium artium capaci, ſed factioſo atque in ſeditiones prono. Fides eorum commendatur, atque hinc inter cuſtodes Regum Franciæ primum olim locum tenuere.

Nobilitatem ſuam ſupra omnes gentes jactant, adeo ut etiam mendici plerumque dicant ſeſe *Regio* ſanguine prognatos eſſe.

Diviſio *Provinciæ* in Scotia XXXII. numerantur, quarum aliquæ *Meridionales*, aliæ *Septentrionales* ſunt.

Meridionalium præcipuæ, *Laudonia*, ubi *Edenburgum*, Regni Metropolis; Longitudine ab Oriente in Occidentem unius milliaris Italici, latitudine dimidii, deinde Caſtrum *Dunbriton*. *Strivilingia*, ubi *Sterling* & *Dumblain*. *Clideſdalia*, ubi *Glaſquo* Academia. *Priſa*, ubi *Fanum* S. *Andreæ*, oppidum S. *Io-*

bannis. *Perthia*, ubi *Dunkelden*.

Septentrionales, Angusia, ubi *Brechin*, *Abrenethia*, nunc Strath, ubi *Aberdein* Academia, *Matria*, *Atholia*, *Moravia*, *Argathelia*, *Logbnhabria*, *Roßia*, *Sutherlandia*, *Cathanesia*, *Stranavera*, singulæ Provinciæ sunt.

INSULÆ. Insulæ circa Scotiam dividuntur in *Orcadas* triginta, quarum caput *Pomonia*, & in *Hebrides* XLIV. ex quibus *Laviſſa*, *Eaſt*, *Skye*, *Mula*, & *Eſla*, præcipuæ.

ANGLIA Meridionalis *Britanniæ* pars, complectitur Regnum *Angliæ*, quod terrarum amplitudine *Scotiam* vel *æquat*, vel etiam *superat*.

Aër, Suavis, sed admodum *humidus*, *pluviis* & ventis frequenter obnoxius, *Salubris* tamen, ut rari morbi grassentur, nisi quod plerunque intra quadriennium *Peſtilentia* magnam stragem faciat. Regio ad miraculum *fertilis*, ovium præcipuè innumerabilis copia, hinc *lana* toto orbe præstantissima, ex quâ panni omnium optimi conficiuntur, neque alia mercatura majores in Angliam opes intulit. Adeo ut legibus gentis capitale sit, unam *ovem* aut *lanam ex* Insulâ absportare. *Hiſpani* cum ante seculum, & quod excurrit, indulto *Henrici* VII. aliquod paria ovium transportassent in *Andaluſiam* ingentes exinde divitias conquisiverunt. Auget gregum copiam quod nulli totâ Angliâ *lupi* reperiuntur, non certè, quod

Regio

Regio illos non ferat (ut vulgo existimatur) sed quia *Molossorum* cura hæc fuit, ut propositis præmiis, undique conquirerentur, ita totum genus defecit. *Cygnorum* innumerabilis copia, neque alia Regio tantam *cornicum* multitudinem profert, quæ ingentia satis & arboribus damna inferunt. *Ranas* non fert.

INCOLÆ. Anglis gravis ut plurimum animus, se & suæ gentis mores eximiè mirantur, Bello aptissima gens, & si tam bene incommoda perferre possent, vix alius miles Anglis præferendus foret, contemptores vitæ & periculorum. Latrocinio multum dediti, & ad *furta* propensi. Vulgus animo *irritabili*, atque hinc peregrinis *ferociores* esse videntur.

Cæterum *nobiles* atque *cives* honesti aliarum gentium humanitatem æquant, *hospitales* atque *benefici*; Quod, si quis peregrinorum flagitium admittat, quanquam illud fortè capitale fuerit, non aliam fere pęnam ipsi irrogant, nisi quod *Insula* excedere jubent.

Religionibus nulla gens adeo exagitatur, in quibus nihil *mediocre* possunt. Suas pro *Oraculis* opiniones habent, & illas summâ *pertinaciâ* defendunt Hinc una sæpè *familia* in complures divisa *sectas*, multum inter se doctrinâ moribusque diversas.

Quæ *insania* ab aliquot retro annis in inmensum crevit, adeo ut Sectarum numerus, vix numerari queat, quæ omnes uno nomine,

INDEPENDENTES appellantur.

DIVISIO. Regnum *Angliæ in tres* partes dividitur, in *Angliam*, *Walliam*, & oppidum *Barwijck* ad Tuedam.

Comitatus, sive Provincias in universum L. complectitur, quarum XIII. ad Walliam pertinent: præcipuæ sunt, *Kent* ubi *Kanterburie*, sedes Archiepiscopalis, & *Rochester*, sive Roffa. *Middlesex* ubi *Londinum* regni metropolis. *Essex*, ubi *Kolchestria*. *Suffolcia*, ubi *Ipsuicum*. Norfolcia ubi *Nordovicum*. Sussexia ubi *Cicester*. Northumbria, ubi *Novocastrum*, Somersetia, ubi *Bristol*. Salopia ubi Schrowsbury, Devonia ubi *Exonium* sive Excester. Reliquæ Provinciæ urbes habent, iisdem nominibus nuncupatas: Eboracum sive Yorck, *Lancastria, Cestria, Darbya, Nottinghamia, Lincolnia, Lecestria, Worcestria, Glocestria, Wintonia*, sive *Wincestria, Dorcestria*.

Academię duæ celeberrimæ. *Oxonium* sive Oxford, & *Kantabrigia* sivę Cambridge. Ex hisce omnibus Provinciarum urbibus Londinum, Eboracum, Nordovicum & Bristolium, urbes quatuor totius Angliæ celeberrimæ & maximæ.

Wallia dividitur in Meridionalem, ubi Herefordia, Monmouthia: & Septentrionalem, ubi Montgomeri, Bangor, Canarvan.

Portus in Angliâ celebres sunt: versus Hiberniam *Westchester & Milfordhaven*: versus Fran-

Franciam *Pleimouth* & *Portsmouth*: versus Orientem *Yarmouth* & *Hull*, totius Angliæ portus celeberrimus.

INSULÆ. Insulæ circa Angliam sunt, *Mannia*, *Anglesey*, *Vectis* sive Wicht, *Gernesey*, *Iersey* & *Sorlinges* sive Syllyes.

HISPANIA. *Prima* versus *Occidentem* Europæ continens. *Hispania* undique mari alluitur, nisi qua per *Pyrenæos* montes Galliæ adhæret. Figura ferè *quadrata* est. Versus *Septentrionem* frigidior, propter asperos montes, temperatior, qua Mediterraneo mari alluitur. Solum haud usque adeo fertile, steriles hinc inde solitudines, & vasta loca jacent, sed ubi natura culturam admisit, veluti redemptura aliorum locorum sterilitatem in omnia frugum genera sese effundit. Ventis non adeo obnoxia, ut Gallia: Aër quoque purior & minus nebulosus. Equos imprimis velocissimos producit, & quibus similes vix alibi toto orbe reperias, unde Antiquitas à vento genitos existimabat.

Andalusia, *Granada*, *Valentia*, *Estremadura*, fertiliores provinciæ sunt. *Aragonia*, *Castilia*, *Biscaja*, *Gallicia*, propter lapidosum atque arenosum solum steriliores habentur.

Flumina sunt, *Tagus*, *Anas*, *Iberus*. *Anas* per aliquot millia passuum à terra absorbetur, donec iterum emergat. Hinc vulgo dicitur, Hispaniam maximum totius orbis terrarum pontem habere.

INCO-

INCOLÆ. Hiſpani omnium gentium ſuperbiſſimi, ſingularem quandam, & ridiculam exteris gravitatem affectant. Hinc aliis ferè nationibus univerſis exoſi atque intolerabiles redduntur. Ingenio ſagaci, & ad Rempubl. gerendam, in illis gentibus quæ ſervitutem pati poſſunt, aptiſſimi.

Cum *duo* ſimul verſantur, utcunque ex infimâ plebe ſint, de *Republicâ* & rebus ſeriis loquuntur, qua ratione hoſtes debilitari, Majeſtas Regis augeri queat: Actiones ipſorum lentæ ſunt atque conſtantes, nihil temeritati, cuncta judicio tribuunt. Veſtitu imprimis *magnifico* utuntur, & in eam rem omnes ferè opes impendunt, Victu *tenuiſſimo* contenti, ſi de *proprio* ſolvendum ſit, at, ubi alienis ſumptibus aluntur, voraciſſimi atque delicatiſſimi. Literis parum incumbunt, & rari in tanta gente mediocriter docti, in Religione ſua ad miraculum *ſuperſtitioſi*, & ejus *prætextu* ambitionem ſuam & crudelitatem palliare ſolent. *Titulorum* appetentiſſimi, & quanquam *Veteramentarii* ſint, atque *ſordidarum* domi artium, in exteris Regionibus *magnifici*, *Nobiles*, *atque* potentes videri volunt, atque Dons appellari. Omnes ipſorum actiones à naturali quadam *melancholiâ* procedunt. Bello paucis gentium cedunt, *peditatu* optimi, *equitatu* vix quicquam valent, plerunque *cunctatores*, neque alia arte exactius *Gallorum* levitatem at-

que

que *præcipitantiam* castigant, & quanquam bello *inferiores*, ut plurimum tamen amissa *conditionibus* atque *pactis* recuperant. Tali ingenio cum sint, mirum non est, eos Imperium totius orbis affectasse, & ex parte obtinuisse; cætera in irritum ceciderunt.

DIVISIO. Hispania XIV. Regna minora complectitur, quæ omnia titulo trium majorum continentur, *Aragoniæ, Castiliæ, & Portugalliæ.*

Sub ARAGONIA sunt ipsa *Aragonia*, ubi metropolis *Saragossa*; Catalonia, ubi *Barcelona, Taragona, Tortosa*; Comitatus *Russilion*, ubi *Perpinian*, *Valentia* cum urbe ejusdem nominis, *Navarra* ubi *Pampelona*.

Deinde CASTILIA in *veterem & novam* dividitur. In veteri sunt, *Burgos, Salamanca, Valadolid, Segovia*: in nova; *Toledo, Madril* Regum sedes, *Calatrava, & Alcantara*. Utrique Castiliæ annumerantur Regna, *Leon* ubi urbs *Leon*, Asturia, ubi *Oviedo*, *Biscaia*, ubi *Bilbao*; Guipuscoa, ubi S. *Sebastian, & Fuentarabia*, Gallicia ubi *Bajona*, & portus la *Corunna*. Audalusia, ubi *Sevilia & Corduba*; Estremadura, ubi *Badajozi*, Murcia ubi urbs *Murcia*, & portus *Cartagena*; Granada ubi urbs *Granada, Almeria & Malaga*.

In PORTUGALLIA, Metropolis, *Lisbona*, inde *Coimbra, Lamego, Elvas & Olivensa* complectitur Ducatum Braganza & Regnum *Algarviæ*.

INSU-

INSULÆ. Insulæ ad Hispaniam sunt, *Gades, Majorica, Minorica & Ebussa.*

GALLIA. Omnium in Europâ Regnorum Princeps *Gallia* est, & inde omnis humanitas, omnisque morum cultura fluit. *Longitudo* ejus 350. milliarium. *Latitudo* 200. est. In ea regione natura ostendisse videtur, quidquid alibi pulchrum aut amabile est. De fertilitate aut natura soli non opus est quicquam dicere, cum nulla regio magis frequentetur ab omnibus, & cognita sit.

INCOLÆ. *Gallorum* natura ad omnem humanitatem facta est, & hoc magnum quale orbis *Theatrum*, in quo omnis sese Europa excolere moribus solet. Non alia gens cum Gallis ea in re comparanda. Ipsam linguam, mores, vestium tota æmulatur communi consensu Europa exceptis Hispanis: quicquid *Gallicum* pulchrum videtur atque egregium.

Regum semper maximi æstimatores sunt suorum, & bona libertatis fere ignorant; nisi quoties exterorum injuriis eo adiguntur. Mutabiles atque rixosi, supra communem Europæorum consuetudinem, levissima quæque injuria duello vindicatur: non interdicta Regum, non præsens morseos ab ea insania avocare potest: sed quam prompti sunt injuriam inferre, tam prompti si vim opponas eam patiuntur. Nulli confidere, semper armatam manum habere, summa apud eos prudentia habe-

habetur: Adulatores maximi, & ea inprimis aſtutia exteros plerunque ſinceriores fallunt atque decipiunt.

Hæc vulgi vitia præcipuè in magnis urbibus. Cæterum nulla regio dignior ſpectatu, ſi quis ſibi in gente illa cavere ſciat.

DIVISIO. *Gallia* dividitur dupliciter, vel ſecundum *Provincias*, vel ſecundum *Parlamenta*.

Provinciæ Majores numerantur XV. Parlamenta vero VIII. quæ diviſio utilior & receptior.

PARLAMENTA illa ſunt, *Paris*, *Thouloſe*, *Roan*, *Bordeaux*, *Rennes*, *Dijon*, *Grenoble*, *Aix*, quibus adduntur duo minora, *Bearnenſe* in Navarra, & *Metz* in Lotharingia.

Sub Parlamento PARISIENSI ſunt, *Picardie*, ubi *Abbeville*, *Amiens*, *Corbie*, *Calais*: Francia, ubi *Paris*, Fanum *S. Dionyſii*: Belſia, ſive *la Beauſſe*, eaque triplex *Superior*, ubi *Montfort*, *Chartres*; Media, ubi *Tours* & *Blois*, Inferior ubi *Orleans*: *Andegavum*, ſive Anjou, ubi *Angiers* & *Salmuricum* ſive Saumeur. Le Mayne, ubi *Mans*: Campania ſive *Champagne*, ubi *Tricaſſium* ſive Troyes, *Remi* ſive Reims, *Catalauni*, vulgo Chalons. Ad eam refertur *Metz*, *Thoul* & *Verdun*: Lugdunenſis Provincia, ubi Lugdunum vulgo *Lions*: Bituriges ſive *Berry*, ubi *Bourges*: Borbonii, ubi *Borbon*: Pictones, ſive *Poitou*, ubi Pictavum,

five *Poitiers*: Angulesme, ubi urbs ejusdem nominis: Avernia Superior, nunc Auvergne, ubi *S. Flour*, & Inferior, ubi *Clermont*.

Sub Parlamento THOLOSANO *Quersy*, ubi *Cahors & Montalbanum*, five Montauban: Rovernia, ubi *Rhodes*: Languedoc, ubi *Thoulouse*, *Narbonne*, *Mompellier & Nismes*: Guasconia, ubi *Nerac*, ad eam referuntur Regiones *Armenac*, *Bigorre*, *Agen*, Ducatus *Albret & Comingois*.

Sub Parlamento RHOTOMAGENSI five *Roan*, est sola *Normannia*, *ubi Roan*, *Alencon*, *Longeville*, *Harcourt*, *Mongomery*, *Diepe*, *Havre de Grace*, *Cadomum* five Caen, *Constantin* ubi Regnum *Yvetot*.

Sub Parlamento BURDEGALENSI, sunt Limosin, ubi *Limoges*: Perigort, ubi *Perigeux*, & *Bergerac*: Bordelois, ubi *Bordeaux*: Bazadois, ubi *Basas*: Labourd, five Lourde, ubi *Beyonne*: Santones, five *Xantoigne*, ubi *Iean d'Angeli*, & Rupella five *Rochelle*.

Sub Parlamento de RENNES, est Britannia, ubi *Nantes*, *Rennes*, *Vannes & Brest*, portus celebris.

Sub Parlamento DIVIONENSI est Burgundia, ubi Dijon, Chalons & Masconne, la Bresse, ubi Bellay.

Sub Parlamento de GRENOBLE, est Delphinatus, five *Dauphiné*, ubi Embrum & *Vienne*.

Sub

Sub Parlamento de AIX eſt Provincia ſive *Provence*, ubi Aquæ Sixtię, ſive *Aix*, Maſſilia, ſive *Marſeille*, & Arelate, ſive *Arles*.

Sub Parlamento BEARNIENSI, eſt Bearnia, ubi *Pau*, *Orthes*, *Navarin*, ad eam pertinet pars Regni Navarræ.

Sub Parlamento METENSI ſunt Epiſcopatus *Thoul*, & *Verdun*: Metropolis eſt *Metz*.

INSULÆ. Inſulæ ad Galliam pertinent in Oceano Aquitanico duæ, *Oleron* ſive Iſle d'Oleron, & Iſle de *Rhetz*.

GERMANIA. *Germania* in Europa Regionum fere maxima, ſicut *Imperii* dignitatem ſibi vindicat atque *Primatum*: Ita terrarum fertilitate ac amænitate nulli Regionum quidquam cedit. Olim quidem triſtis atque aſpera, cœlo ſoloque inamœna, ſylvis ac paludibus fœda, gentium immanitate barbara: at hodie adeo exculta, urbibus oppidiſque exornata, ut *Italiæ* nihil quicquam concedat. Non alia Regio majoribus & pluribus irrigua fluminibus, quorum quidem præcipua duo *Rhenus* atque *Danubius*: cæterorum innumerabilis multitudo.

In tam vaſta Regione vix ſterilis gleba datur, & ſi quando arenæ aut ſaxoſum ſolum, induſtria hominum, cogitur eſſe fertile. *Sylvæ* magnam partem longitudine temporum exciſæ, montes colleſque vitibus & agris exornati, ut vini & frumenti ad totius Europæ ſatietatem

tatem

tatem abundantia producatur.

Regio præsertim interior magnam partem *montosa*: qua mari proximat, in campos atque planitiem diffunditur. Sed ipsi montes incredibilem metallorum copiam producunt, & quo asperiores sunt, eo præstantius aurum, argentumve in illis reperitur.

INCOLÆ. *Germani* in universum robore *corporis*, & *animi* fortitudine, plerasque gentes vel æquant, vel etiam superant. Hinc vultus atque artus illi Romanis adeo formidati. Fides inprimis apud eos ac constantia commendatur, ut in proverbium abierit, *More Germanico*, id est bona fide aliquid agere; Medium inter *Gallorum* levitatem, & *Polonorum* pompam, temperamentum obtinent, & quanquam singularem in actionibus gravitatem præ se ferant, procul tamen ea ab *Hispanorum* aut *Polonorum* jactantia abest. Artium præsertim Mechanicarum supra cæteras Gentes periti, & ab illis universus fere orbis didicit metalla tractare, ac subtilissimo artificio in quamlibet figuram efformare, quæ laus imprimis *Noribergensibus* & *Augustanis* debetur. *Peregrinandi* gens avida, & dedecus apud eos habetur, nisi quis exteras Regiones diu multumque visitarit. In peregrinos mores atque vestitum imprimis proni ac faciles, & quidquid peregrinum, acà patrio instituto alienum, id *pulchrum* videtur atque egregium. Hinc illa in moribus ac vestitu à patria simplicitate

citate degeneratio, ut non modo virtutes, verum etiam vitia ipsa, domum reportent. *Verecundia* ipsis *domi* singularis, quam, nisi conversatione temperetur, in vitio ponere possis. *Extra* patriam versantibus, amicitia inter se *fraterna* atque arctissima consistit, ut quanquam ex longe dissitis orti Provinciis, veluti sub eodem nati tecto, atque educati essent, sese ament, atque injurias defendant, contra quam Gallorum mos est, qui raro vel nunquam extra patriam concordant. Laborum tolerantissimi, & sive literis incumbant, sive aliis artibus animum erudiant, quicquid agunt magno conatu, ac indefesso studio agunt. *Raro* in *seditiones* ac bella exardescunt, sed ubi semel exarserint, longa eos tempestas, & digna viris ira exercet, & arma semel sumpta vix deponere sciunt. Inter tot virtutes unico & veluti proprio dehonestantur vitio, quod ebrietati (supra quam dici potest) plerunque indulgeant; Nihil vel publicè vel privatim rectè peragi posse putant, nisi quod inter pocula tractatur, & illud vitium præcipuè Saxonum genti familiare est. Illa demum fides inviolabilis existimatur, quę inter comessationes sancita est.

Divisio. Dividitur Germania in *decem circulos*, sub quibus plurimi continentur Principatus atque Comitatus.

Circulus primus est *Franconiæ*, ubi Bamberga, Wurtzbergum, Noriberga, Sweinfurtum.

Cir-

Circulus secundus est *Austriæ*, ubi *Vienna* Imperatoris sedes, *Stiria*, ubi *Cretium* : *Carinthia* ubi *Villach* : *Carneola* sive Crain ubi Laubach, *Tyrol*, ubi Inspruck.

Circulus tertius est *Bavariæ* ubi Saltzburg, Passau, Ratisbona, Frisinga, Ingolstadium, Monachium, Straubinga, Landshuth, Amberga.

Circulus quartus est *Sueviæ*, ubi Ducatus Wurtemburgensis, in quo Stutgardt, Tubinga, Marchia Badensis, ubi Baden & Durlach.

Civitates liberæ, *Augusta* Vindelicorum, Ulma, Memminga, Constantia, Uberlinga; Norlinga.

Circulus quintus est *Rheni* sive *Alsatiæ*, ubi Alsatia duplex, superior, in qua Ensisheim, Rufach, & Slestadium : Inferior ubi Zaberen, & Hagenoa; Brisgoa ubi Freiburg & Brisach, Lotharingia, ubi Nancy. Ducatus Bipontinus, ubi Zweybrucken, Hassia, ubi Cassella, & Marpurgum.

Comitatus sunt Nassovia, Solms, Hanou, Rheni Sarbruck.

Civitates liberæ. Colmaria, Strasburgh, Speir, Wormbs & Franckfurt.

Circulus sextus Electorum Rheni, Ubi Mentz, Trier, Ceuln. Palatinatus Rheni, ubi Heydelberga, Manheim, Franckendal, Oppenheim, Bacharach, Crucenacum, Alzea, Lutra.

Circulus Septimus est *Westphaliæ*, ubi *Leodium*

dium five Luyck, *Paterborn*, *Munster*, *Osnabrug*, Verden, Minden.

Ducatus Juliæ ubi Gulich & Duren. *Cliviæ*, ubi *Cleve*, *Wesel*, & *Emmerich*. *Bergæ* ubi *Dusseldorp*. Comitatus *Waldech*, *Lippe*, *Marck*, *Schaumburgh*, *Bentheim*, *Oldenburgh*, *Emden*, five *Oostfrieslandt*.

Civitates liberæ, *Aquisgranum*, five Aach, *Dortmundt*, *Susatum* five Souft.

Circulus Octavus est *Saxoniæ* Superioris, ubi *Saxonia* in qua *Wittenbergh*, & *Torgau*, Thuringia, ubi *Erfurt*, *Wermar*, *Iena* & *Gotha*. Misnia ubi *Lipsia* & *Dresda*.

Marchia *Brandenburgensis* in *Veterem*, *Mediam*, *Vkeriam*, & *novam* divisa, ubi *Berlin*, *Franckfurt* ad Viadrum, *Custrin*, *Pomerania* cum Cassubia atque Insula *Rugia*, ubi *Stetin* & *Wolgast*. Anhalt, ubi *Dessau*, *Servesta* five Zerbst, *Bernburg*, *Cothen*.

Comitatus *Mansfeldt*, ubi *Eisleben*.

Circulus nonus est Saxoniæ Inferioris, ubi Principatus Brunswicensis, ubi Goslar, Hannover, Helmstadt, Wolfenbüttel: Luneburgum, ubi urbs Lüneburgh, Cell, Saxen Lauenburgh, Mechlenburgh ubi Wismar, Rostoch, Gustrau Swerin. Holsatia, ubi Kyel, Rensiburgh, Krempen, Gluckstad.

Ditmarsia ubi Meldorpo, Lunden.

Civitates liberæ Magdenburg, Halberstat, Hildesheim, Bremen, Lubeck, Hamburgh.

Cir-

Circulus decimus est Burgundiæ, ubi Dola & Vesontio sive Besanzon. Ad hunc Circulum olim referebantur Septendecim Provinciæ Belgii, omnibus notissimæ. Extra decem hos Circulos ad Germaniam pertinet Regnum Bohemiæ, Helvetia, Rhetia & Vallesia.

Bohemia, in decem quoque Circulos divisa, ubi Praga, in tres distincta civitates, in veterem, novam & parvam, Budweis, Pilsen, Tabor, Leuthmeritz, & Egra.

Ad Bohemiam pertinent Moravia, ubi Olmutz, Brin, Snain, & Silesia in XV. Principatus divisa, ubi Breslaw, Glogau, Lignitz, Schweinitz, & Lusatia Superior, ubi Bauzen & Gorlitz, inferior ubi Cotbus.

Helvetia sive Sweitzerlandt, divisa in XIII. pagos sive Cantones, Zurich, Bern, Lucern, Urii, Schwytz, Underwalde, Clariss, Basel, Fryburg, Soloturn, Schaf husen, Appenzel.

Rhetia, cujus Incolæ Grisones, die Graubunder, ubi Chur, Clavenna, & Vallis Tellina, sive Veltliin.

Valesia, sive Wallis, ubi Sedunum sive Sitten & Martinach.

Italia. *Italiam* naturæ situs ac Alpes ab aliis Regionibus dividunt, ut seclusa quasi undique novum aliquem Orbem, non minus soli genio quam moribus gentium constituat. Tellus supra cæteras ab omni antiquitate celebrata,

brata, & totus *Occidens* inde humanitatem suam cum Imperio accepit, & quanquam felicissima videatur Regio, plus tamen famę quam suæ dignitati debet. Montibus aspera ac nimio ac sterili æstu torrida: solum in plerisque locis adustum, segetes vel non patitur, vel rubigine adurit; Nec pascua magno numero felicia. Et nisi vicinarum Regionum fertilitas Italiæ subsidio veniret, suis ipsa alendis incolis vix sufficeret. Urbes eximiæ, quas antiquitas inprimis & majorum monumenta commendant. Ingens lapidum ac statuarum numerus & expressi Marmoribus Priscorum Romanorum vultus, tacitam spectantibus venerationem & horrorem incutiunt. Imprimis Roma post tot seculorum lapsus, antiquam in ruderibus Majestatem conservat, ut vel illius videndi studio, ex universo Occidente peregrini Italiam frequentent. Sed ædificia plerumque à cultu Germaniæ & Galliæ recedunt.

Fenestræ raro vitreæ, plerumque *Carbasus* aut inuncta oleo charta lumini obtenditur. Hospitia privata ut plurimum sordida & egena, quemadmodum Italorum genio conveniunt, ita peregrinos lautius vivere assuetos, haud rarò destituunt.

Incolæ. Itali in amorem atque Odium nimii: semel offensi implacabiliter irascuntur, nec ultionis animum nisi cum vita deponunt: Levi joco & innoxio sæpè verbulo offensi, quod

tristissimum, amicitiam simulant, & non aliâ arte impunius nocent, quam specie amicitiæ, ut multi ante se perisse intelligant, quam hostes noverint. *Nictus*, *Oculos*, *gestus*, (adeo non sola verba inter eos noxia sunt) in suspiciones & crimen detorquent, ut illis gentibus, quæ remissiori animo sunt & candidiore, periculosum sit in Italia versari. Hinc Regio *Latrociniis* infesta & peregrini inter hospites, non tutiùs quam inter apertos hostes versantur, nemo, nisi armis & viribus suis tutus & quanquam vim ipsorum prudentia vel animi magnitudine eludas, occultiores tamen fraudes, venena, Philtra, ac Sicarios, raro quibus illa destinantur effugiunt. Ibi hominis Vita exiguo pretio æstimatur, & in publico reperias, qui veluti ad id destinati accepto pretio, & pernici equo ad fugam instructi, parricidium, vel in medio templo, & ad Aras facere sustinent; tuto plerumque scelere, cum divisa in tot Principatus Regione, intra brevissimum tempus ex una in aliam ditionem, ubi inviolabiles sunt, pervenire possunt, sed non ea ubique Italię barbaries est.

Nam, modestius Veneti vivunt, ubi major virtuti, atque integritati honos habetur. Omnium pessimi *Longobardi* ac *Neapolitani* sunt, quos ipsa servitus, quam sub Hispanico sceptro agunt, asperat. Gens prudentiæ nomine celebris, & ad Imperium gerendum aptissimi

mi inter Gallorum levitatem, & Hispanorum fastum, medio temperamento, qui minimum casui & fortunæ, plurimum consilio tribuunt, nec aliter inter tot infensos Principes, ac mutuis distractos factionibus Italiæ pax conservari possit.

Divisio. Italia complectitur *Ducatus*, *Respublicas*, Statum *Ecclesiæ*, Regnum *Neapolitanum*.

Ducatus sunt *Mediolanensis*, complectens majorem partem *Lombardiæ*, ubi *Mediolanum*, *Pavia*, *Cremona*.

Ducatus *Mantuanus*, ubi *Mantua*, *Casal*, & Ducatus *Montferrat*.

Magnus *Ducatus* Hetruriæ sive *Toscana*, ubi *Florentia*, *Pisa*, *Livorno*, *Sena*, *Viterbo*, *Arezzo*.

Principatus P*edemontanus*, sive P*iemont*, spectant ad Ducem *Sabaudiæ*, ubi *Turino*, villa *Franca*, *Asti*, *Vercelli*, & *Marchionatus Saluzzo*.

Ducatus P*armæ* & P*lacentiæ*.

Ducatus *Vrbino*.

Ducatus *Modena*.

Respublicæ, Respubl. tres sunt.

Veneta, quæ complectitur Marcam *Trevisanam*, Longobardiæ partem, Forum *Iulii* sive *Friul*, & *Istriam*.

Urbes sunt Venetiæ, Padua, Verona, Brixia, Aquileja, Pola, & Palma.

Genuensis, Complectens Liguriam, ubi Genua, & Savano, Lucensis ubi Lucca.

Dominium *Ecclesiæ*. Sive Pontificis Romani, complectens Latium, sive Patrimonium Petri, ubi Roma. Ducatum Spoletanum, ubi Spoleto.

Marcam Anconitanam, ubi Ancona & Loretta.

Romandiolam, ubi Ariminum, Ravenna & Imola.

Ducatum Ferrariensem, ubi Ferrara.

Regnum Neapolitanum divisum in VII. provincias, quarum prima,

Terra di Lavoro, ubi Neapolis, sive Napoli, Capua, Caseta, Nola.

Principado, ubi Amalfi, Salerno, Noceræ.

Basilicata, ubi Potenza; Calabria, ubi Cozenza.

Otranto, ubi Otranto, sive Tarentum.

Apulia, nunc Puglia Piana, ubi Manfredonia, Ascoli. Abruzzo, ubi Beneventum, & Aquilia.

Insulæ ad Italiam. Insularum ad Italiam aliæ sunt Majores, aliæ Minores.

Majores sunt tres, Corsica, Sardinia, Sicilia.

Corsica sub Genuensium ditione minima ex majoribus tribus, Sylvestris, & magnam partem inculta, vino tamen bona est.

Incolæ. Corsi antiquam ferè retinent barbariem. Natura crudelissimi, ultionis avidissimi,

mi, adeo ut Itali proverbio dicant, Corso neque vivo neque mortuo fidendum esse.

Divisio. *Corsica* hodie in *quatuor* partes dividitur, in Latus *exterius*, sive Occidentale, in Latus *interius*, sive Orientale, in *Cismontanam*, & *Transmontanam*, quarum illa *Italiam*, hæc *Sardiniam* respicit. Civitas *Ajazzo*.

Sardinia. *Sardinia* dimidiâ sui parte montosa est & aspera versus *Septentrionem*: plana & campestris versus *Africam* sive Meridiem. Hinc *aër* fere *pestilens*, & quanquam fertilissima sit, peregrinos tamen pestilentiæ illi non assuetos interficit. *Plantam* producit, quæ comesta nervos adeo contrahit, ut specie ridentium homines enecentur, unde Risus sardonius.

Æstate rarò pluit, hinc hibernæ pluviæ per totum annum asservantur, cæterum *argenti* atque *auri* dives est.

Incolæ. *Sardi* robusto corpore sunt, *colore* ex vicina Africa *fusco*, laboribus dediti, & venationibus, & quod rarum in tanta barbarie maximè *hospitales*.

Divisio. *Dividitur* Insula in duas partes, in caput *Calaris*, sive Capo di Cagliari, & in caput Lugodori.

Metropolis est *Calaris*.

Sicilia. *Sicilia* Insula Maris Mediterranei maxima, & celeberrima: triangularem formam refert, & tribus *Promontoriis* insignis est.

Solum crebris ac æternis ignibus ſcatet, totaque Inſula cavernoſa, ſulphur ac bitumen affatim producens.

Æthna mons ab omni antiquitate horribilem in modum arſit, & vicinas ſæpe Regiones incomparabili damno afficit. Cæterum non alia toto orbe *fertilior* Regio: adeo quidem, ut *horreum* populi Romani & totius Italiæ penu fuerit, unde *Cicero* eam *urbis* Romæ *animam* appellavit; Abundat etiam optimo vino, *Saccari* quoque & *Serici* copia.

Incolæ. *Siculi* ingenio ſubtili & *amæno* ſunt, ſingulari *facundiâ*, & ferè in *Loquacitatem* degenerante. Animo *ſuſpicioſo* atque *invido*, unde illud *Invidiâ Siculi*. Multum Neapolitanis, quibus proximi, ſimiles.

Diviſio. *Sicilia* hodie dividitur in *tres* valles, in vallem *Demona*, quæ *Pelorum* Promontorium, vallem *Neeri*, quæ *Pachynum*, & *Mazaræ*, quæ *Lilybæum* ſpectant.

Metropolis *Panormum*, vel *Panormus*, nunc *Palermo*, ſedes Proregis: *Meſſana*, *Syracuſæ*, nunc *Saragoſa*; *Catana*, & memorabilis cæde Gallorum ſive Veſperis Siculis *Sperlinga*. In univerſum urbes ac oppida *centum & ſeptuaginta* complectitur. Minores ſunt *Elba* ſub Ducatu Florentino, ubi *Coſmopolis*. Mons *Chriſti* rupes potius, quam Inſula. *Iſchia* è regione Neapolis, *Capreæ* ſive Caprie infamis ſucceſſu Tiberii, *Lipara* perpetuis ignibus ſcatens.

Palma-

Dalmatia. E regione Italiæ, ſecus mare Hadriaticum, *Illyricum* jacet, regio vaſta, & in totum barbara.

Incolæ. Incolæ ſunt ex diverſis gentibus, ſed in univerſum *Sclavoni*.

Diviſio. Dividitur in IV. Provincias, *Sclavoniam, Croatiam, Boſniam & Dalmatiam*.

Sclavonia, ſive Windiſchlaut, inter Dravum ac Savum amnes ſita, ubi Gadiska, Copranitz, Zagrabria ſeu Sagrabiz. Croatia, ubi Siſac, & Wihitſch, Boſnia, ubi Jaitra, Vayboſenia & Arhy. Dalmatia, ubi Comitatus Jadera, ubi Zara, Sebenico, Spalato, & Reipublicæ nomine Inſignis Raguſa. Deinde Caſtellum Novum firmiſſimum Turcarum propugnaculum.

Hungaria. Hungaria ad utramque Danubii ripam amæniſſimè jacet, cœlo ſoloque beata, & fertiliſſimis in Europa Regionibus præferenda. Immenſa *boum* agmina in vicinas Regiones quotannis emittit.

Aëris tamen temperies, exteris præſertim adverſa, quod noctu nimio frigore inhorreſcat, media vero luce omnia comburat. Vix ulla regio magis metallorum ferax, & piſces ipſa copia ſimiles facit: ſunt etiam prꝑſtantiſſimæ Thermæ, & multa Naturæ miracula in ea reperiuntur.

Incolæ. Perpetua cum *Barbaris* bella Hungarorum nativam indolem multum ab origi-

ne ſua mutarunt. Vulgus prædæ avidum: Hinc intuta itinera, & nullo diſcrimine amicos atque hoſtes habent.

Equorum ſtudioſiſſimi, veſtes quoque atque arma ad pompam exigunt. Veſtitus illis Scytharum atque orientalium more: Togis & Tunicis delectantur, acinace ad latus appenſo. Nobiles excelſo animo, & pro tuenda majorum prærogativa acerrimi, ſed Germanos ſupra alias gentes odere, ſive bellum, quod vel inter ſe vel contra Turcas geſſere, æmulationem accendit, ſive ipſa Naturâ, quod & alibi fecit, Hungarorum & Germanorum naturam diſcrevit.

Diviſio. Dividitur Hungaria in duas partes, *Superiorem & inferiorem.* Comitatus in univerſum quinquaginta complectitur.

Superior, ubi Poſonium ſive Presburgh, Villeck, Varadin, Agria & quæ uno nomine civitates montanæ appellantur, quales ſunt Caſſovia, Tyrna, Tokay & aliæ.

Inferior, ubi Buda ſive Ofen, totius Regni metropolis, Alba Regalis, ſive Stulreiſſenburg, coronatione & ſepultura Regum olim inſignis, Strigonium ſive Graen, Alba Græca, ſive Belgradum, hodie Griecks-Weiſſenburgh, Veſprin, Siget, Komorra, Javarin, ſive Raab, Nieu Serin.

Tranſylvania. Tranſylvania, veteris Daciæ pars proxima Hungariæ, atque olim ejus Provin-

vincia: Regio perpetuis quasi Sylvis ac montibus instar Bohemiæ cincta, unde etiam Latinum nomen obtinuit. Germanis Siebenburgen à septem castris priscorum Hunnorum appellatur, solum Hungarico simile.

Incolæ. *Incolæ* trium sunt generum, ex *Hungaris, Saxonibus, & Siculis.*

Hungari eosdem mores sequuntur cum reliquis regni Hungariæ incolis.

Saxones autem Germani, sive *Westphali* sunt, non à *Carolo* magno eò in Coloniam missi, vel miraculo traducti, (ut vulgò fabulantur) sed vel *Indigenæ*, vel antiquissimi saltem *Daciæ* habitatores, cum Ammianus Marcellinus jam suo tempore circa annum Christi 300. id est 500. ante Caroli Magni Imperium, annis habitasse in Dacia, inter alias Germanicæ originis gentes, *Ostphalos* meminerit, à quibus respectu situs *Westphali* distinguuntur.

Siculi, quanquam & ipsi Hungarorum pars, propius tamen ad antiquorum Hunnorum mores & instituta accedunt. Inter eos nulla distinctio, omnes æquè nobiles habentur, quamquam paulatim antiqua illa simplicitas, admixtione Hungarorum corrumpatur.

Divisio. Urbes præcipuæ sunt, quæ *Saxoniæ* appellantur, *Cibinium*, sive Hermanstadt, Caput Provinciæ, *Claudiopolis* sive *Colosvar*, vel Clausenburgh, *Corona* sive Parssovia, vel *Croonstaet.* Alba-julia, sive Waisenburg, & se-

septem *Siculorum* Sedes, ex quibus *Kyldi*, Orbay, *Sepsi*, &c.

Polonia. Post Hungariam *Polonia* sequitur. Regio ingens, sed tota ferè *campestris & plana*, unde etiam nomen obtinuit. Nam *Pole* planitiem *Scythæ* appellant. Acres ibi Hyemes, sed *segetes* in immensum profert, adeo frumenti ferax, ut totus ferè Septentrio inde sibi alimenta quærat. Amplissimæ *sylvæ & apum* in arboribus innumera agmina; Hinc *mellis* atque etiam *ceræ* copia. Domus pleræque ex *ligno*, vili structura, ex lapide rara ædificia: per *campos* atque *sylvas* plerumque dispersi habitant.

Incolæ. *Incolæ* duorum generum sunt. *Poloni & Lituani*, lingua moribusque diversi. *Polonis* sævius sub aspero cœlo ingenium, & nisi externis moribus excolantur, parum ad seculi nostri humanitatem vulgò accedunt. *Hospitia* vacua commeantibus præbentur, lectum & alimenta secum ferant necesse, nisi quis *famem & frigus* in nudis illis parietibus experiri velit: sed *Nobilitas* generosa atque magnifica, & libertatis suæ contra dominationem aliorum *tenax*. In se privatis plerunque dissidiis grassantur, nulla penes *Regem* coërcendi tantam licentiam potestate.

Lituani Polonis *ferociores*, vastissimas habitant *sylvas & paludes*, à mari Baltico usque ad Pontum Euxinum protensi. Hinc *æstate*

ferè

ferè inaccessi, donec hyems glacie constratam Regionem perviam faciat. Multa inter eos gentilium morum vestigia supersunt, maximè in rusticâ gente, quæ perpetua servitute à Nobilibus pressa, ferè instar brutorum agit. Qui aliquid capitale commisit, se ipsum suspendio afficere jubebatur. Cædes pauculis nummis expiata. Hæc superioribus annis: nunc paulatim in desuetudinem abeunt. Ex hac servili gente nascuntur famosi illi Turcarum, Russorum & Polonorum prædones, quos Cosackos appellant. Quippe ex Polonis, Lituanis, atque Russis qui vel capitale facinus admisere, vel nimia servitute à Dominis oppressi sunt, in patentes, vastosque ad Borysthenem campos se recipiunt, tuti ab aliorum invasione, & omnium circumcirca gentium terror. Ducem illi ex suo ordine præstantissimum creant, qui pleno in eos Imperio utitur. Ita perpetui in armis, ex prædâ undique congesta vivunt. Venalis exercitus, qui raro Moscovitas vel Polonos patitur esse quietos. Interdum conjuncti Tartaris Precopensibus, quod nuper factum, ingentem Regionibus vastitatem inferunt, barbarie plusquam ferina in quosvis utentes. Ingens eorum numerus, & ad centum millia equitum armis exercitatorum in aciem producunt. Turcæ non alios vehementius exhorrescunt. Quippe paucæ Cosackorum Scaphæ audent pontum Euxinum deprædari, & ipsi urbi Con-
 stanti-

ſtantinopolitanæ terrorem ex propinquo inferre.

Diviſio. Polonia complectitur ipſam Poloniam, & Lituaniam. Polonia dividitur in *majorem & minorem.*

In *Majore* ſunt *Poſna,* Guezna, *Caliſia,* ſive *Calo, & Warſovia*, ubi Comitia Regni celebrantur.

In *Minore, Cracovia, & Lublin.*

Lituania. Magnus *Ducatus* complectitur ſub ſe *Raßiam* nigram ſive *minorem*, in qua urbes *Vilna* ſive die *Wilde: Novogard & Kiovia* ad Boryſthenem. Huc pertinet *Podolia*, ubi *Camieniez*, Podolsky. *Volhinia* ubi *Luizko. Polockzkia*, ubi *Bielzlo. Samogitia* nullo oppido aut caſtello inſignis. Referuntur etiam ad Poloniæ Regnum *Livonia:* ſed eam *Sueci tenent.* Et *Prußia*, quæ in *Ducalem, & Regalem* dividitur. *Ducalis* ad Marchionem *Brandeburgicum* ſpectat, ubi *Konigisbergen.* Regia vero *Polonorum* eſt, in qua *Dantiſcum,* ſive *Dantzich, Elbinga, & Thorunium*, ſive *Thoren.*

Tria *Regna* Septentrionalia, *Dania, Norvegia, Suecia.* Hæ Regiones olim *vagina* gentium appellatæ, *tribus* hodie diſtinguitur Regnis, *Daniæ, Norvegiæ, Sueciæ.*

Dania. Regnum Daniæ magnam partem maritimas *Regiones, & Inſulas* complectitur. Regio maxime *paſcua eſt, & fertilis,* unde ma-

magnam armentorum copiam maxime in vicinam Germaniam emittit.

Incolæ. *Incolæ* parum à *Suedis & Norvegis* lingua differunt, moribus propius ob viciniam ad *Germanos* accedunt. Perpetuas cum *Suedis* simultates exercent, sive ob frequentia superioribus annis bella, sive peculiari naturæ ingenio.

Divisio. Dividitur in *Iuthlandiam, Fioniam, Sialandiam & Scandiam.*

Iutlandia est vel *septentrionalis*, ubi Ripa, sive *Ripen, Arhusen, Alborg, & Wyborg; Australis*, sive Suder-Jutlandt. Olim *Nord-Albingia*, in qua Ducatus *Sleswyck, & Holstein*. Urbes, *Sleswyck, Kyel, Rensborg, Segeberg, Krempe, Gluckstadt.*

Huc pertinent *Ditmarsia*, ubi *Meldorf, & Londen, & Stormaria*, ubi *Hamborgh.*

Fionia sive *Funen*, ubi *Ottonia*, sive *Odemsee, Nyborgh, & Middelfar.* Ad *Fioniam* pertinent *nonaginta* parvæ Insulæ, quarum præcipuæ *Lalandt*, sive *Langelandt, Falstria*, sive *Falster, & Femeren.*

Sialandia, sive Selandia, ubi Metropolis Regni *Coppenhagen*, cui adjacet insula *Amacher* Batavorum colonia, dein *Elsenoer* cum Castello *Cronenborgh, Roskildia* Regum Priscorum sepultura insignis. *Scandia* sive *Schonen*, sub qua *Hallandia, & Bleking*: Urbes *Lundon, & Malmuyen* aliis *Elbogen.* Huc perti-

pertinebant Insulæ *Bornholm*, & *Gotlandt*, quas Sueci Danis eripuerunt.

Norvegia. Vastum *Norvegiæ* Regnum est, sed *Saxosum*, *Sylvestre*, *Sterile*, ac *rarò* habitatum.

Nullibi commodiora navibus struendis *ligna* reperiuntur. *Piscatura* quoque uberrima, atque hæ Norvegorum opes. Atroces *hyemes* apud illos, & plerumque incautis infestæ. Torpens *aër* nullo penè *sensu* vitalia occupat, & emorientibus membris decidunt contactæ frigore partes, antequam sentias: sed incolis promptum contra eam perniciem remedium: *Nivibus* & acerrimo *frigore* morientem *carnem* perfricant, donec *doloris* sensus revertatur.

Incolæ. Rari per *Norvegiam* incolæ. *Venationibus* & *piscatura* vitam tolerant.

Gens inops & *veneficiis* infamis. Venales habere *ventos* fama est, sed id pro fabuloso habetur: cætera *probi*, sine *fuco*, exterorum amantes, *inediæ* & *laboris* patientissimi.

Divisio. Dividitur in *quinque* provincias, singulis *Castellis* insignes.

Babusen, ubi *Christiania* sive Christianopolis, Christian-stadt. *Aggerhusen* ubi *Ansloe*, *Friedericк-stadt*, *Saltzburgh*, *Hammaria* Magna & parva.

Bergerhusen, ubi urbs *Bergen*, totius Norvegiæ Metropolis, & Emporium celeberrimum, & *Stafanger*. *Ni-*

Nidrosia, sive *Drontheim*, cum urbe cognomine, quæ priscorum Norvegiæ Regum sedes fuit, & splendidissimo per universum Septentrionem templo olim insignis.

Wardhusen, ultimum totius Europæ oppidum in extremâ *Lappiâ* situm, cujus Præfectus totam *Finmarchiam*, & Septentrionalem *Oceanum* gubernat.

Suedia. Omnium Septentrionalium Regnorum amplissimum, & fertilissimum *Suedia est*. Ingentes in eâ lacus, crebra flumina, montes, *Sylvæ*. Sed Australior pars bonitate soli cæteras longè superat; Septentrionalia frumento carent. Sed pabulo, feris præstantissimarum pellium & piscibus abundat. *Metallorum* feracissima, & *ferri* ac inprimis *cupri* inexhaustæ venæ, sed pro magnitudine Regionis rarius habitatur.

Incolæ. Suedi bello aptissimi, & vix alia Regio meliorem militem producit, quod expeditiones ipsorum hodiernæ satis comprobant Miles & Equitatu, & Peditatu, & navali quoque certamine præstans.

Divisio. Dividitur regnum Sueciæ in Gothiam, Sueciam ipsam, & Finlandiam. Gothia est vel Occidentalis, ubi Scara, & Gothenborgh, vel Orientalis ubi Lincopen: vel Australis, quę & Smalant dicitur, ubi Kalmar & Wexo.

Suecia, ubi Provinciæ; Uplandia, in qua Upsal. Helsingia; Dalecarlia: Vermelandia: Gestri-

Gestricia : Middelpadia-Jemplia, Angermannia. Metropolis & Regia sedes Stocholm. Boddia, nullâ urbe vel oppido insignis. *Lapponia,* regio vasta, inculta, barbara, cujus Incolæ per sylvas & speluncas in tuguriis habitant, de quibus alias mira & plura.

Finlandia, ubi *Abo & Wyborgh.*

Russia, sive Moscovia. Russia ad Caspium usque mare extensa, immani terrarum tractu inter *Polonos & Tartaros* jacet. Regio frigida, & longa hieme damnata, sed æstates calidissimæ sunt. Perpetuæ *sylvæ* ac frequentes *paludes,* Vastissimam Regionem undique obsident. Ceræ, mellis, & pretiosarum pellium ingens proventus. Ædificia omnia ex ligno. Urbes, quanquam magnæ, incultæ tamen & Barbaræ.

Incolæ. Russi ad omnem servitutem nati, libertatem nullo modo ferre possunt. *Oculos* habent *cæsios,* prolixam *barbam,* brevia *crura,* ventrem *protensum,* ocreis utuntur rubeis, *tunicâ* oblongâ *cærulei* coloris, vel *albâ* sine *plicis.* Gens omnium literarum rudis, adeo ut pauci vulgares preces, *Pater noster,* memoria teneant, sed astutissimi, & ad fallendos incautos exercitatissimi. Ferunt uxores amorem maritorum ex verberibus stulta opinione æstimare, & lepida eam in rem fabula refertur. Sed hoc ita se non habere, qui gentem perlustrarunt, prodidere. Nemini licet Regno excede-

re

re absque permissu Principis, quem Russi non secus ac DEUM aliquem terrestrem colunt. Nec majorem illo in Orbe Dominum esse arbitrantur. Perpetuis contra *Tartaros* bellis exercentur, *equitatu* valent, *peditatus* ipsis vel nullus vel exigui roboris, sed magno impetu hostem adoriuntur, & ubi semel pavere inceperunt, fuga ipsorum sisti non potest, adeo ut insequentibus hostibus, ne resistere amplius ausint, & ita se victoribus dedant, ut nec mortem deprecentur. Religio *Christiana* ipsis quidem, sed secundum *Græcorum* opiniones innumeris & barbaris superstitionibus fæda, *Pontificem* Romanum imprimis execrantur.

Divisio. *Provinciæ* à singulis denominatæ urbibus sunt; *Moscovia*, Imperii caput & Magni Ducis sedes: Wolodimeria, sive Wolodimir: *Novogardia*, sive Novoghrod: *Smolensko: Pleskovia: Tweria: Reran: Susdalia:* Tum provinciæ Septentrionales; *Permia: Petzora: Opdora: Condora; & Dwina.* Duo item Tartarorum Regna, *Casan & Astracan:* Emporia celeberrima sunt S. *Nicolai, & Michaelis* Archangeli.

Flumina sunt *Wolga*, sive *Rha*, Tartaris *Edel*, quod flumen immani ostio in Mare *Caspium* sese evolvit: *Borysthenes* sive *Dniper*.

Tartaria Præcopensis, inter *Tanaim & Borysthenem*. Tartaria *Præcopensis* sive *Crimensis* jacet in Pontum Euxinum extensa,

Regio

Regio *campestris, & pascua*, sed nullis vel paucis oppidis exculta.

Incolæ. Incolæ *Tartari* sunt qui ex Schytiâ Asiaticâ in hanc Europæ partem ante tria circiter secula venere. Hi *Scytharum* mores in totum retinent; pro domibus *plaustra* habent; perpetuo vagi. Penè omnes *mediocris* sunt staturæ, barba rasa, in *vertice capitis* more Clericorum rasi, Victus ex pecore, sed imprimis *lacte* acido & *equinâ* carne delectantur. In bello admirabili celeritate utuntur, vix ullus militum est quin *tres quatuorve* equos secum ducat, ut nocte dieque summa celeritate incitent & incedentes fessos cum intactis permutent; Hostem sagittarum incredibili multitudine obruunt, & non minus in fugâ metuendi sunt, quam ex adverso pugnantes. *Poloniam* imprimis & *Moscoviam* creberrimè infestant, illarumque gentium *pavor*, atque *flagellum* sunt.

Turcia. Tellus omnium optima, & olim totius orbis celeberrima, sed jam propter *Turcicam* barbariem minus exculta. Rari Agricolæ, raræ segetes, pascua tamen & armenta, magnarum urbium cadavera, confractæ in montibus arces, horrendæ solitudines, ostendunt, & quam culta olim fuerit & quantam cladem Scythica illa tempestas attulerit.

Incolæ. Hanc Regionem duplex imprimis gens hodie tenet, *Græci,* Indigenæ, atque advenæ

næ *Turcæ*. Hinc illa morum diversitas, nihil *Græcis* abjectius, nihil insolentius *Turcis*. Illi servire, hi dominari & insultare nati. Adeo degenerant ab antiqua illa Generositate *Græci*, ut nihil illis magis barbarum, rude, leve, omnibus denique vitiis corruptum reperiri queat. Sed Turcarum potissima habenda ratio, quæ gens ex intima progressa Scythia, primo universam Asiam, mox magnam etiam Europæ partem, horribili victoriarum cursu, pervasit. *Pastores* olim erant inopes, contempti, alieno dominio subjecti, armenta in patentibus sequebantur campis, & in plaustris ab uno in aliū locū perpetuo migrabant. Postea à *Muchammede* Persarum Rege in Persiam evocati, ab eo tempore arma nunquam deposuerunt, sed evocatis suorum pluribus, primo Persiam, mox Asiam universam Imperio suo subjecerunt, & quanquam aliquoties à Tartaris fracti, iterum violentius emersere, donec ante duo secula vastum illud Imperium in *Asia*, *Europa* & *Africa* constituerent. Turcæ igitur ferum hominum genus, ad urbium & scientiarum perniciem nati; Rustica illis ac demissa indoles. Vilia ædificia, & nihil minus quam splendorem in ædibus curant. Scythicam suam barbariem, ne in cultissimis quidem Regionibus deponunt. Itaque nullum apud eos vitium exulat, projecti in omnem libidinem, sola erga pauperes benignitas ipsorum commendatur, à

qua

qua ne *Christianos* quidem, quos tamen canes appellant, excludunt. Sed pauci vera origine Turcæ, plerique ex diversissimis gentibus in unam Religionem & Principis Imperium coaluerunt. Breves ipsis arcus, inflectique difficiles, cæterum majore impetu tela expellunt, quam, quo machinæ nostræ plumbeas glandes ejiciunt. *Chalybem* tres digitos altum à Turcicâ sagittâ pertransiri certum est. Sed hæc ars, quoniam non nisi multo labore comparatur, in totum penè apud *Turcas*, magno nostro beneficio exstincta est, ut in tam vasto imperio vix duo tresve supersint: cæteris laxi arcus, & armatis contemptibiles, omnis ipsorum militia in Prætorianis, quos *Janizeros* vocant, consistit, & hi frequentibus assueti seditionibus audent etiam violentas Imperatori suo manus inferre, ac intra hos triginta annos, duo ab ipsis, *Osman*, & nuper *Ibrahim* strangulati. Provinciæ plerunque à *servis* administrantur. Pueri ex *Illyrico*, *Circassiâ* vel *Dalmatiâ* capti per Turcarum Gymnasia, in armis & Religione exercentur: qui adultiores facti maximis admoventur Regni ministeriis, adeo ut ipsorum affinitatem ne ipse quidem Imperator refugiat, hi generi Imperatoris, hi summi *consiliarii*, hi *Bassæ*, & maximorum Regnorum Præsides.

Divisio. Complectitur *Romaniam* sive *Romaniam*, quæ vetus *Thracia*, ubi Metropolis & sedes

ſedes totius Imperii, *Iſtambol* ſive *Conſtantinopolis*. Hæc urbs à Pauſaniâ Spartanorum Rege condita, à *Conſtantino* poſtmodum gloria opibuſque aucta atque renovata, & à nomine ſuo *Conſtantinopolis* dicta, circiter 1150. annos Sacratiſſimi Imperii ſedes totiuſque Orientis caput fuit. Nunc tamen fœdiſſimæ atque impuriſſimæ Turcarum gentis Imperio ſubjacet. Inde *Adrina* ſive *Adrianopolis*, *Nicopopolis* ſive *Varna*, & *Philippopolis*.

Græcia, cujus partes, *Macedonia*, *Albania*, *Livadia*, *Morea*, *Macedonia*, ubi *Salonichi* olim Theſſalonica, *Durazo* olim Dyrrachium.

Albania, ubi *Croja* & *Scodra*. Livadia, olim *Achaja*, ubi *Setines*, olim *Athenæ*, *Scibes*, olim *Thebæ*.

Morea, olim *Poloponneſus*, ubi *Miſitra*, olim Sparta, *Malvaſia*, *Neapoli*, *Modon*, Sinus *Golfo* di *Lepanto*, olim Sinus *Corinthiacus*.

Inſulæ. Inſulæ circa Græciam quam plurimæ ſunt; præcipuæ, *Mitylene* ſive *Metellino*, olim *Lesbos*, *Stalimene* olim Lemnos, *Samo*, *Scio*, olim *Eubœa*; & omnium maxima *Candia*, olim Creta; cujus urbes *Candia*, *Retimo*, *Sittia* & *Canea*; Zanthe, ſive Zazinthus, *Cefalonia*; *Corfu* olim Corcyra; *Maltha* olim Melita, & ad Myricum in Mari Adriatico complures, ex quibus præcipuæ *Laguſta*, *Curſola*, *Leßina*, *Arbæ*, Phegia, Chenſo, & innumeræ

numeræ aliæ plcræque steriles, asperæ, & saxosæ.

Finis Europæ.

ASIA.

Summa *Asiæ* longitudo inter *Hellespontum* & *Maleteam* est milliarium Germanicorum 1200. Latitudo ab *Aden* ad Promontorium *Tabyn* milliarium 1220. Regio inter cultiores totius orbis, melior Africa, sed cum Europa haudquaquam comparanda. Universa dividitur in quinque magna Imperia *Turciam, Persiam, Indiam, Sinam & Tartariam.*

Turcia Asiatica. Turcia Asiatica complectitur *Asiam* minorem, quæ hodie appellatur *Natolia, Armeniam, Mesopotamiam*, hodie *Chezira*, id est Insula, *Syriam* hodie *Scham: Arabiam & Palæstinam*: Regiones illæ olim inter cultiores Asiæ fuerunt, hodie parem cum reliqua Turcia barbariem patiuntur & vastitatem.

Innumeræ olim urbes, hodie non nisi rudera, ac ruinæ conspiciuntur: supersunt tamen velut ex magno naufragio, *Pursia*, hodie *Prusa*, olim prima Imperatorum Turcicorum Regia sedes; *Ephesus, Smyrna, Amasia, Iconium* hodie *Goma*, Sultanorum *Aladimorum* sedes;

ſedes; Sebaſtia, hodie Sivas: Hæma olim Tarſus in Cilicia, quæ hodie Caramannia appellatur. In univerſa autem Turcia Aſiatica ſex eminent urbes, toto Orbe propter Mercaturam celeberrimæ.

Prima omnium *Haleb* ſive Aleppo.

Altera *Damaſcus*.

Tertia *Antiochia*, nunc ruinis fœda.

Muſul, quæ priſca Ninive ad fluvium Tigrim, & totius Aſiæ ac Saracenorum omnium *Metropolis* atque caput *Bagdad*, ad Fluvium *Tigrim* in ripa Perſica, haud procul à ruinis priſcæ *Babylonis*, exſtructa à Calipha Sarracenorum Abujaphar eo ferè in loco, ubi olim *Seleucia* ſita fuit. Hæc urbs perpetuum belli inter Turcas & Perſas præmium fuit, & de ea occupanda tanto ſtudio utraque gens certat, quaſi Imperium Aſiæ penes eum eſſet, qui illâ potitur. Fuit enim ſedes Caliphæ ſive ſummi Pontificis Mahumedanorum, qui ſolus jus ac poteſtatem habet *coronandi* ac *declarandi Imperatorem* fidelium, quem ipſi vocant *Emirelmu, Menina*, ex quo vocabulo natum eſt monſtroſum illud Admiralii Murmelii, quod occurrit frequenter in hiſtoriis Chriſtianorum. Hæc urbs *Bagdad* corruptè ab Europæis vocatur *Beldach* vel etiam *Babylon*, obſeſſa fuit à Turcis & etiam expugnata A. 1629. quæ obſidio tres continuos duravit annos, & totius Aſiæ viribus vel oppugnata fuit vel defenſa. Impera-

perator Turcarum 1300. hominum millia in castris suis habuit, 300. millia in oppugnatione perierunt, tandem proditione illa potitus fuit, eaque quotidianis Persarum expeditionibus iterum reposcitur. Recuperavit Sha *Sefi* iterumque amisit.

In *Arabia* duæ imprimis urbes sunt magni nominis, nimirum *Mecca*, quæ sedes prima est Religionis Mahumedanæ & ad quam ex universa Asia & Africa peregrinationes suscipiuntur ab illis, qui singularem quandam Sanctitatem affectant. Non quod ibi sepultus sit magnus P*seudo*-propheta *Mahomed*, quemadmodum Europæi fabulantur, multo minus, quod corpus ejus vi magnetica in aëre & in cista ferrea pendeat, sed quod ibi *templum* vetustissimum, & in eo lapis *niger*, quem *Caabam* vocant, & qui summa quadam religione ab illis colitur. Altera urbs est *Medinatalnabi*, id est civitas Prophetæ, in qua *Mahomed* sepultus, ideo illa quoque sanctitatis ergo frequentatur. Sed qui sepulchrum Pseudoprophetæ inspiciunt, illi se ipsos excæcant, existimantes nullam mortalem rem imposterum dignam esse ab ipsis conspici, postquam aspexerint sepulchrum Prophetæ sui.

In Palæstina eminet *Hierusalem* communis Christianorum in Oriente *Metropolis*, qui ab omni parte confluunt ad spectandum sepulchrum Christi. Hæc urbs à *Turcis* appellatur *Kodsch*,

Kodsch, id est Sanctitas: Ab Arabibus, qui hodie inhabitant appellatur non Jerusalem, sed *Bait-el-mukaddes*, id est *domus sanctificata*. Est hodieque magna urbs, sed *vilissimè* exstructa.

Fuerunt etiam in hac Asiæ parte urbes olim celebres duæ. *Cupha*, olim sedes Calipharum, urbs ingens in Arabiâ deserta, haud procul ab Euphrate flumine sita.

Et altera *Basora* sive *Basra* in ripa Persica, sed utraque hodie destructa est, inprimis tamen *Cupha*, cujus vix ruinæ aut vestigia supersunt. *Basora* hodie alio in loco instaurata est, & ab omnibus illis frequentatur, qui per Sinum *Persicum* in regnum *Ormus*, atque in *Indiam* Orientalem navigant.

Persia sive Imperium *Sophorum*. Tigris & Euphrates à Turcis Asiaticis in Occidente *Indus*, ab Oriente *Oxus* & mare Caspium, hodie mare *Colsum*, à Septentrione, à Meridie Sinus *Persicus*, Imperium *Sophorum* terminant. Iidem olim limites antiqui Persarum Imperii fuerunt. Solum ad mare *Caspium*, & Sinum *Persicum* fertile, ac crebris fluminibus irriguum: interiora perpetuis *caloribus* adusta, sabulosa, sterilia ac deserta sunt. Non per universam Asiam majus desertum occurrit, quam quod per mediam *Persiam* usque ad *Indos* extenditur. Commune illud vitium per interiorem regionem obtinet, ingens *aquarum*

penuria, cætera omnia more Orientalium, *hospitia*, peregrinandi ratio.

Incolæ. *Persarum* hodie mores longè cæteris Orientalibus cultiores sunt. Nihil iis tota *Asiâ* humanius, & à *Turcicâ & Scythicâ* barbarie longè absunt. Apud eos demum virtuti & humanitati locus est, ut cultissimis gentibus vel præferri, vel saltem conferri queant. Imprimis *vestitu* magnifico delectantur, sed in voluptates nimium quantum profusi sunt. Ingens ac inexpiabile inter eos ac *Turcas* odium est, atque hinc æternum bellum. Diversa Sacra in causa sunt, & quanquam utrique Mahumedem colant, diversas tamen sectas sequuntur. Insigne ipsorum *Tiara* coloris rubri est, duodecim *tæniis* ornata, unde à Turcis *rubra* capita vocantur.

Divisio. Tota *Persia* in has majores partes dividitur, in *Crack*, *Aderbigham*, *Schirvam*, *Kilan*, *Corasan*, *Cusistan*, *Farsi*, *Kermon & Sigistan*.

Crack duplex est, *Arabica*, in qua sita est urbs *Bagdad*; & *Persica* sive *Aghemica*, ubi est Metropolis totius Imperii Isfahan. Hæc urbs in plano posita, montium aspectu 3. aut 4. leucarum spatio fruitur, ab uno enim latere, ad Noti & Africi flatum, monte *Demavent*, versus Masanderan, Beilaci, & Periam circundata quinque milliarium Germanicorum ambitu civitas integra cum suburbiis. Alluitur ad Afri-

Africum & Notum amplo flumine *Senderad* ex collibus *Demavend* diversis manante rivulis. Hujus urbis mœnia sunt duntaxat terrea, infra sex cubitorum, supra in apice unius densitate, lunatis propugnaculis, lapidibus *sole* tostis decorata. Fossæ ruinam minantur, sic ut singulis anni temporibus siccis pedibus vadari possint. Bis à *Tamerlano*, tertio *Reschid*, à Chotra, quod civium & ædificiorum mirum in modum inopem illam reddidit. Verum sub Schach *Ismaele*, hujus nominis primi, & Schach *Abbasi* Imperio primum vigorem resumpsit, sedes magni Sophi sive Imperatoris Persarum facta. Inde *Iesd*, *Kom*, *Kazvin*, sedes aliquandiu Regis Persiæ; *Hamadan*, *Hulvan & Rey*.

Aderbighan ubi *Tabriz*, vulgo *Tauris* antiqua, Regum Persiæ sedes, & urbs longè famosissima: deinde *Ardevyl*, ex qua urbe originem ducunt Imperatores Sophiani.

Schirvan, veteris *Mediæ* præcipua pars, in qua Metropolis *Schamachi*, vulgò corruptè Summachia, *Bakuie* porta celebris, unde mare Caspium etiam appellatur mare de *Baku*, *Derbent* sive *Temir* capi, sive *Babel-Abuab*, id est porta portarum, & porta ferrea. Hæc urbs claustrum totius Persiæ, versus Septentrionem inexpugnabile est, quam natura opposuit tot barbaris in Septentrione gentibus, ne alia via, nisi per hanc portam ullo modo in

Persiam possint irrumpere. Perpetui enim montes atque horrendæ Sylvæ inter Pontum *Euxinum* & Mare *Caspium* jacent, vix via dimidii milliaris ad *Derbent* datur, per quam transiri in alterutram regionem possit. Illa via urbe Derbent ac portis ac repagulis ferreis obstructa est, ut non nisi bona cum gratia civium ullæ copiæ penetrare possint.

Kilan ubi *Serabad, Sescht & Kesker*. Chorasan, maxima totius Persiæ Regio, cujus Metropolis *Meschęd*, & in qua urbe sepulchra Sophorum sunt, deinde *Thus*, *Tabar*, *Herad*, *Marwo*, *Nisabur*, *Mazandaran*.

Cusistrn; Prisca *Susiana* in qua Metropolis *Achvar*, quæ sunt antiquorum *Susæ*. Nam *Achvar* lingua Persica idem quod Susæ.

Farsi, vetus *Persia* propriè sic dicta, metropolis *Schiraz* urbs opulentissima, & amænissima, ad fluvium *Bendimor* sita, à qua haud longè absunt ruinæ *Persepolis* ab Alexandro Magno destructæ; deinde *Lay* urbs, quæ proprium olim Regem habuit, Mercatura celebris.

Kirman, vetus *Caramania* est, metropolis *Schirtzan*.

Segistan, inter maximas Orientalis Persiæ Provincias, in qua metropolis *Segistan*, deinde *Boscht & Tarang*, sive *Sernich*. Ad Austrum hujus Provinciæ in Insula *Gibun* sita est urbs *Harmuz* caput Regni; *Armuz* mercatura im-

imprimis margaritarum ditissima, quam ante aliquot annos Angli penitus destruxerunt. Sunt ad Orientem aliæ quædam Provinciæ, quæ aliquando sub Imperio Regum Persiæ fuerunt, interdum autem proprios Dominos habuerunt. Illæ communi nomine vocantur *Vsbeck & Nawarenacher*, id est regiones trans fluvium *Oxum*, ad quas pertinent ingentes Regiones. Urbes præcipuæ sunt *Balch* regia magni Imperatoris Usbeck, *Kandahar*, *Buccara* Avicennæ, Medici & Philosophi clarissimi Patria; *Samacand*, patria Tamerlanis, Tartarorum Imperatoris, & *Keskar*, unde præstantissimum ad nos defertur Rhabarbarum.

Regiones inter mare Caspium & Pontum Euxinum sunt, *Meugrelia*, olim *Iberia*, ubi urbs Fasso olim Phasis; Kirkassia, ubi urbs *Terkus*. Dagestan, ubi *Tarku*, Gurgestan olim *Georgia* ubi *Tiflis*.

Montes. Montes omnium tota Asia altissimi nomine *Elburs*, & *Agri* olim Caucasus, in Sacrâ Scripturâ *Ararat*, ubi Arca Noë substitit. Hæ Regiones inter Mare *Caspium* & Pontum *Euxinum*, à variis & parvis gentibus, sed bellicosis habitantur: quarum quædam Christiani sunt, ut *Armenii*, *Megrelii*, *Gurgestani*, *Kircassii*.

Gentiles alii, ut *Dagestani*.

Mahumedani nonnulli.

Regiones illę in universum fœdę atque hor-

rendæ aſpectu, latrocinio infames & inexpugnabiles ſunt.

India. Quicquid inter Sinam & Perſiam Terrarum reſtat, *India* appellatur, diviſa in complura regna. Solum plerumque fertile, Regio mercatura dives, atque hinc tantæ in univerſum orbem opes petuntur.

Incolæ. Incolæ magnam partem adhuc gentiles ſunt, Dæmones colunt, & multis in locis Veterem Pythagoræorum ſuperſtitionem ſequuntur: Animam de corpore in corpus tranſmigrare credunt, atque hinc *bruta* animantia ipſis in honore, *carnibus* abſtinent, ac conjugia boum vaccarumque ingenti magnificentia celebrant. *Brachmanes* ipſorum Sacerdotes ac Religioſi ſunt. Defuncti uxor, niſi perpetuam infamiam contrahere malit, ſeſe ſimul vivam comburit.

Diviſio. Regna præcipua à ſingulis urbibus denominata ſunt, *Siam, Pegu, Malacca, Bengala, Grixa, Norſinga, Calecut, Goa, Decan, Guſurratte* ſive *Cambaja.*

Reliquæ regiones, quæ immenſo tractu inter *Gangen* fluvium, hodie *Pangab*, & fluvium *Indum* jacent, *Indoſtam* appellantur, ſive Regnum magni *Mogol*, qui ex potentiſſimis totius Aſiæ regibus eſt: *Mogoles* origine Tartari ſunt. Nam *Babur* ex poſteris Tamerlanis Mawaranachera, ſive Regionibus trans Oxum ab *Vſbekiis* ejectus *Indiam* occupavit circa annum

num Christi 1525. cujus posteri adhuc appellantur Magni *Mogoles*. Urbes præcipuæ sunt *Lalor*, *Citor*, *Delli* & *Agro* Imperator. sedes.

Sina. A *Tartariâ* longo 500. milliarium muro Sina separatur, maximum in universa Asia Regnum, omni deliciarum genere plenum & adeo excultum, ut nihil toto orbe ei simile reperiatur. *Vrbes* ingentes & admirabili artificio structæ, viæ magnificæ, montes, valles, campi, omnia exculta, ut in tanto terrarum tractu, vix sterilis, aut inculti soli vestigium restet.

Incolæ. Omnes *Shinenses* laboribus quisque suis exercentur, otium ibi plusquam Spartana severitate damnatum. Statura *Tartaros* superant, facie illis similes, *barbam* non alunt, sed aliquot tantum pilos; Ungues manus sinistræ prolixos alunt, dextræ decurtant. Vestes illis ex *Serico*, ingenio omnes Asiaticos superant. *Typographiam* & artem *tormentariam*, recens apud nos inventum, à multis retro Seculis habuere. *Religio* ipsis vel *nulla* vel *arbitraria*. atque hoc solum mirandum, quod gens cætera tam prudens ac erudita nihil de numinis cultu, vel animarum post hanc vitam statu, sive invenerit ipsa, sive tradita ab aliis acceperit. In scribendo non literis utuntur, sed *tortuosis* Characteribus, quibus non singula verba, sed *integras* Sententias exprimunt, atque hæc summa ipsorum eruditio, *characteres*

illos noſſe. Eſt enim immenſi laboris, tot figurarum millia levi interdum ductu vel lineola diſcriminata mente concipere, in eo ſtudio ætatem pertinaciſſimè traducunt; Ac ubi in *Academiis* gradum doctrinæ conſequuti ſunt, *Mandarini* fiunt, id eſt Provinciarum & Urbium potentiſſimi præfecti, & à Plebe non ſecus ac *Dii* immortales coluntur. Itaque majus nihil in vita affectant, quam ut *Mandarini* fiant. In conviviis ſinguli ſeparatim ſedent, & cibos non digitis, ſed duobus *lignis* ſtultè capiunt. Peregrinos neque admittunt in Regionem ſuam, neque admiſſos unquam dimittunt, & ipſis quoque omnis peregrinatio extra regnum interdicta eſt, unde terram præterquam ſuam nullam noverunt, & eam univerſum orbem complecti arbitrantur. Illud inter prima Imperii conſervandi fundamenta habent; *Non affectare aliena:* Neque *bellum* cum exteris gerere: ſua tantum conſervant ac tuentur.

Diviſio. Dividitur China in Septentrionalem, quæ Paquin, & Meridionalem, quæ Nanquin appellatur.

In ſeptentrionali, Metropolis eſt urbs Paquin, quæ & Cambala. Ea urbs incredibilis dicitur eſſe magnitudinis, adeo ut expeditus eques vix integræ diei ſpatio illam tranſire poſſit. In eâ Rex Chinenſium habitat, propter periculum ac metum Tartarici belli, qui perpetuo

petuo ab ea parte superato muro invasionem moliuntur, quam etiam nostro tempore consecuti sunt, ita quidem, ut superatis prælio Sinensibus, urbe Paquin obsessa, & expugnata, ipsum Regem Chinensium strangularint, & nunc universa Sina potiantur, animo nunquam eam deserendi. Hinc publico Tartarorum Imperatoris mandato omnes Sinenses pristinos exuere mores jubentur, & more Tartarico capillos alere vestitumque gerere. In Meridionali *Sinâ* Metropolis est *Nanquin*, quæ illa videtur esse urbs, quam Marcus Paulus Venetus, & ex eo alii appellant *Quinzay*. Universa autem China XV. *Provincias* complectitur, in quibus Urbes magnæ ducentæ quadraginta, sed non nisi littora Chinæ tum comperta fuerant. Urbes quas Lusitani propter Mercaturam frequentant duæ sunt *Macao & Canton*.

Tartaria Magna. Quicquid supra mare *Caspium & Oxum* terrarum jacet, inter *Rußiam & Chinam*, Tartaria *magna* vocatur. Hæc vetus illa *Scythia* est, barbara & inculta in universum Regio, nunquam ab externo debellata: ipsa totius Asię multoties *victrix*, regio ingentis magnitudinis, *tertiam* universæ Asiæ partem complectitur.

Incolæ. Innumeræ *gentes* illam partem habitant, *linguâ*, moribusque diversis, sed in universum Scytharum, quos hodie Tartaros vocamus, naturam referunt. Rara illis barba, fa-

cies lata, oculi parvi, nasus simus, statura media. Nunquam vel raro pedibus incedunt, perpetuo *equis* vel bobus vecti, illorum domus *plaustra* sunt, quæ perpetuo secum circumvectant. Nullæ illis *urbes*, in patentibus campis inter *armenta* sua & *plaustra* quæ *filtro* sive crassa lana sunt contecta, degunt. *Tribus* suas instar *Judæorum & Arabum* habent, quæ simul vivunt, & matrimonia inter se contrahunt. Olim Dominum & Principem communem non agnoscebant, donec tandem *Zingiskhan* Princeps *Mogolum*, qui Tartarica tribus sunt, reliquas omnes familias sibi subjugaret, circa annum Chr. 1200. & *Imperium* amplissimum conderet,quod Europæi uno nomine *Tartaricum* magni *Chami* appellant. Gens perpetuis dedita *latrociniis*, nunquam ab armis quieta, & quoties ingruunt, tanta ipsorum *multitudo* est, ut *nullæ* vires *humanæ* vim ipsorum sustinere queant, omnia velut *tempestas* prosternunt sicque relicta post se *vastitate* cum prædâ domum revertuntur.

Divisio. Dividitur in *Tartariam Desertensem* sive *desertam*, quæ complectitur Regiones à *Volga usque* ad fluvium *Iaxarten*, nunc *Schibum*, quâ parte plurimæ Tartarorum familiæ sive Hordæ degunt, quarum præcipua *Zavolhensis* olim omnium maxima, ex quâ prodierunt Tartari *Astracan, Kazan, Nagaia & Kalmuki*. *Siberia* hujus partis præcipua jam

jam Provincia censetur, ex qua ad nos advehuntur pretiosæ pelles, quas Zabellinas vocamus, cum Siberinæ dicendæ fuissent. Hi *Destenses* Tartari usque ad Novam *Zemblam*, & mare glaciale habitant, ex quibus etiam sunt *Lucomores*, *Samojedæ*, *Molgumzæi*, & innumeræ familiæ aliæ, nobis parum adhuc, nisi ex quorundam relatione notæ. Ad Orientem est *Karakithai*, quæ vulgò ab Europæis Cathaya appellatur, regio apud nos famâ magis & scribentium mendaciis, quam veritate cognita.

Hæc est cultissima totius Tartariæ regio, & Sedes Magni *Tartarorum* Imperatoris. Metropolis ejus Cambalu, quæ eadem urbs est cum *Pequin*, Septentrionalis Chinæ Metropoli. Quod cum pauci observassent, mirum in modum ridicula de *Kathay* tradiderunt, quærentes eam, ubi nuspiam erat, cum evidentibus constet argumentis Cathayam non esse aliam regionem, quam Chinensis Regni Septentrionalem partem, & Cambalu non esse aliam urbem, quam *Pequin*. Supra *Cathay* versus Septentrionem, regio *Mogolum*, ex quâ primum *Tartari* progressi sunt, sita est: Sed ea adeò, vel adhuc incognita nobis est, vel tam fabulosè descripta, ut satiùs sit de illa tacere, quam non satis explorata referre. Ille enim Septentrionalis Asiæ angulus, nullis humanis *viribus* hactenus rectè explorari potuit, & incertum

etiamnum eſt, ubinam Aſia verſus illam partem terminetur; & quæ terrarum ſupra Chinam facies ſit.

Turckeſtan, potior Tartariæ jam regio eſt, ſita trans fluvium Sihun,qui veterum Jaxartes. Hæc vetus Turcarum Patria. Ibi ante multa ſecula Turcæ vixerunt ac regnarunt,antequam magna ipſorum pars primo in Perſiam, inde in Aſiam minorem,& tandem etiam in Europam ſeſe effunderet. *Metropolis* eſt *Ocerra*.

Tartaria Schagatay. Intra Jaxartem & Oxum fluvios ſita eſt Tartaria Schagatay, ita appellata à Schagateo filio Schingvis Khan, primi Tartarorum Imperatoris, cui pater hanc Regionem teſtamento legaverat. Hujus Metropoles ſunt, quas etiam in Mawaranacher retulimus, Samarchant, Buccara, Fargana Vicina Schagatay, Chowarazmia,Priſcorum Choraſmiorum Regio eſt; hi Choraſmii aliquoties ſedes ſuas mutarunt. Primo enim habitarunt in Mawaranacher, ſive regione Tranſoxiana. Hinc expulſi à Tartaris regiones occuparunt mari Caſpio vicinas, & metropolis ipſorum fuit Tchirzan. Tandem etiam hinc ejecti primo in Indiam, ex Indiâ in Perſiam, hinc Babyloniam, tandem in Syriam venerunt, donec paulatim conſumpti, & in totum deleti ſunt. Ut hodie nulla ſuperſit memoria.

Inſulæ. Orientalem Aſiæ partem innumeræ cingunt Inſulæ, quas inter celebriores, Japan,

Japan, complectens quinquaginta tria Regna, quæ hodie uni subsunt Imperatori. Regia sedes Jedo, hinc Bungo, Offakaia, & aliæ urbes nondum satis cognitæ sunt. Nam incertum etiamnum est, Insula ne sit Japan, an terra continens; & reperta nuper à Belgis terra Eso incognitæ magnitudinis, fidem facit, illam vel cum Tartaria vel cum America propius conjungi. Japanenses à Sinensibus originem trahunt, & ipsorum hostes perpetui ac infensissimi sunt, undè etiam contrarios planè mores, ac diversissima susceperunt instituta.

Philippinæ. Luconia, sive Luzon, ubi Metropolis *Manilla*, subsunt Imperio Hispanorum: Hinc *Mindanao, Borneo, Celebes, Gilolo, Ceyram*, & ex minimis celeberrimæ Moluccæ numero quinque, *Tidor, Ternate, Machian, Bachyam, Motyr*, ex quibus immensa aromatum vis ad nos defertur.

Iava major ingenti Magnitudine Insula, urbes habet *Bantam, Iacatran*, & à Belgis conditam *Bataviam*, quæ omnium Belgicarum in Orientali Indiâ metropolis est. In Mediterraneis præterea *Matharan*, cujus Rex omnium per Insulam potentissimus censetur.

Sumatna, in qua urbes Achen, Pedir.

Ceylon, Incolæ appellantur Cengales, Priscorum Taprobana, in qua urbes Candi, Chilao & Lusitanorum arx Columbo.

Maldivæ, Insulæ minimæ, & quam plurimæ,

mæ, quarum numerus 11000. superare creditur.

Finis Asiæ: sequitur Africa.

AFRICA.

L*ongitudo* Africæ inter fretum *Gaditanum* & promontorium Bonæ spei 1200. mill. Regio in universum, *calidißima*, arenosa, *deserta*, & cæteris orbis partibus deterior, plena *Elephantum*, *Draconum & Serpentum*, ad *Littora*: qua fluminibus irrigatur, ad miraculum usque *frumenti* ferax, ut ex ea olim *Romani* toti Imperio suo *alimenta* subministrarint. Raras *pluvias* habet, earum loco *flumina* statis temporibus inundatione solum fœcundant: Populus *fusco* in universum colore, maxima pars *nigerrimo*, sive ea solis vis sit extremam *cutem* adurentis, sive peculiaris quædam & nobis *incognita* ratio: Solitudines in ea immensæ & tanta *sabuli* copia, ut *marium* instar *ventis agitetur & tempestatibus*, integrasque sæpe *acies*, & commeantium magna agmina *obruat*, unde mare Sabulosum, sive arenosum ibi collocatur.

Divisio. Dividitur in *Misr* sive *Ægyptum*, Barbariam, *Fezz*, *& Marocco*, *Biledulgerit* sive *Numidiam*, *Nigritarum* Regionem, Congo,

go, Angola, Monomotape, & *Habaßium* five Abyffinam.

Mifr, five Ægyptus; A mari rubro Regnum Mifr, olim Ægyptus, ad utramque Nili ripam jacet, totius Africæ cultiffima & ditiffima Regio. Præcipuum in eâ miraculum Nilus exhibet, qui ex intimâ ortus Africâ quotannis circa *medium Augufti* univerfam Regionem inundat, & fi ad cubitos 20. vel ad fummum 22. excrefcat, certiffimum *fertilitatis* argumentum præbet. Itaque in Ægypto *agricultura* omni labore caret, & folius cœli beneficium eft.

Incolæ. Tam fpontanea felicitas populi animum ad *fegnitiem & otium* corrumpit, ut propterea *imbelles*, *garruli*, *ferviles*, Ægyptii cenfeantur, externumque jugum facile fufcipiant.

Sed mores populi inter tot mutationes, cum modò *Kircaßis* fubeffent, modò *Turcis*, & *Arabibus*, vix certò defignari poffunt. Hodie triplex omnino gens inter fe permixta eam colit, Prifci *Ægyptii*, quos *Elcopos* vocant, deinde Arabes, & denique Turcæ.

Divifio. Dividitur Ægyptus in quinque Provincias: In Sahid, Tennes, Refid, Alexandriam & Damiatam. Metropolis eft Alcahira, maxima totius fere Orbis urbs, triplo major Lutetiâ Parifiorum. Longitudo ejus ad tria milliaria Germanica extenditur, ædium *ducen-*

ta

ta millia sunt, platearum *millia* ſedecim. Templa majora ſeptem mille, Incolarum ad *ſeptem* milliones, adeo ut frequentior *Peſtis* uno die *viginti* hominum millia abſumat, & non *urbs* ſed *Orbis* videatur.

Proxima poſt eam *Alexandria* eſt, olim totius Orbis poſt *Romam* maxima, hodie ferè *deſerta*. Sequitur *Damiata*, quam Priſcorum *Peluſium* eſſe credunt. Totius Ægypti *clauſtrum* munitiſſimum, adeo ut Ægyptus non niſi captâ *Damiatâ* expugnari queat.

Hæc eſt ea urbs in cujus expugnatione ante quatuor circiter ſecula *Harlemenſes* Batavi magnam gloriam reportarunt.

Pagorum hodie infinitus numerus, ſolum *Delta* id eſt *Regio* inter *Nilum* viginti mille pagos complectitur, & in tractu Alcahiræ ad quadraginta millia ſunt.

Barbaria. Ab Ægypto ad uſque Regnum *Fezz* & Marocco *Barbaria* jacet: in regna majora quatuor dividitur, *Barka*, ubi Zereni, *Kairowan*, olim Caliphæ, ſive Pontificis Africani ſedes, ſub quâ urbs *Mahdia*.

Regnum *Tunetanum*, in quo metropolis, *Tunis* Regum ſedes, & *Tripolis*.

Tremizen, ſive *Telmeſinum*, ubi *Tremizen & Alger* hodie ob pyraticam famoſiſſima.

Regnum Fezz & Marocco; hoc Regnum complectitur Mauritaniam veterem; Metropoles duæ, Fezz & Marocco. Aliæ urbes Tanger,

ger, Seuta, olim Septa & Taradante.

Vicinum est Datense Regnum à Metropoli Dara sic dictum.

Biledulgerid sive *Numidia*. *Biledulgerid* id est Regio *Dactylifera*, à copioso *dactylorum* proventu, magnam partem deserta est.

Nigritarum Regio. *Nigritarum* Regna XV. recensentur, ex quibus præcipua, *Gnalata*, *Tombuto*, *Senega*, *Melli* & omnium hodie notissimum *Guinea*; Fluvius Senega, Nilo similis, hanc regionem inundat.

Congo. *Congo* Regnum dividitur in Provincias sex, *Bambam*, *Sunda*, *Pango*, *Batta* & *Pemba*, ubi metropolis Congo, sive Sancti *Salvatoris* civitas. Vicini Congonis Populi ferocissimi, *Anzygos* & *Iacchæ* sunt, qui barbarie suâ quoscunque barbaros superant.

Angola. *Congo* vicinum Regnum *Angola*, & aliquando tributarium, nomen accepit ab *Angola* Rege, qui eo tempore regnabat, quo Lusitani in Africam navigare cœperunt. Urbs ipsius est *Loanda*.

Monomotape. Quicquid hic in Austrum protenditur *Monomotape* est, magnum Imperium, sub quo complura regna.

Metropolis ejus *Monomotape* sive *Benomotape* & *Butua*.

Ad hoc pertinet promontorium totius Orbis maximum, & celeberrimum Bonæ spei. Sequuntur ingenti juxta Littus tractu regna, Ce-

Cefala, *Mozambique*, *Quiloa*, *Melinde*, *Magodoxo*, à singulis urbibus denominata.

Habaßia sive *Abißina*. Vastissimum Abissinum tota Africa Imperium est, quod *Æthiopes* sub Ægypto tenent. Complectitur Regna quam plurima, ut alii volunt XXXIV. Alii XIII. Sed hodie ob Turcarum invasionem, & Æthiopum rebellionem multum decrevit. Præcipuæ Provinciæ sunt, *Bernagasso*, ad quam pertinet portus celeberrimus *Arcocco*; *Dancali*, ubi *Amara*, *Xoa*; *Fatigar*, *Damut*: Metropolin alii vocant *Cascumo*: alii *Barnam*: alii *Baymaleck*, sed frustra. Quoniam Imperator Æthiopum in *tentoriis* degit, quem Europæi vocant *Presbyterum* Joannem, & vulgari linguâ *Paep-Ian*, cujus nominis origo vera hæc est: Persæ & Arabes eum vocant sua lingua *Prestegan*, id est *Regem* mancipiorum, quoniam pleraque mancipia in illis partibus ex Abissina petuntur, quam vocem, cum Europæi non intelligerent, ex *Prestegan*, id est, *Rege* mancipiorum, fecerunt *Presbyterum* sive Sacerdotem Johannem. *Abißini* autem Christiani sunt qualescunque.

Nubia. *Nubia* cujus metropolis *Nuba*.

Insulæ. Insulæ circa Africam sunt *Zacotora*, olim *Dioscurias*, ex qua præstantissimum *Aloë* ad nos defertur.

Madagaskar sive Insula S. *Laurentii*.

Insula S. *Helenæ*.

In-

Insula *Annabon*.

Insula S. *Antonii*.

Insula *Ascensionis*.

Insula S. *Thomæ*.

Insula de Ca*bo-Verde*, olim *Hesperides* sive *Gorgades*.

Insulæ Canariæ, olim Fortunatæ, quarum septem præcipuæ.

Magna C*anaria*.

Tenerifa.

Palma.

Gomera.

Ferro.

Lancerota.

M*adera*.

Porto S*anto*.

Et hactenus Africæ *Descriptio Geographica: sequitur tandem America*.

AME-

AMERICA
SIVE
NOVUS ORBIS.

TRajecto mari *Atlantico*, ad parum cognitam priſcis Regionem pervenitur,quę propter magnitudinem ſuam novus *Orbis* appellatur.

Complectitur duas maximas *peninſulas*, quarum unam *Americam*, alteram *Magellanicam* appellamus.

America, alio nomine *India* Occidentalis, inter Mare *Atlanticum*, ſive del *Nort*, & Oceanum Pacificum ſive del *Zur* ingentis peninſulę forma jacet; Ipſa natura exiguo *Iſthmo* ad *Panaman* & nombre *de Dios* ipſam in Septentrionalem & Meridionalem diſtinxit. Univerſa Regio fertilitate ac divitiis cæteras orbis partes ferè ſuperat: Sola Barbaries ſuperiorum Seculorum eam immanem reddidit. Quippe gentes Americanæ omnes velut ſecluſæ à cultiori humanitate barbaram immanitatem per multa ſecula exercuere.

Nudi, velut *Bruta* pecora, diſtributi in *familias*, degebant.

Nulla *Religio*, niſi pluſquam *deteſtanda*. *Literas* ignorabant, & in tam vaſto terrarum ſpatio, inque innumerabili hominum multitudine, duo tantum reperta ſunt Imperia; eaque

que non *admodum* antiqua. Unde illa hominum multitudo, quibus primum viis ad incognitam nobis terram devenerit, ambiguè disferitur: Sed ex Asia septentrionali, nondum explorata nostris temporibus, quæ vel cum America jungitur, vel exiguo freto ab ea distinguitur atque etiam ex Africa & Europa casu vel consilio primas incolas eò venisse, ipsa ratio credere suadet; *Longitudo* Americæ inter fretum Aniam, & fretum Magellanicum continet 2300. *Latitudo* maxima 1300. circiter milliaria.

Divisio. Dividitur in *Septentrionalem & Australem.*

Septentrionalis. Septentrionalis complectitur Novam *Franciam*, quæ nunc nova dicitur *Britannia*; Novam Sueciam, Novum *Belgium*; *Virginiam*; *Floridam*, Californiam & Novam *Hispaniam*.

Nova Francia. Sub hac est terra Cortercalis, Canada, Terra *nova*, Terra de *Baccaleos*, *& Norumbega*, sed hæc nomina jam in desuetudinem abivêre, ita quidem ut illæ regiones, quæ ante 30. circiter annos nova *Francia* appellabantur, ab aliis nova *Britannia*; sub hac sunt nova *Anglia*, & Nova Scotia.

Nova Anglia. Nova *Anglia* inter cultissimas totius Americæ Regiones censetur. Ea originem sumpsit circa annum 1634. quo anno & sequentibus plusquam ducenta millia ho-

mi-

minum ex *Angliâ* in illas partes migrarunt, ibique & passim per Insulas Americæ ab *Hispanis* desertas, suæ gentis Colonias duxerunt, quarum præcipua sedes in Insula Bermuda, Nova Anglia, & Insula Trinitatis; In nova Anglia metropolis est novum Londinum, deinde Boston, Novum Plymmouthum, & nova Cantabrigia, quæ urbs Academia insignis est, & quam Angli Studiorum causa frequentare solent.

Hæc est illa Regio, ex qua *Independentes*, hoc proximo bello, in Angliam regressi sunt.

Nova Scotia. Nova Scotia colonos habet Scotos.

Nova Suedia. Nova Suedia sequitur: Nam & Suedi Coloniam eo duxerunt, de qua terra adhuc parum nobis constat.

Novum Belgium. Novum *Belgium* in eodem tractu: ubi urbs novum *Amstelodamum* & aliæ.

Virginia. *Virginia* iterum est Anglorum colonia, temporibus Elisabethæ eo deducta.

Florida. In *Florida* oppidum sive propugnaculum est Gallorum Carolina, olim plane destructa.

Supra *Floridam* versus Septentrionem omnia adhuc incognita & inexplorata sunt: Regiones tamen quasdam novimus, veluti novam *Granadem*, quæ etiam nova *Mexico* appellatur, vel Cibola, deinde *Totonteac*, *Quivira.*

ra. Sed omnia ſunt vel fabuloſa vel incerta.

California. California ſequitur vel ingens Inſula, vel Peninſula, nulla re memorabilis. Inter eam & continentem mare Vermejo, ingens Sinus eſt.

Nova Hiſpania. Cultiſſima Septentrionalis Americæ Regio *Hiſpania* Nova cenſetur; quæ complectitur antiquum Imperium Mexicanum. Hæc eſt illa Regio, ex qua Hiſpani tantum *auri* atque *argenti* ad nos deferunt Tota Colonis Hiſpanorum occupatur, qui indigenis vel extinctis, vel iiſdem permixti eam pro altera patriâ ſuâ habent. Metropolis eſt urbs Mexico, ingens & ſplendidiſſima. Reliquæ Tlaſcala, ſive civitas Sanctorum Angelorum, & Mechoacan, & ad utrumque Littus *Aquapulco*, *Guatimala*, *Segovia*, *Granada*, *Panama*, Nombre de *Dios*, ſive nomen Dei, *Karthago*, la vera *Cruz*, *Panuco*.

Regiones ad Hiſpaniam novam ſpectantes ſunt, *Iucatan*, *Nicaragua*, *Honduras*.

Inſulæ. Inſulæ ad Americam Septentrionalem ſunt innumeræ, quæ diſtinguuntur in *Barlovento & Sotovento*.

Sotovento: ex hiſce majores ſunt Cuba, in quâ portus celeberrimus, *Havana & Matanza*, famoſa Petri *Heynſii* Batavi inæſtimabili victoria, qui ad *Matanzam* claſſem Hiſpanorum *Auriferam* cepit.

Hiſpaniola. In qua urbs S. Dominici, Jamaica ab Anglis capta. In-

Insula S. Joannis de Puerto Rico. Reliqua minores, & magnam partem desertæ. Notandum hic pleraque Regionum nomina ab Hispanis casu quodam imposita esse: cum enim ignari essent linguæ, malè intellecta vocabula Regionibus imposuerunt. Advecti in Terram quærebant ex Incolis, quod nomen Regioni esset. Illi non intelligentes quid vellent, respondebant, *Tectetan*, id est *quid Iut?* quod vocabulum Hispani detorserunt in nomen *Iucatan*, illudque Regioni imposuere. Ita cum quæsivissent ex *piscatore* nomen Regionis, & ipse existimaret eos quærere nomen suum, respondit se appellari *Peru*, unde Hispani ingentem illam Regionem Americæ Meridionalis appellarunt *Peru*.

America Meridionalis. America Meridionalis inde usque ab Isthmo Panamæ ad fretum *Magellanicum* extenditur. Partes ejus sunt, Terra *Firma*, Nova *Granada*, *Popajan*, *Peru*, *Chile*, *Magellanica*, Provinciæ ad *Rio de la Plata*, *Brasilia*, Provinciæ *Maranthon*, Provinciæ *Cajana*, *Gujana*, Provinciæ ad *Rio de Orenoque*, Nova *Andalusia*, *Venezuela*.

Terra Firma. Terra Firma olim Castella aurea, complectitur Provincias; *Panaman*, ubi Panama, & Nombre de *Dios*.

Darienem, cujus oppida omnia nunc deserta sunt, velut S. *Sebastiani*, S. *Mariæ* del Darien.

Carta-

Cartagenam, sub qua *Vraba*, *Mopox*, ubi urbs *Cartagena*, portu longe optimo. Dein S. *Iago* de *Toln*.

Gubernationem vel Præfecturam S. *Marthæ*, ubi urbs S. *Marthæ*.

Gubernationem fluvii de la *Hacha*, ubi urbs Rio de la *Hacha*.

Nova Granada. Novum Regnum Granadæ complectitur Provincias, *Bogota*, *Thuniam & Panches*. Metropolis est S. *Fe* de *Bogota*, deinde *Thunaia*, *Merida*, *Pamplona*.

Popaian. *Popaian* complectitur Provincias Los *Pastos*, Los *Paiias*, *Quambaia* & alias. Metropolis *Pompajan*, deinde Sancta *Fe* de Antiochia, S. *Iago* de Cali, S. *Iago* de Arma.

Peru. Vastissima & nobilissima Meridionalis Americæ Regio *Peru* est, quæ ab ipso Æquatore ad Tropicum Capricorni protenditur, & à mari usque ad altissimos montes, qui Andes appellantur.

Partes ejus magnæ III. sunt. *Quito*, de los *Rejes*, sive *Lima*, de los *Charcas*, sive de la *Plata*. Regio auri atque argenti feracissima, sed parum fertilis, nisi quâ in planitiem vel valles protenditur, Montana Peruviæ editissima sunt, præsertim *Pariacacca*. Pyrænei montes & Alpina cacumina, cum iis collata, sunt velut *casæ* turribus comparatæ, adeò ut in toto urbe non sit *altior* locus.

Quito. *Quito* complectitur Provincias Po-

pajan, de qua jam diximus, los *Cuinos*, la *Canela*, Juan de *Cardinas*. La *Cacameras & Iegualzongo*. Metropolis S. *Francifco* del Quito, inde Rio *Bamba*, Cuenza, *Loxa*, *Ramora*, *Iaen*, S. Jago de *Qualaquia*, Puerto *Vejo*, S. *Michael* de Pivra, Pieca, *Valadolid*.

Lima, five de los *Reyes*. In hac metropolis *Lima*, five civitas de los Rejes, id eft Civitas Regum, Academia illuftris, ubi amplius *mille* ftudiofi, Collegia *tria*, Doctores *ducenti*: Deinde Cufco prifcorum Provinciȩ Regum, quos antea *Incas* vocabant, fedes, & totius quondam Imperii Metropolis, fita in Mediterraneis admirabili ftructura & cui nufpiam fimilis in toto orbe reperiebatur. Ab ea quatuor viæ per totum Imperium Incarum decurrebant, ex lapide ftupendo artificio ftructæ. Sed omnia hæc Romanis longè præferenda operibus, *Hifpanorum* furor ante feculum circiter auri cupidine deftruxit, ut nunc nifi vafta rudera, & immenfæ molis faxa reperiantur. Hodie *Academiam* habet, in qua collegia *duo*, ftudiofi circiter *fexcenti*.

Aliæ urbes funt *Truxillo*, *Guamanga*, S. Francifco de la *Vittoria*, *Arequipa*, Carnetta five *Guacio*, Leon de *Guanuco*, *Valverde*, *Arnedo*, Caxamalca.

De los *Charcas* five de la Plata. Hæc complectitur Provincias, S. Cruz de la Sierra, *Tucuman*, los *Iurcas*, Dia Chuchos, & los Charcas,

cas, Metropolis Civitas de la Plata, Neustra Senhora de la Paz, Oropeza, & omnium celeberrima, propter inæstimabiles Argenti fodinas, Potosi ad radices montis Potosi, qui totus ex argento constat, & ex quo tantas opes Hispani quotannis petunt. Portus celebris est Arica.

Chile. *Chile* Regio Europæ simillima, & omnium frugum, quas nos habemus, ferax. Cæterum parum habitata propter continua bella. Hæc est illa Regio, quæ sola ex omnibus Americanis Hispanorum dominationem fortissime repulit, & in qua maximas accepere clades, præcipue ab *Auracanis*, adeo quidem, ut non nisi partem ejus occupare potuerint.

Complectitur valles aliquot nobiles, quales sunt Copiapo, la *Guasco*, Chile, ubi Metropolis S. *Iago*, de los Infantes, *Imperial*, villa *Riche*, *Baldivia* quod Chilenses Anno 1599 destruxerunt, & Gubernatori Hispano Aurum *Liquefactum* in *os* & *aures* infuderunt, ex ejus *cranio* poculum, ex *cruribus* tubas, in victoriæ signum fecere.

Provinciæ vicinæ sunt Cajo sive Cuenito, ubi *oppida Mendoza*, & S. Jan de la *Frontera*. *Tucuman*, ubi Metropolis S. *Iago* del *Estero*, alia oppida S. *Michael* de Tucuman. *Neustra*, Segnora de *Tala-vera*, Corduba, S. *Bernhardo* de la *Frontera*, *Lerma* seu *Salvator*.

Magellanica. Magellanica inculta & Bar-

bara Regio. Incolæ ſparſim per ſylvas & ſpeluncas habitant, ferino ritu, pellibus amicti. Nulla ibi urbs, quamvis Hiſpani conati fuerint in faucibus freti Magellanici urbem ſtruere, ad inhibendas *Anglorum & Batavorum* navigationes, quam vocarunt *Nombre* de *Ieſus* ſive Civitatem Philippi, ſed illa mox iterum *deſtructa* ac *diruta* fuit. Portus celebris in ipſo *freto* porto *Deſiro*.

Provinciæ ad Rio de la *Plata*. Provinciæ ad Rio de la Plata ſive Paraquay ſitæ ſunt ad utramque ripam maximi fluminis de la Plata, ita dicti, quod primum inde *Argentum* in Hiſpaniam delatum fuerit. Nam Plata Hiſpanis argentum ſignificat. Provinciæ ſunt *Guirandies* ſive Moroccoles, *Timbues*, Mojas, *Ganeſſes*, *Itahim*, Carios.

Urbes, noſtra Segnora de Bunas *Acras*, ſive Civitas de la *Trinitat*, Noſtra Segnora de la *Aſſumſion*, ſive Aſcenſion, *Sant Fe* ſive *Salvador*.

Braſilia. Inter Rio de la Plata & Rio Maranhan ingenti magnitudine ſita eſt *Braſilia*, quam Coloniæ Portugallorum & Batavorum tenent, ſed non niſi ad littora. Interiora à *Barbaris* feraciſſimis occupantur, & ideo nondum ſatis detecta ſunt.

Dividitur in IX. Provincias, ſive Capitanias, quarum prima Capitania de S. *Vincente*, ubi oppidum S. *Vincentii*.

Capi-

Capitania Rio de *Ianero*, ubi S. *Sebastian*.

Capitania de S. *Spirito*, ubi oppidum S. *Spiritus*.

Capitania de Porto *Seguro*, ubi oppida tria S. *Maria*, S. *Cruz* & Porto *Seguro*.

Capitania de los *Isleos*, ubi oppidum los *Isleos*.

Capitania de Bahia de *Todos* los *Santos*, ubi S. *Salvador* totius Brasiliæ Lusitaniæ Metropolis.

Capitania de *Fernambuco*, ubi *Olinda*, *Mauritianopolis* & *Reciff*.

Capitania de *Tamaraca*, ubi Insula *Tamaraca*.

Capitania de *Paraiva*, ubi oppidum est nomine *Paraiva*.

Brasilianorum præcipuæ gentes sunt, *Tapuyæ*, Hollandorum confœderati, *Tupinikini*, *Toupin-Imbæ*, *Quariones*, *Taupinam* baulti, *Goaymures*.

Provinciæ Maranhon. Provincia *Maranhon*, sitæ ad fluvium Maranhon, qui maximis totius Americæ fluminibus accensetur, & male cum fluvio *Amazonum* sive Orellana, & fluvio *Oronoque* confunditur.

Provincias Gentesque plurimas complectitur, quas, quia parum frequentantur, & admodum mutabiles sunt, recensere non opus: Nulla ibi urbs vel oppidum alicujus nominis

Provinciæ Cajanæ. Provinciæ *Cajanæ* sitæ ad

ad fluvium *Cajana*, etiam alio nomine appellantur *Caribania*. Populi *Caribes* ſive *Canibales*, primi hemiedones, quorum notitia ad nos ex Americâ advenit, nihil vero in illis notabile, niſi mera barbaries, & frequentia flumina.

Guiana. *Guiana* ſive *Eldorado* Provincia Mediterranea ſolis fabulis & quærentium eam ſtudiis famoſa. Infinita mendacia de ejus divitiis atque opibus ſparſa ſunt, præcipuè à Gualtero *Ralego* Anglo, qui deceptus illa divitiarum famâ, meritò, tandem *Londini* poſt diuturnum carcerem capite plexus fuit. Urbem in illâ confingunt Manoa, ſive Eldorado, totam, ſi credere fas eſt, auream, populos quoque confingunt ſine Capite, qui faciem in pectore gerant, quos *Epuremeos* appellant, ſed de fabuloſâ Guianâ ſatis.

Provincia ad Rio de *Orenoque*. Provinciæ ad Rio de *Orenoque*, ſitæ ad fluvium maximum, & celeberrimum *Orenoque*, cui Hiſpani quoque nomen Otellanæ & Maranhon, ſed malè, tribuunt.

Flumen hoc omnium totius mundi fluminum Imperator appellatur, & Mari potius quam flumini ſimilius eſt. Multa quoque fabuloſa de hac Regione traduntur: oppidum unicum ad flumen Caroli, S Thomæ eſt.

Nova Andaluſia. Nova *Andaluſia* complectitur Provincias *Cumanam* & *Chiribi*, ubi oppida *Toledo*, & Santa *Fe*.

Vene-

Venezuela. *Venezuela* olim dicta Provincia *Velzerorum*, quod *Velzeri*, mercatores Germani illam à Carolo V. acceperint. Complectitur oppida octo, ex quibus præcipua Caro sive Venezuela, Nostra Segnora de Carveleda. S. Jago de *Leon*, Nova *Valencia*, Nova *Segovia*. Nova *Xerez*, *Tucujo*, sive *Nostra Segnora* de la *Paz*.

Lacus *Maracaibo*.

Insulæ ad Americam Australem sunt.

Insula Margarita, piscaturâ Margaritarum celebris.

Insula *Dominica*.

Insula *Trinitatis*.

Insula laMocho ad Chylen in mari Pacifico.

Insula *Canum*.

Insula sive *Fundo* procul à continente medio in mari sita.

Insula *Muscarum*.

Magellanica, sive Terra *Australis*, sive *Incognita*. Quicquid à freto Magellanico versus Austrum terrarum jacet, Magellanica appellatur, à Ferdinando Magellano, qui primus partem earum detexit.

Regiones illę fere in totum adhuc incognitę sunt, & non nisi Littora ipsarum à Navigantibus interdum conspiciuntur. Sunt autem, quantum conjici potest, regiones maximæ & vastissimæ, à nudis & Barbaris hominibus habitatæ, quorum multi colore nigerrimo instar Æthiopum sunt.

Diviso. Quæ cognita sunt, dividuntur in terram del *Fugo*, quæ propriè Magellanica, & in terram *Francisci* del *Quir*, & in Novam *Guineam*.

Terra Delfugo. Hæc à crebris ignibus, quos in ea Magellanes conspexit, denominata est. Habita fuit pro continente usque ad annum 1617. Quo anno *Iacobus* la Maire *Batavus* eam deprehendit magnam Insulam esse, & omnem illum tractum non esse continentem, sed in plurimas *Insulas* divisum. Pauci in iis homines, ferino planè ritu viventes, crudam carnem vorantes, variis coloribus picti, in speluncis ac montibus, & sylvis brutorum instar degunt.

Terra Francisci del Quir. Terra Francisci del Quir, non nisi ex relatione ejus cognita est, & commemorat is, sese in eas Regiones delatum, reperisse innumerabilem hominum copiam, & summam auri atque argenti abundantiam; Populum nullo Imperio regi, divisum in familias & factiones, perpetua inter se bella gerere. Suadet igitur Regi *Hispaniæ*, ut eas occupet, quæ longè ipsi utiliores quam utraque *India*, futuræ sunt. Sed hactenus nihil de illis præterea innotuit.

Nova Guinea. Indiæ Orientalis Insula vicina est Nova *Guinea*, quam longo tractu *Batavi* superioribus annis detexerunt.

Extenditur ferè usque ad *Æquatorem*, sed non

non nisi littora adhuc nobis cognita sunt.

Incolæ, *Nigerrimi* & in totum Barbari. Regio ipsa insalubris, atque hinc frequentes in Populo morbi. Huic vicinæ sunt, Insulæ *Latronum*, ita appellatur, quod gens *latrocinio & furto* admodum dedita sit. Natandi peritissimi, ut perinde ipsis sit, in *terrâ* vivant, an in *mari*. Reliqua Orbis adhuc incognita sunt.

Finis Novi orbis: Restat Orbis Borealis.

TERRA BOREALIS.

QUicquid supra Europam, Asiam, Africam & Americam jacet, *Borealis* Terra appellatur, eaque magnam partem adhuc incognita. Æterna ibi *Hyems*, glacies, nix, atque frigus, mare concretum & innavigabile, dies noctesque non ad nostrum morem, sed ad aliquot menses protensi, ita ut sub ipso polo sex menses continuos perpetua vel dies sit vel nox. *Glacies* si quando rumpatur, ingentium *montium* atque *Insularum* speciem præbet, ad quam nautæ velut ad littus appellunt neque ab aliâ re sibi timent, quam à fulgore nivium & glacierum, quæ sic officit luminibus ut plerosque obcæcet. Ibi non alia mercatura quam ex Balenis & Ursorum capturâ.

Incolæ. *Nulli* ibi *homines*, nisi qui ex nostro orbe *navibus* advehuntur.

Divisio. Dividuntur hæ Regiones, quan-

tum exploratum est in *Spitzbergam*, *Groenlandiam*, & Novam *Zemblam*.

Spitzberga. Anno 1596. ab *Hemskerkio* Batavo detecta, & à præacutis montium verticibus, perpetua nive obsitis, ita appellata fuit. Ad hanc præcipuè circa æstatem captura *Balænarum* exercetur. Anseres *rubros* alit regio, quos in *Scotia* ex *arboribus* nasci hactenus falso existimatum fuit.

Nihil in illo solo corrumpitur, non *Ligna*, non *pisces*, non *humana* cadavera. Tantum ibi *frigus*, ut maris pars, in umbra montium constituta *tribus* horis ita concrescat, ut majora tormenta bellica possit ferre. Vicina est *Ursorum* Insula, quam Batavi ita appellarunt, quod *ursum* longum duodecim pedes hic occiderint.

Groenlandia. De *Groenlandia* ad Norvegiam actum est.

Nova Zembla. Supra *Russiam* Nova Zembla ingenti terrarum tractu jacet, Ursorum patria; quanquam per æstatem vel etiam hyemem illam interdum *Samojetæ*, suis rhedis ex Russiâ frequentent. Detecta fuit à Batavis Anno 1596. cum transitum ab illa parte in *Sinam* quærerent. Ad hanc Regionem Asia, Europa & America proximè coëunt, & hic ultimus Orbis habitati & cogniti limes atque Terminus est; Cætera ad Polum adhuc hominibus incognita atque inaccessa.

FINIS.

INDEX
RERUM & VERBORUM
MEMORABILIUM.

Prior Numerus Partem Orbis Politici, secundus Paginam designat.

A.

Aquis-

As-

Bel-

E.

F.

G.

Ger-

H.

Hæ-

I.

L.

Ma-

M.

Musco-

N.

O.

Osna-

P.

I.

Insu-

K.

L.

M.

Musco-

N.

O.

Osna-

P.

Prin-

R

S.

T.

Tau-

Va-

FINIS.



